

SHROEKII
Phar[illegible]copoea Aug.
Restituta.

285




0
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10


SEMPER HONOS NOMENQUE TUUM LAUDESQUE MANEBUNT.
PHARMACOPOEIA AUGUSTANA RESTITUTA.
HIPPOCRATES.
PARACELSUS.
MATERIA
PHARMACIÆ.
Waidner del.
Walfreich sc.

PHARMACO-POEIA AUGUSTANA RESTITUTA,

ſive

EXAMEN

ANIMADVERSIONUM

in


DISPENSATORIUM AUGUSTANUM,
EIUSDEMQUE MANTISSAM HERMETICAM

Joannis Zvelferi, Palatini,

adornatum

à

Luca Schröckio, Luc. Fil.
Medic. Doct. & in Patriâ Phyſico.



ANNO S. R. M. DC. LXXIII.
AUGUSTÆ VINDELICORUM,
Impenſis Theophili Göbelij,
Typis Johannis Schönigkij.



ILLUSTRISSIMI

SENATUS AUGUSTANI

COLLEGIO SEPTEMVIRALI AMPLISSIMO,

Dn. Davidi à STETTEN,
Dn. Octaviano LANGENMANTELIO, à Westhaimb,

S. CÆS. MAIEST.

Consiliariis, & Augustæ Duumviris Præfectis,

Dn. Octaviano à RECHLINGEN, & Radau,
Dn. Jo. Christophoro AMMANO,
Dn. Davidi REHMO,
Dn. Paulo FUGGERO, Comiti in Kirchberg & Weissnhorn, &c.
Dn. Leonhardo WEISSIO;

nec non

nec non

VIRIS

Nobilitate, Prudentiâ, Dignitateque Senatoriâ
maximè conspicuis;

Ædilibus meritissimis,

Dn. Raymundo im HOF,
Dn Maximiliano ILSUNGO, altern,
Dn. Christophoro à STETTEN, altern.,
Dn. Jeremiæ Friderico VOIT à Berg;

ut &

Collegio Medico

atque

Officinis Pharmaceuticis

Præfectis gravissimis,

Dn. Hieronymo SULZERO, Quæstori,
Dn. Friderico BECHLERO, Cos.,
Dn. Jo. Augustino SCHREIBERO, Cos.,
Dn. Andreæ HUEBERO, Senatori,

perpetuum cultum
cum
omnigenæ felicitatis
voto.





Rduum, quod Veſtræ protectioni, *Patres Patriæ Optimi, & Maximi, Viri Magnifici, Maximè Strenui, Illuſtriſſime, Generoſe, Nobiliſſimi, Prudentiſſimi, Mæcenates mei ſubmiſsâ animi devotione colendiſſimi*, committere humillimè præſumo, adgredior opus; non quòd Animadverſionibus, quæ hîc examini ſubjiciuntur, tantum ineſſe pondus, ſtatuam, quibus enervandis magna deberetur induſtria; cùm earum multoties ſe manifeſtans vanitas latere vix queat Medicum; utpote cui, non ſolùm medicamentorum inventionem & adplicationem, ſed ſingulorum quoque præparationem benè perſpectam habere, ſi Medici veri nomen mereri velit, incumbit.

Quin potius difficultatis totius cardo in ſiniſtro Invidorum, Momorum, & maleſano Adverſariorum judicio verſatur; cui reſiſtere arduum ſemper, atque difficile eſſe, exiſtimavi.

Contra cujuslibet imminentem inſultum moliri defenſionem, atque multorum capitum Hydram decertare, non ſufficit quidem facilè unus; aſt tacere, & penitus quaſi obmuteſcere ad tot ſuperbas provocationes, pectori ingenuo grave nimis



mis eſt, nec opprobrij notam, apud cordatos, veritatisque amantes, evitare poſſe videtur, ſi indeſinenter à quovis adeo injurioſè traduci ſe & convitiari pateretur.

Unde mearum partium viriumque quantum eſt, hoc in me onus ſuſcipere cogitavi.

In publicum verò Vindicationem Celebris, illibatè ab integro penè ſeculo magni æſtimati Diſpenſatorij Pharmaceutici Auguſtani, à malevolis noſtris extortam, in publicum emittere non ſuſtinerem, niſi de Patrocinio circumſpicerem ſufficienti, quo fretus, vanum Adverſariorum ſtrepitum excipere tantò confidentior valerem. In quo conquirendo dubius & anceps hærere haud debebam, quin ad Veſtram ſingularem Gratiam, *Viri ſubmiſſè Venerandi,* confugerem, Veſtrâque ſub tutelâ Examen illud publico judicio exponerem.

Atque hoc dum audeo, Veſtrasque altiores curas, exiguâ hac opellâ ſollicitare præſumo, veniam eò faciliùs me conſecuturum penitùs confido, quòd non meum privatum, ſed honorem publicum defendere adgrediar: Pharmacopœiæ nempe Auguſtanæ, Veſtro gratioſo juſſu, authoritate, & adprobatione olim in lucem editæ.

Phar-



Pharmacopœiæ, inquam, Auguſtanæ, cujus ſplendor tot annorum decurſu, ſub Veſtrâ tutelâ, nullâ defœdatus maculâ conſtitit; cujus dives medicamentorum theſaurus tot ſanitate orbatos Cives ad priſtinam tam precioſi boni poſſeſſionem iterum perduxit; quæ etiam latiùs ſe diffundens, in longè diſſitis quoque locis, cum adplauſu excepta, remediorumque parandorum norma conſtituta fuit.

Hunc autem ſplendorem, Veſtræ Prudentiæ, Directioni & Authoritati acceptum ferendum, temerarij aliqui, rebus novis moliendis nati, atque hujus interitu clareſcere cupidi, obfuſcare tentarunt, multis contra jus fasque modis huic ſcopo ſuo inhiantes.

Nec certè Benignus ille in VOBIS ſuſpiciendus animus permittet, ut ſalutis Cuſtodes, Veſtros nempe Medicos, quorum indefeſſam, diurnam, nocturnamque vigilantiam, & ſingularem in medendo dexteritatem ſatis ſuperque exploratam habetis,qui omnes ſuas cogitationes, curas, ipſamque vitam publico commodo, Civiumque ſaluti conſecrarunt, quorum etiam poſt fata ſuperſtes adhuc inſignis fama volitat per ora Virorum, tam dura maneat conditio.



Commune quaſi fatum Medicorum eſt, imprudentis præcipuè plebeculæ, novarum rerum utplurimum cupidæ, & in proprium exitium credulæ, quæ ad quemvis audacis Agyrtæ nutum & vana promiſſa aures arrigit, cæco impetu enatum, ut viliſſimis illis fungis, ceu Celebri cuidam Viro audiunt, ludibrium debeant.

Longè acerbior certè Veſtrorum Medicorum eſt conditio; quibus ſcilicet & hoc accedit, quòd honeſtæ tranquillitatis amantes, ab iniquis calamis, nullâ ratione prius proritatis, peſſimè, & præter meritum perſtringantur, ac reformentur, neque illi etiam, ob præclara merita potius honorandi, quorum ſepulchris jam manibus dare lilia plenis, purpureosque adſpergere flores, ultima illa rerum linea coëgit, non violati dimittantur.

Nec materiam hîc tractandam dedignabimini, ſpero, quæ ſeipſam commendat; non quòd ea, quæ conſcripſi, vanâ commendatione extollere his præſumam, neutiquam, dum meo me metiri modulo, ac pede ſcio, ſed quia de mediis, vacillantem auro contra chariorem ſanitatem, morbisque preſſam hominum vitam fulcientibus, agit; de mediis, quorum contemplationi, atque elaborationi Magna Orbis Lumina, Potentiſſimi aliqui Imperatores, Reges, Principes, aliique conſpicuo

honoris



honoris loco constituti Viri se tradere, non erubuerunt; de mediis, quibus divina illa Ars, quæ una, Plinio autore, ipsis Imperatoribus quoque imperat, utitur.

Sub Vestrâ itaque Magnificâ authoritate, hocce submissi mei erga VOS obsequij pignus, exiguum tenuis ingenij laborem, in publicum prodire conspectum, gratiosè concedite, eundemque, sub clypeo celebratæ Benevolentiæ Vestræ se reclinantem, desiderato efficaci patrocinio suscipite.

Et certè connata Vestra Benignitas de felici eventu me dubitare minimè permittit; cujus insignia in me beneficia jam toties sum expertus; sic ut imminentia Momorum tela, quasi in tuto constitutus, non expavescam.

Cæterùm pro Vestrâ salute vota indesinenter nuncupare pergam, Numenque Supremum supplex venerabor, ut diu VOS lætos, sospites, felices, pro communi Civium salute, clementissimè conservet, ac benignè concedat, quò Medicinâ raròò indigeatis, Consiliorum robore constanter valeatis, regimine tranquillo ex votò gaudeatis, omniumque desiderandorum bonorum confluxu, *Amplissimi Augustæ Patriæ Patres*, nunquam non abundetis.

Tan-



Tandem, in me quantum eſt, porrò annitar, ut debitâ devotione erga VOS nemini ceſſiſſe, videri queam.

Dabam è Muſæo Añõ O.R. M.DC.LXXIII. Menſe Martio.

ILLUSTRISSIMI NOMINIS VESTRI

cliens obſequentiſſimus, humillimus,

Lucas Schröckius, Luc. Fil. Medicinæ Doctor, & Phyſicus Auguſtanus.

LECTORI

LECTORI AMICO SALUTEM!

ANnus jam agitur vigeſimus ſecundus, ex quo *Johannes Zvelferus, Medicus Viennenſis*, temerario auſu *Celebratiſſimum Auguſtanorum Diſpenſatorium reformatum*, vel potius *deformatum*, luci publicæ primò expoſuit, ac cum *famigeratiſſimo Auguſtanorum Collegio Medico* parùm modeſtè & humaniter egit, ſed convitiis immaniter illud laceravit, anſâ maledicendi vel à leviſſimis, & vix nuce caſsâ dignis rebus, protervè ſæpius arreptâ. Conſtituiſſet quidem *laudatum Medicorum Synedrium* juſtam adverſario opponere apologiam. Aſt monitum à Viris in arte medicâ præ aliis Excellentiſſimis, ne cum homine ad contentionem nato, ignobile bellum iniret, amico conſilio locum dare haud detrectavit, ad meliorem frugem Zvelferum rediturum ſperans. Verùm dubiam emendationis ſpem *appendix*, annos poſt aliquot, *animadverſionibus* jam editis ſuperaddita, reddidit; quinimo *ultima Operum editio, cum Apologiâ contra Clariſs. Otton. Tackenij, Medici Veneti, Hippocratem Chimicum &c.* planè omnem abſtulit, *Auguſtanis* de novo ſalsè admodum, ſive inſulsè potiùs, ab homine illo ſe traduci, videre coactis. Quis arma juſta in efferatam iſtius Scriptoris dicacitatem arripere, indecorum putaſſet? Mitis tamen ac ad tranquillitatem compoſitus

Auguſtanorum animus, rabiem illam ſilentio compeſcere, magis decorum duxit, lunam, quod dicitur, ab allatrante invido cane obſcurari haud poſſe, ſibi perſuadens; præcipuè cùm eluſceret, *Zvelferum* non veritatis amore, nec virtutis ardore tam adverſæ mentis eſſe, ſed ut deprimat, alios medicos ipſius deliramenta non adprobantes, ſine erubeſcentiâ maledictis inceſſere. Quis virum illum morboſum medicè planè tractatum negaret? Hunc poſtquam fata tulêre, efferam iſtam quosvis ſine ullo reſpectu invadendi, mordendi, lacerandi libidinem, ſimul tumulatam fore, ſpes fuit. Aſt eventus longè aliud edocuit. Primus ſcenam Momorum repetiit Seplaſiarius aliquis, nomine *Fridericus Müllerus*, infernale virus denuò in *Auguſtanos* evomens. Nil ergo obſtabit, quò minùs, *Hippocratis* ad normam, morbus ille lenibus hactenus cedere remediis detrectans, aſperiùs tractetur, & quem olim in *Zvelfero*, tranquillum ſilentium ſanare haud valuit, reſponſum quaſi extortum in *Müllero* compeſcere queat. Quis enim temerariorum iſtorum, pacis & tranquillitatis perturbatorum, hoſticos inſultus perferre patienter ulterius queat? Præſertim quòd è ſilentio eorum, quos ſibi adverſos reddere tam injuriosè laborârunt, tacentes porrò provocârunt, victoriam jam partam imaginentur, indeque pæana canere, trophæa erigere, & tanquam re optimè geſtâ exultare, aliis inſultare ſibi præſumant, cùm tamen præter invidentiſſimum animum, ac loquacem arrogantiam in ſcriptis ferè nihil prodant. Quare ne modeſtia, hac ex parte religiosè hactenus obſervata, apud honeſtatis bonæque famæ patronos in opprobrium juſtè veniat, *Pharmacopœjæ Auguſtanæ*, à Præclariſſimis olim, & hodie etiamnum viventibus Medicis, perverſos, invidos, improbosque cenſores minimè expectantibus,

bus,

bus, ſed gratos potiùs ac benevolos lectores ſperantibus, non ſine magno ſtudio magnâque induſtriâ elaboratæ, honorem & ſplendorem, ab integro penè ſeculo illibatè conſervatum, pro virili defendere & imperterritè tueri, pietas ac reverentia, quæ Venerandorum Anteceſſorum tam acerbè læſis manibus debetur, inſtigant; tum ne poſteri habeant, quod de nimiâ, in neglectione vindicationis, facilitate noſtrâ ſiniſtrè judicent, refutationem hanc neceſſitas quaſi extorſit.

Licebit itaque nobis, ſine fraude, ſine alienâ ope, noſtra defendere, ac binis iſtis inhumanis miſocalis, qui tam improbè nos laceſſiverunt, mercedem pro merito tribuere: Quam dum ego, *Inclyto Auguſtanorum Medicorum Ordini* adjunctus, ſolvere præſumo, Candidus lector vitio mihi non vertet, nec inſolentiæ me inſimulabit, ſed aperti pectoris ſincerum hunc conatum benignè potius interpretabitur, ſpero; præſertim quòd ex Vitiligatorum iſtorum reprehenſione damnum, aut jactura non ſequatur, quin ipſum Veritatis precium, ac illibata *Collegij tam celebris* dignitas indè reſurgat.

Atqui, ut verum fatear, nunquam non faſtuoſus ille *Zvelferi* auſus ſummè mihi diſplicuit, qui omni humanitate exutâ, ea quæ non intellexit, temerè correxit; alia meliori quæ fieri poterant modo, inurbanè & loquaciter, modeſtæ admonitionis loco, exagitavit; verbo, omne id ſtrenuè executus fuit, quod Autoribus ægrè facere poſſe, ſciret. Quapropter ſæpius animo concepi, me nugas illas aliquando orbi erudito aperturum, aut eas *Auguſtanos* non latere, ſaltem declaraturum eſſe. Interea poſt peregrinationes, ad patrios reverſus lares, impudentiſſimum illud *Mülleri* ſcriptum luci publicæ expoſitum paulò poſt deprehendi. Quare cunctandum ampliùs non eſſe, ratus, quamprimum tempus

 permit-

permitteret, id quod jam dudum meditatus fui, perficiendum ſtatui, unâ fideliâ umbratilem *Müllerum*, atrasque *Zvelferi animadverſiones* dealbari poſſe concludens, eo magis ad id incitatus, quia *Müllerum* ex *Senecâ*, *convitiatori non reſpondere, convitium eſſe, pag. 14.* ſtatuere, obſervavi.

Nec eſt, quod quisquam ſibi imaginetur, me, *Collegio noſtro Ampliſſimo* inſtigante, hoc perfeciſſe. Unde ſi quid erravi, mihi, non illi Lector benevolus imputet. Et hæc eum in finem à me dicuntur, quò impudenti *Müllero* calumniandi occaſio præſcindatur; qui in ſuo, vel quaſi, *extemporaneo reſponſo ad Apologiam D. D. Raph. Schmuzij*, audacter adfirmare, *Auguſtanosq́;* inſimulare audet, quaſi ipſi *D. Schmuzium ſubornaſſent, ſtimulaſſent, continuò pupugiſſent, ut quosdam ſarcasmos, olidos germaniſmos, mixtos ſolœciſmos,* uti loquitur, *typo daret.*

Huic itaque adverſario, qui *Medicos Auguſtanos* calumniis & mendaciis tam iniquè adortus eſt, breviter & ſuccinctè, quòd luridæ ejus pagellæ Apologiam prolixam non mereantur, reſpondere conſtitui; non ut famam *Schmuzij*, cum quo nihil hîc negotij mihi eſt, vindicem, ſed ut illibatum *Auguſtanorum Collegij Medici* ſplendorem, qui ipſe per ſe clarus nullo indiget præconio, conſervem, maculam aſperſam eluam, veritatemq́ue propalando, omnibus *Mülleri* intempeſtivum atque riſu dignum zelum, qui inſtar *ſpectri Virgiliani* (*æneid. l. 10.*) - - - - *dat inania verba,*

dat ſine mente ſonum.

ob oculos ſiſtam.

Quo autem nomine antagoniſtam hunc compellem? *Mülleri* enim, *Umbræ, Zvelferi redivivi & glorioſi &c.* nomen in fronte gerit, *Hercules* etiam dici adfectat.

Herculis

Herculis nomen cum contra *Schmuzium* ſibi tribuat, ipſe, an eum tali epitheto decoratum velit, videat.

Zvelferus redivivus merito ſuo, ſi dexteritas calumniandi: *glorioſus*, ſi vanum aucupandæ gloriæ ſtudium, & dum plus ſibi de ſe, quàm alij, præſumit, penſitetur, vocari poſſet.

Umbram omnium optimè adpellarem, cùm reſponſi illius contra *Schmuzium*, autorem eum non eſſe, fama haud mendax huc detulerit. Nihil itaque, ſi author ſcriptum ſuum repetat, niſi inane nomen, inſtar ridiculæ illius æſopicæ corniculæ deplumatæ, remanebit.

Miror autem, *Müllere*, cur ſub umbrâ nominis tui alter ille latere deſideret. An eum pudeat (ut vero ſimile videtur) tam infamis ſcripti, an verò dignas extimeſcat pœnas, ipſe ſciet; me non angit. Ne tamen ſibi perſuadeat, (licet tenebris, quibus immerſus eſſe amat *Doctor* ille, hac vice eum extrahere, animus non ſit) quòd ignotus planè exiſtat; & ſic vel in poſterum virulento ſuo ſtylo nos impunè petere poſſe, ſibi imaginetur. Detractam enim ſibi larvam ſufficienter experietur.

Cur verò, *Müllere*, (ſic mihi jam vocaberis, & tanquam Umbræ author, non repugnante vero authore, habeberis) nomen tuum libello illi, haud (quatenus *Auguſtanos* petis) famoſi notam effugienti, præfixum vis? *Memorabile & conſtantis amicitiæ* (ut in *præfatione* habes) *exemplar erga Zvelferum quò ederes*, reſpondebis. Nec immeritò poſt fata etiam *Zvelferum* colis, à quo tot beneficiis cumulatus fuiſti, veritus forſitan, ne ſeveram eſſes incurſurus reprehenſionem, ſi tam citò veteris amoris adfectus & beneficiorum memoria in te detepuiſſet. An verò Mecænatem non niſi alios, ſine causâ, traducendo colere potuiſti? Quid ſi φιλαυτίας vitio, quo turgere

gere diceris, tam iniquum factum te commisisse dicerem, an à vero aberrarem, aliis morum tuorum gnaris expendendum relinquo?

Præcipuum, quo *Augustanos* invadis, uti supra jam innui, argumentum tuum est, ex falsâ præsumtione & criminosâ suspicione ortum, dum *in præfat.* Lectori persuadere conaris, ex nullo alio capite *Zvelferum* peti, quàm merâ invidiâ, sic blaterando: *unde sententiarum divortia; unde in Zvelferum odia quæris? quia vir bonus, felix in praxi, notissimus scriptis, & laudatissimus Augustanorum Reformator. Ut autem Zvelferum everterent, subornaverunt, stimularunt, continuò pupugerunt Schmuzium, donec tandem prodiret, & quosdam sarcasmos, olidos germanismos, mixtos solœcismos typo daret.*

Atqui quanta est tua temeritas, quòd *pag. 6.* ludicri libelli, ex istâ iniquè præconceptâ opinione, *Augustanos* vocas *Schmuzij clientes*; & *pag. 7. Collegium Augustanum* se *Schmuzij concredidisse tutelæ*, audacter adseris. Parùm, crede mihi, angit *Augustanos*, modestiæ & tranquillitatis amatores, utrùm *Zvelferus, Schmuzius*, vel alius conviciis superior palmam reportet. Turpis istiusmodi victoria in partes vestras quin semper inclinatura sit, vix est qui dubitet; tot egregiis fortitudinis in maledicendo à vobis jam editis speciminibus; quæ sive intimis vos *præcordiis* (tuis utor verbis, umbræ author) *aut medullis titillet*, sive præ gaudio exanimet, non curant *Augustani.* Prout nec *pro capite infixæ vobis an sint cucurbitæ, aut fungi procreati,* (ceu tibi fortè malè conscius *pag. 7.* persuades) iidem solliciti sunt. Qualiter autem caput tuum se habeat, apologia edita amplum cuivis, qui vellet, differendi præberet campum. Hinc (quod ipse metuisse te ais) labore

illo

illo edendi apologema ſuperſedere faciliùs potuiſſes, quum emendicatum nunc defendere vix ſufficies.

Cæterùm, num *Auguſtani Schmuzium* juſtæ ſuæ cauſæ patronum implorârint; an verò *Schmuzius Auguſtanorum* favorem ambierit, haud determino.

Certiſſimum eſt, *Auguſtanis* nunquam in mentem veniſſe, ut ſperarent, multò minùs expeterent tutelam *D.D. Schmuzij*, quem vix unus eorum novit. Nec certè, ſi *Zvelferi* animadverſionibus reſpondere dignati fuiſſent, opem ipſius pro defenſione ſuſcipiendâ implorâſſent.

Noſtrum itaq; *hinc & hinc perſiſtit jus, nullo modo*, quod putas, *claudicans*. Et *ſi bona cauſa*, prout ſcribis, *bono eget advocato*, quid verus Apologiæ editæ author dicet, qui nomen ſuum profiteri dubitavit, & forſan æquitati cauſæ diffiſus, ſub umbrâ nominis tui latere, ſatius duxit?

Tutetur partes noſtras, qui velit. Si rem benè & candidè peragat, laudes merebitur maximas; ſin defenſione ſuâ, proprio lubitu & iniquo auſu ſuſceptâ, in famæ nos diſcrimen adducat is, parùm æſtimabitur.

Pag. 10. pergit, in conjecturas audax, dicens, *Schmuzium* notorios facere complices his verbis: *vicit me doctiſſimorum virorum indefeſſus ſtimulandi animus.* Egregius ſanè interpres dictorum ejus, cujus patrocinium nunquam ambiverunt Medici, qui *Auguſtæ* ſunt. Mox nefanda ingerit vituperia ſequentia: *quicunq; illi ſint Antagoniſtæ peſſimi, ſapientiæ non merentur inſignia.* Ex hoc itaque *Schmuzij* capite, *Müllere, Auguſtanos Schmuzium* ſtimulaſſe, hujusque tutelæ ſe commiſiſſe, divinaſti. Verùm quàm frigidè in Logicorum Scholâ, quorum tamen ſyllogiſmos crepas, verſatus ſis, ſufficienter hoc ipſo comprobas; ſolâ ſcilicet opinione ductus tam turpiter ratiocinatus es,

tus es. Viri autem ſapientis eſt, cautius procedere, nec talia fallaci è fundamento depromta, pro certis venditare. Hinc tu, qui non benè exploratâ causâ, cùm tamen potuiſſes, calumnias iſtas in *Auguſtanos* mendaci ore protuliſti, *ſapientiæ non mereris inſignia, Müllere, Antagoniſta peſſime.*

Ut autem rem ab ovo, quod dicitur, deducam, orbiqúe pateſiat, quàm dulce tibi fuerit, à regio veritatis tramite recedere, tantùm in viros probos, pro connatâ libidine, debacchari ut poſſes; facilè imaginari tibi poteris, *epiſtolam* illam *apologeticam cujusdam Anonymi* (quem nonnulli hunc ipſum ſub larvâ tuâ deliteſcentem Doctorem arbitrantur; quod cùm parum ad rem faciat, in me haud ſuſcipio defendendum) *contra Schmuzium, operibus Zvelferi, Anno M. DC. LXVII. Norimbergæ editis, adnexam*, ob ſarcaſmos largiter inſperſos, intimas boni Senis adflixiſſe medullas. Hinc vindictæ, famæqúe adſerendæ cupidus, apologiam in vernaculâ & latinâ linguâ conſcripſit, ac utramque *Anno M. DC. LXIX. ad Excellentiſſimum Virum D. D. Jo. Balthaſarem Stangium, Collegij noſtri membrum honoratiſſimum, atque Celſiſſimi & Reverendiſſimi Principis, Epiſcopi Auguſtani Medicum, nec non Sereniſſimi Ducis Neoburgici Perſonæ Medicum & Conſiliarium*, cui tamen res hæc ſummè diſplicuit, miſit, tum illius, tum Collegarum expetens judicia; ubi, quòd reſponſum ſubſequeretur nullum, *22. Auguſti, ejusdem anni*, in literis ad ipſum *Collegium* datis talia perſcripſit: *tribus vel quatuor abhinc propè menſibus, apologiam quandam rudi Minervâ conceptam, D. D. Stangio & Collegæ Veſtro, contra Auguſtani Diſpenſatorij, meiq; maſtigem ſuſq; deq; malè feriatum Zvelferum, miſi, tum illius, tum aliorum venaturus judicia, quoniam non mei ſolius, verùm etiam, & præcipuè Celeberrimi Veſtri Collegij Medici plurimum intereſſe, mihi quidem videbatur. Hactenus tertiò vel quartò monitus non remiſit &c.*

Quibus,

Quibus literis *Collegium nostrum ultimo d. August.* hunc in modum respondit: *Dudum accepimus (non diffitemur) à honorando nostro Dn. Collega, D. Stangio, duplicem apologiam, in Latio & Vernaculâ contra Zvelferum ab Excellentiâ Vestrâ conceptam, eandemq; omnes & singuli perlustravimus, ac cognovimus justum animi dolorem, quem ex iniqui & maleferiati istius censoris, pessimo more quosvis, absq; ullo vel dignitatis, vel doctrinæ, vel experientiæ respectu protervè invadentis, nimis licentiosa laudabilium Vestrorum scriptorum censura, E. V. ad animum traxit. Nos quod attinet, fucos & fumos illos non curamus, nam licet εὐδοξίαν majorum obfuscare nitantur, splendorem tamen illis demere antiquum minimè valent; cùm à benevolis ac æquis venerandæ antiquitatis meritorum æstimatoribus facilè dispellantur. Nec tam humili & abjectâ mente sumus, ut versemur in formidine, ne ταπεινοφρονεῖν nobis objiciatur, moniti enim à Viris nostræ Facultatis primariis, ne cum homine ad calumniandum nato contentionis serram ducamus, meritò obtemperavimus, multò minùs jam cum larvâ aut manibus ejus pugnare animus nobis est. Habeat sibi gloriosus iste duodecumanus suam δοκησισοφίαν, nos manebimus in tranquillâ Diis hominibusq; gratâ modestiâ, & in bonorum studio, sic satis famæ nostræ prospectum erit. Cæterùm quòd in hunc usque diem apud nos permanserint Excellentiæ Vestræ scripta, (ut ingenuè fateamur) moræ causa fuit, quod honorificè præfatus noster Dn. Collega, D. Stangius absq; comitibus nostris literis illa remittere, sibi grave duxerit; quare id consilij inter nos cœptum est, ut absque ullâ cunctatione ablegari debeant, quamprimùm E. V. super hoc negotium à Collegio sententiæ suæ explicationem petierit: id quod jam bonâ fide præstamus, gratias pro communicatione agentes magnas, &c.*

Nunc tuum, æqui amans Lector, erit judicare, an *Augustani Schmuzium* ad apologiam promulgandam incitaverint; an potius amicè & humaniter dehortati fuerint?

Quare plura hanc in rem, tanquam ſuperpondia, haud adduco.

Sed primâ hac frivolæ ſuſpicionis nebulâ diſcuſsâ, plurima alia diluenda reſtarent, quæ tamen partim vix merentur reſponſionem, partim inferiùs adducentur. Obiter itaq; ſaltem nonnulla examini ſubjiciam.

Pag. 14. quærenti *Schmuzio : quis te Dearum infernalium ad tam immane & audax reformandi & abdicandi Pharmacopœiam Auguſtanam furiavit facinus?* (Noli ſimilia ex *Zvelfero* quærere, *D. Schmuzi,* vix veritatem apertè percipies. An neſcis, ad quid arrogantia invidiaque tam ſuperciliosos impellant?) *Müllerus* expeditè reſpondet : *luxuriantes errorum ſtolones, & per totum Auguſtanorum Diſpenſatorium velut infame folium* (lolium, dicere vis?) *& zizaniæ repentes, cum mendis defectus id exquirebant.* *Quæ te dementia cepit?* Si tamen amœnæ, ſalutiferæque herbæ idem tibi ſunt cum inutili zizaniâ, ideoque extirpandæ, viciſti. Aſt caveas, ne prudentiores hortulani temerarium tuum auſum conſpicientes, condigno te excipiant modo. Quam didiciſti artem, exercere, conducibilius tibi fore, exiſtimo, quàm ſi eo modo id, quod non intelligis, tractare præſumis.

Pag. 15. exclamas : *reformati eſtis,* (quomodo? peſſimè, & contra æquitatem. *Zvelferus* enim *is non fuit, cui data poteſtas reformandi pharmacopolia*) *cuſi, recuſi,* (quò ſæpius prelo ſubjicitur liber, eò gratior lectori judicatur eſſe; idem *Pharmacopœiæ Auguſtanæ* toties cuſæ debetur) *formam debetis Zvelfero* (egregiam formam, dum benè formata, reformatis, deformatis, deſtruitis! An autem forma illa *deformati Diſpenſatorij Zvelfero* debeatur, *Höferus,* infra audiendus, unà cum aliis judicet.) *Prius ſolio deturbabitur Apollo,* (*Flecti dum nequeunt ſuperi, Acheronta movere,*

movere, præſumis) *omnesq́; claudentur fabulæ* (quas ad nauſeam usque ſubinde produxiſti) *quàm Auguſtani Reformatoris* (Deformatoris) *nomen abrogabitur.* (ô bruta fulmina! Nec Herophili, famoſi illius templi Epheſi incenſoris, nomen, ullum ſilere ſeculum, memento.)

Objicis ulterius: *ne ſyllogiſmum quidem* (quid tua craſſa Minerva ſyllogiſmos crepat? nòn venduntur ij in pharmacopoliis, aut ibidem addiſcuntur) *ſpatio annorum ſeptendecim, quibus Zvelferus cenſuram ſuam edidit, in tutelam Pharmacopœiæ ſuæ & Zvelferi confutationem*, Auguſtanos *efformâſſe.* ô, quàm tremenda objectio! Percepiſti credo, ſuperiùs abundè cauſam diuturni illius ſilentij; & ſi hebes tibi fuerit ingenium, diffuſiùs explicatum tibi in poſterum iri, confide.

Cauſam ſilentij, omni depoſito pudore, *timori* imputas. An tam horribilia vos monſtra eſſe, prædicas, quæ terrorem omnibus incutiant? Licet Herculis adfectes nomen, præter hoc vix quidquam Herculeæ virtutis tibi conceditur. Quinimo ſi timorem inhibuiſſe reſponſum, quod tamen conſtanter pernegatur, conſentirem? Cùm viperini veſtri dentes, quosvis immaniter mordentes, & calumniarum veneno inficientes, à conſortio & certamine veſtro ut alios revocent, apti ſint.

Pag. 16. iterum provocas: *ad arenam venite, diſputate.* Nimiùm abuteris patientiâ noſtrâ. Diſputare cum homine ἀμύσῳ, indecorum, fruſtraneum eſt.

Verùm nec hîc nugarum terminus eſt, dum novum mendacij ſpecimen expeditè edis, putidè nugando: *ſubornaſtis præclaros viros & doctos, de quorum numero D. Tackenius, felix Practicus.* (En! ut *Tackenio* adulatur, & contra *Zvelferi,* Mæcenatis ſui, mentem, eundem *Virum præclarum, doctum & felicem*

Practicum vocat.) Nunc, *optime Tackeni*, ingenuè & apertè ediſſere, an *Auguſtani* te ſubornaverint, ut *Hippocratem* tuum *Chimicum* in lucem publicam produceres? An amicitia Tibi cum iis interceſſerit? Nihil tale olim ex Te audire licuit. Tuus ſolus, *Müllere*, (quod nec *Zvelferus* quidem auſus fuit) calamus adſerere illud, non dubitat. Interea tam diu mendax habeberis, quàm diu *Tackenium*, ut *Zvelferum* invaderet, ab *Auguſtanis* ſubornatum fuiſſe, nugari perges. Tibi verò, Lector benevole, ſequentia è literis dicti *Tackenij*, *Anno M. DC. LXXII. 21. Martij*, *Venetiis* ad me perſcriptis, verba excerpere volui: *Sanctè fateor, me de Auguſtanorum Collegio huc usque temporis (te excepto) cognoſcere neminem, & nunc (ni fallor) tertius evolvitur annus, ex quo me Tibi Schenckij authoritate obligat amicitiæ fœdus. Quisquis ſit mendacis hujus auctor libelli, qua teſtimoniorum baſi talia mendacia ſuffulciat, ignoro: nulla enim neceſſitas elucet, qua compulſum Nobiliſſimum Auguſtanorum Collegium mibi calcaria ſubdiderit, ut Reformatoris faſtus, ſuperbia, furor oppugnaretur, &c.*

Pag. 17. novis concitatus furiis, apertè provocare pergis. Quàm verum eſt: *quò quis indoctior, eò impudentior.* Audiviſti credo, tecum, tecum, inquam, ἀμύσῳ, diſputando congredi, indecorum eſſe & fruſtraneum. *Sutor ne ultra crepidam* judicet. Tuum, *Müllere*, eſt, pharmacis juxta præſcriptum Medicorum ritè parandis invigilare, non diſputare.

- - - - *Illâ ſe jactet in aulâ*

ingenium tuum, nunquam non illius dicti *Horatiani* memor: (*lib. 1. epiſt. 14.*)

Optat ephippia bos piger, optat arare caballus.
Quam ſcit uterque libens, cenſebo, exerceat artem.

Si itaque in te *boni viri character* (tuis te compello verbis) *& nota, ſcintilla famæ, & vel mica ſalis & prudentiæ*, in poſterum

digito

digito labellum compeſcas, nec in Virorum bonorum famam, quibus te nauci æſtimandum præbes, ampliùs involes.

Satisfiet autem petito tuo, & monſtrabitur, *Zvelferum* ſæpe *craſſos, palpabiles & trabales errores* vocare, qui errores non ſunt. Monſtrabitur, *Zvelferum minùs debitè in Auguſtanos animadvertiſſe.* Monſtrabitur, *Zvelferum* iisdem animadverſionibus, quas Auguſtanis deſtinavit, impegiſſe. Monſtrabitur, *Zvelferum* multoties alienis plumis ſuperbire. Monſtrabitur, quantùm occaſio & materia alicubi ferunt, quid de uno & altero medicamento *Zvelferi Pharmacopœiæ*, quam *Regiam* vocat, ſtatuatur.

Interea te, aliaque convitia ab impudenti calamo tuo in *Auguſtanos* effuſa, miſſa facio, ſaniorem tibi exopto mentem, & ne ampliùs improbum hoc aliena mordendi ac magnis mendaciis adſpergendi, negotium adgrediaris, amicè adhortor.

Nunc ad *Zvelferum* me converto, qui licet in cavillis ſuis adeo acerbè cum *Auguſtanis Medicis* egerit, ut ſi paria illi reponere, & juſtam calumniarum vindictam moliri, animus eſſet, ſatyrici ſales abundantiſſimè convocandi eſſent, nitrum pro eo defricando deficeret, & modeſtiæ cancelli, intra quos Viri docti ſe continere debent, excedendi forent. Quam enim alicui quis non præſtat, ab eodem certè non exigat lenitatem. Nihilominus à gravioribus animi motibus abſtinebo, ſeveriora ceſſabunt ſcommata; &, quantùm virulentum illud ſcriptum permittet, leni manu ulceroſas *Zvelferi animadverſiones* tangam. Cùm mihi ratio habeatur, non quod iſte meritò audire debeat, ſed quod benignas aures haud offendat.

Obgannient quidem nonnulli, & inhumanum dicent, vindi-

vindicias contra *Zvelferum* jam defunctum moliri; facile eſſe, demortui refutare ſententiam; de mortuis non niſi benè loquendum; & quæ hujusmodi alia objicere conſueverunt. Non tamen hæc à propoſito retrahere me valent, qui minimè *Zvelferum* exagitandum, ſed *Auguſtanorum Diſpenſatorium* contra *ejus animadverſiones* defendendum, conſtitui.

Nec cum larvis luctari, dici potero. *Redivivum* enim modò audiviſtis *Zvelferum*, in gloriabundum *Müllerum* animâ *Zvelferi*, per μετεμψύχωσιν Pythagoræam, transmigrante.

Qui verò piaculum eſſe, mortuis inſultare, clamitant, nimiùm iniquos hi ipſi erga *Zvelferum* ſuum, in tot defunctos absque causâ crudeliſſimum, ſe præbent. Nam quot ſcommatibus *Exc. Mindererum, fatis jam dudum functum*, exagitat? Quàm protervè in plurium aliorum tum antiquorum, tum recentiorum, imò omnium Medicorum, qui à condito mundo in arte pharmaceuticâ quid ſcripſerunt, diſpenſatoria antiqua adprobarunt, & eorum medicamentis uſi fuerunt, manes involat, pungit, convitiatur?

Et eò graviùs quidem deliquit, ac naturæ & conſcientiæ repugnavit *Zvelferus*, qui non provocatus, imò ne verbulo violatus, habenis ultrò laxatis, Virorum in re medicâ peritiſſimorum atque de eâ meritiſſimorum, famam pruriente calamo peſſundare adlaboravit; nullâ, quæ alicujus momenti foret, causâ impulſus. Quam enim toties adducit, veritatis ſcilicet amorem, artis pharmaceuticæ ac proximi emolumentum, an admitti poſſit, dubium relinquitur; bonum utpote prætextum re ipsâ dubium reddente. Et ponamus, unicum illum fuiſſe *Zvelferi* ſcopum, an iſte conatus absque convitiis & ſcommatibus perfici non potuit? An in genere, ſi qui errores artem pharmaceuticam tenuerunt, leniter

emen-

emendari haud potuerunt? An *Pharmaçopœja Augustana* desiderio huic inservire debuit?

Non equidem videri vult, ac si *convitiandi libidine aut cavillandi* (ut *pag. 18. apolog. contra Tacken. habet*) illud peregerit; *sed solo unoq; communis boni ac emolumenti studio. Pag.* insuper *seq. 19. nulli injurium* se fuisse, & *neminem Augustanorum se suggillasse, aut in particulari commemorasse*, scribit. Ast falsissimum hoc effatum esse, *animadversiones ejus* abunde edocent. Quot cachinnis excipit Authores medicamentorum *Dispensatorio Augustano* insertorum? Quoties *insulsas, inutiles, ineptas, inconcinnas, ridiculas, vanas, stupidissimas, absurdas, ad destructionem ægri excogitatas &c.* vocat eorum compositiones? Ipsos etiam Authores gloriolæ cupidine prurientes, ignaros, & nescio quibus aliis probrosis nominibus onerat? Quàm acerbè *in honorificè præfatum Mindererum, scriptis celeberrimum*, toties debacchatur? Et hic est ille homo, si Diis placet, *pacis & tranquillitatis cultor*; uti *pag. 84. dicta apologia*, se ipsum commendat.

Certè si quod res est, dicere velimus, invidiâ præcipuè & arrogantiâ turgidum animum, ad tantum facinus perpetrandum, incitasse *Zvelferum*, probatæ fidei Viris videtur.

Invidiosus, inquam, livor arma hæc in *Augustanos* movit, quorum *Dispensatorium*, prout *animadversionum prooemium* habet, *ubivis in Germaniâ à Medicis & Pharmacopœis receptum* est. Hanc operis celebritatem obliquis intuitum oculis, ex animo hominum excludere illud tentasse, vero est simillimum. Quo ipso *Augustani* habent, quod sibi gratulentur; nec etenim, ut invidia à se exulet, desiderant, certi, invidiam esse pedissequam virtutis, imò cum ipsâ pronasci. Unde laudem merentur, qui invidos habent, tanquam indubitatum signum, eos doctrinâ, sapientiâ, vel aliis dotibus, præ cæteris eminere.

Igno-

Ignobiles & abjectæ ſortis homines invident; non autem ipſis facilè invidetur.

Arrogantiâ etiam, dum ſolum ſe arbitratur *Zvelferus*, quem æquus amavit Jupiter, excitatus, nominis ſui immortalitatem ſibi parere ſe poſſe, dubio procul judicavit, ſi everſo *celebratiſſimo, & ubivis in Germaniâ recepto Auguſtanorum Diſpenſatorio*, ſuas obtruderet chartas.

Hoc in memoriam mihi revocat dignam illam memoratu *Galeni* ſententiam, *lib. 2. de comp. medic. per gen. cap. 13.* prolatam: *Plerique Medicorum à pharmacis, quæ optimi quique Medici longi temporis experientiâ ſatis probarunt, eoq́ nobilia reddiderunt, hac ratione ſolùm abſtinent, ut ipſi melius quippiam habere videantur.* Vivis ſanè coloribus arrogantia *Zvelferi* hîc depingitur; cujus ipſemet per totum librum ſuum luculentiſſima veſtigia impreſſit, & præcipuè *in proœmio Pharmacopœiæ Regiæ*, dum hoc ſuum diſpenſatorium *pro normâ & ideâ, ad quam alia conformari poſſint,* venditat gloriabundus Dictator, illud Pythagoræorum: αὐτὸς ἔφα, *Zvelferus hoc dicit,* adfectans.

Hinc quod ipſe non invenit, id ferè omne monſtruoſis lacerat conviciis, adeo ut commodiſſimè illud *Terentij* ipſi adplicari poſſit:

Homine imperito nunquam quidquam injuſtius,
qui, niſi quod ipſe facit, nihil rectum putat.

Unde in *App. Animad.* tot diris verbis in illos involat, qui meliora edocti, medicamenta ſua ad normam animadverſionum ſuarum parare recuſarunt.

Execranda autem eſt ejuſmodi illicita in medicâ arte principatus adfectatio, quem tamen jam occupaſſe *Zvelferum*, nonnulli arbitrantur. Sic excuſſus ſupra *Müllerus pag. 27. citatæ apologiæ* exclamare non veretur: *tota jam Europa applaudit doctrinæ*

doctrinæ Zvelferianæ. Perlustremus parùm, quid veri subsit. Distinguere utique debuisset sine ratione differens *Müllerus*, & dicere: non tota Europa, sed nonnulli Europæ incolæ, Medici ac Seplasiarij, doctrinæ Zvelferianæ totis viribus adplaudunt.

Si tota Europa *Zvelfero* subscribit, quanam in mundi parte collocanda erunt loca, quæ repudiatâ normâ Zvelferianâ, Augustanam sequuntur? Vanitatem vanæ illius gloriolæ arguunt *Francofurtenses, Hafnienses Medici clarissimi &c.* quorum Illi *statutis Pharmacopolas concernentibus, Anno M. DC. LXIX. editis tit. 3. §. 9. seqq.* inseruerunt: Die medicamenta composita, so in den Apothecken ad usum reservirt werden / sollen aus dem Dispensatorio Augustano (*nulla hîc de Zvelferiano mentio*) zubereitet werden. Hi verò quid de *Pharmacopœiâ Augustanâ* sentiant, *Vir omni laude major Th. Bartholinus, in præfat. Dispensat. Hafniens. Anno M. DC. LVIII.* in lucem editi, his verbis innuit: *Sequuti sumus presso pede instructissimam Medicorum Augustanorum Pharmacopœiam, ad cujus normam pleraque nostra exegimus.*

Incomparabile illud artis medicæ decus, Joh. Theodor. Schenckius, post fata etiam mihi colendus, in dedicatione partis primæ medicinæ generalis, Collegium nostrum sic alloquitur: *Dispensastis unà cum Pharmacopœiâ plus quàm Regiâ, & cui antea major nulla, nec posthac ulla aliqua erit superior, famam Vestram.*

Quid de *Inclyto Noricorum Medicorum Collegio* dicam, quod *animadversiones Zvelferianas* Censuræ suæ, ante primam earum impressionem commissas, typis indignas judicavit; *Amplissimus* itidem *ibidem Senatus* pariter rejecit, literis eâ de causâ huc perscriptis, illud attestantibus? Quinimò publicum ejus rei prostat testimonium, *Vindiciis Helvici Dieterici adversus Ott. Tackenium, pag. mihi 222.* insertum, ubi *præfatum Collegium Noricum*

 his

his verbis *Dietericum* alloquitur: *tempora hæc ut infamiâ laborant, ita infrunitâ fronte infames alunt beſtias, in quas ſeſe interfecti pudoris homines, donec ſatientur myricâ, transformant. Quotidiè illorum morſiunculas experimur, & nobiſcum alij viri cordati, quos eruditio & velocibus quadrigis honor ſuper æthera vexit. Quid auguſto Auguſtano Collegio acciderit, mundus loquitur immundus, mundus autem & candore terſus improbat.*

Porrò (ut hoc obiter addam) quantùm ex fidâ aliorum relatione mihi conſtat, *Ratisbonæ, Argentorati, Ulmæ, Dantiſci, Regiomonti, Berlini, Baſileæ, Tiguri,* multisque aliis in celebrioribus *Germaniæ,* & conſequenter *Europæ,* urbibus, non *Zvelferiana,* ſed *Auguſtana Pharmacopœia* adhuc in uſu eſt.

Sic igitur eluceſcit, vana eſſe ſomnia, & blandas titillationes (an dicam ſordidas adulationes?) de univerſali *Diſpenſatorij Zvelferiani* adoptione, larvatumque *Müllerum,* pro more ſuo, à veritatis tramite declinaſſe.

Aſt poſito, totam *Europam,* (quanquam multitudo errantium erroribus non pariat patrocinium) *Zvelfero* adplaudere; nonnullis pharmaceuticam artem ſpectantibus monitis; non injurioſo in *Auguſtanos* calamo ipſius, adplaudet. Sic non omnibus ejus Amicis injurioſa illa verba probata fuiſſe, *Auguſtani* probè norunt. Sciunt, *Zvelferum,* ab Amico monitum, ut rejectâ verborum aſperitate, meliùs rem iſtam perageret. Quanquam ſurdo narrata fuerit fabula, qui à conceptâ ſemel animo ſententiâ dimoveri noluit.

Sed ut propiùs ad ſcopum accedam, uno quidem ariete tota iniquarum animadverſionum moles disjici poſſet; cùm *Auguſtani Diſpenſatorium ſuum* typis evulgaſſe videantur, non ut ex eo ipſam medicamentorum præparationem Pharmacopœi addiſcerent; ſed potius ingredientium ſeriem doſimq;

oculis

oculis subjecta haberent, omni industriâ observanda. Nihil tamen per hocce derogatum ipsi volo, quia maximâ ex parte præparationes in eo traditæ firmo stant talo, non indigæ rigorosâ reformatione.

Magnus Conringius cap. 11. introduct. ad medicinam animadversiones *Zvelferi* ex parte quidem laudat, sed laudatissimis quibusdam viris nimiùm insultare ipsum, addit. Propterea quoque *Flaminium Guastonem lib. de peste thesi 61.* illas *Zvelferi* animadversiones *parùm pudicas* vocare, arbitror.

Esto autem, in aliquibus compositionibus *Augustanos* errasse. Esto, à *Zvelfero* justè ipsos corrigi. An ideo tam mordaci, protervo & virulento calamo petendi erant? An potius moderato animo illa, quæ reprehensione digna judicabantur, notare conveniebat? Esto, *Zvelferianas animadversiones* omnibus numeris absolutas esse. An tot scommatibus coronandæ erant, non nisi autori, merito suo, dedecori futuris? *Quercetanus*, *Sennertus*, & multi alij præclari Medici, *Zvelferum* multis parasangis eruditione superantes, in quosdam Pharmaciæ errores etiam animadverterunt; ast non adeo inhumanos in eorum autoribus exagitandis, se præbuerunt.

Debita correctio, tranquillo animo instituta, eruditis & modestis hominibus grata acceptaque est; econtra concitatiore cum animo quæ fit, detestanda censetur. Adplaudunt & *Augustani*, non invident, non fremunt, si speciosis, sapientiæ ac modestiæ verbis eventus respondeat. Minimè negant, aliqua meliori modo fieri posse; illa omnia tamen planè fallere, pernegant.

Ut jam non dicam, multos adhuc non immeritò dubitare, an nova medicamentorum præparatio, in cerebello fa-

 stuoso

ſtuoſo excogitata, eundem ſalubrem cum illo Veterum, ab almâ Medicinæ matre, Experientiâ, in tot ægrotorum myriadibus ſufficienter, per filios genuinos, quos Orbis Medicus stupuit, comprobato modo ſortiantur? Arduum enim eſt, ejusmodi noviter à ratione inventorum medicamentorum experimentum demum inſtituere; cùm ſæpe ſæpius illa, rationi quàm maximè conformia viſa, experientiæ cenſuræ ſubjecta, effectum deſideratum minùs feliciter conſequi deprehendantur. Digna eſt, quæ hîc adducatur ſententia, quam *ſummæ authoritatis Medicus, Dan. Sennertus in Oper. ſuor. Practicor. præfat. è Foreſto,* contra iſtiusmodi Novatores decernit: *Temerarium & inſignis ſtultitiæ argumentum eſt, in ancipiti medicamento periculum facere, quando nulla cogit neceſſitas, & meliorum copia ſuppetit.*

Nec defuerunt Majoribus noſtris, ſcientiâ medicâ eminentiſſimis, rationes, temporum injuriâ nos fortè latentes, ut & experientia, quò medicamenta eo, quem tradiderunt modo, præpararent. Ut ita indiſcriminatim pro lubitu illa corrigere velle, hominis prorſus temerarij; imò Præceptores insuper (quo nomine antiquos Medicos jure dignamur, à quibus fundamenta, magno cum labore & diligentiâ jacta, accepimus; quibus dein alia aliqua ſuperſtruere, facilioris negotij eſſe videtur) tot ſcommatibus traducere, eorumque præcepta, ex fido & firmo manantia pectore, injurioſè evertere, impij ac ingratiſſimi diſcipuli foret.

Sanctè adfirmare poſſumus, ſcribit *Joh. Theod. Schenckius part. 1 Syntagm. componendi & præſcrib. medicam. ſect. 1. cap. 2. Veterum formulas primum ad aſpectum ſæpiſſimè inconcinnas videri, à docto tamen peritoq; pharmacopola ſecundùm artem elaboratas, artificij pleniſſimas eſſe, ſicq; præter meritum & ſatis intempeſtivè caſtigari corrigiq;.*

Credite,

PRÆFATIO.

Credite, verba ſunt *celeberr. Melch. Sebizÿ in præfat. ſpeculi medic. pract. Veterum compoſitiones non niſi ſingulari DEI præpotentis providentia conſervatas, & ad noſtram usque ætatem propagatas fuiſſe, ut ingrati cuculi, imò & injurioſi in Conſervatorem & Propagatorem, DEUM Optimum & Maximum, meritò cenſendi ſint, qui compoſitiones officinales ſummo cum judicio excogitatas, longoq; uſu comprobatas, ridere & flocci pendere, aut prorſus eliminare minimè erubeſcunt.*

Si errârunt, humanum quid eſſe, errare, adverſariorum cohors ſciat. Non malitiâ; ſed humanâ imbecillitate, rei gravitate, aliisq́ue negotiis maximè arduis preſſi, errârunt. Humana idcirco correctio pariter ſit, neceſſe eſt; quam tamen cuivis Momo & Blateroni inſtituere, integrum haud eſt ac licitum.

Quis autem ſe perfectum, verè gloriari valet, ut non poſteris nova inveſtigandi, vel antiqua perfectiora reddendi, anſam relinquat? Certè & *Zvelſeri* defectus ſcripta propria loquuntur, poſteri teſtabuntur.

Non omnia poſſumus omnes, nec quidquam uno tempore ſimul inventum, excultum & confirmatum dici meretur. Succeſſivè cuncta incrementum capiunt. *Multa*, inquit *Seneca natural. quæſt. lib. 7. cap. 31. venientis ævi populus ignota nobis ſciet. Multa ſæculis tunc futuris cùm memoria noſtri exoleverit, reſervantur. Puſilla res mundus eſt, niſi in illo quod quærat, omnis mundus habeat. Non ſemel quædam ſacra traduntur: Eleuſis ſervat, quod oſtendat reviſentibus. Rerum natura, ſacra ſua non ſimul tradit. Initiatos nos credimus: In veſtibulo ejus hæremus, illa arcana non promiſcuè, nec omnibus patent: reducta & in interiore ſacrario clauſa ſunt. Ex quibus aliud hæc ætas; aliud, quæ poſt nos ſubibit, adſpiciet.*

Dandum

Dandum igitur aliquid priorum seculorum compositionibus, suspendendum est aliquantisper judicium, si quandoque bonus dormitavit Homerus. Perfectum quid, arduum præcipuè quod est, reddere, non humanis competit viribus; sed divinæ proprium censetur naturæ. Quod cumprimis in arte pharmaceuticâ locum invenit, quæ amplissimo circumscribitur circulo, semperque nova investigandi, inventa ulteriùs perficiendi, modum relinquit. Quilibet igitur doctus & ingenuus medicus, quodlibet Dispensatorium continere nonnulla, correctionis, successu temporis, rationis & experientiæ ope instituendæ, indiga, haud inficias ibit.

Hinc nimiùm decipitur *Zvelferus*, solum se albæ gallinæ filium credens, dum *Augustanos*, & cum iis omnem venerandam Antiquitatem, qui cuncta summè perfecta in *laudato suo Dispensatorio* haud tradiderunt, tam acerbè culpandos censet. Memor esse debuisset triti illius: *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.*

Si paria referre liberet, *Zvelferus* malè mulctatus abiret. Multa enim tum *Animadversiones*, tum *Pharmacopœia Regia*, cum ejus *Mantissa Spagyrica*, virgulam censoriam non sustinentia, continet, multa etiam, quæ meliori modo fieri possent.

Miror autem, quòd *Augustanos* artem medicamenta componendi, docere audeat turpis Doctor, sibilo potius quàm auscultatione dignus. Juxta enim illud vulgare:

Turpe est Doctori, cùm culpa redarguit ipsum.

Nam quid turpius esse potest, quàm erroris reprehensorem simul esse, & fautorem? Quid turpius, quàm fundamenta pharmaceutica aliis, docendo, tradere, & eadem tradita ab ipso autore non observari?

Qua-

Quapropter *Zvelferus*, aliorum in vitiis, oculis lynceis praeditus, in propriis talpâ cœcior, *Auguſtanos Medicos* dum reprehendit, ſe ipſum conviciis obruit. Quæ enim in iis corrigit, majori ex parte in ipſo pariter corrigenda deprehenduntur.

Quo ipſo argumentis pro defenſione *Pharmacopœiæ Auguſtanæ* adducendis, eò validius robur ſubminiſtrat. Hoſtis utpote teſtimonium, aut magnoperè æſtimandum veniet; aut nævi inſignes, quos *Auguſtanis* adfricat, in ipſo manifeſtati, omnium ludibrio exponentur, quos prius delere, *Zvelferianis* incumbet, antequam aliorum tangere licebit.

Addictiſſimis inſuper his *Zvelferi* adſeclis anſa præbebitur, quò in poſterum, conſideratione alienorum errorum, cautiores procedant, ne ad eundem lapidem impingant, quem aliis cadendi cauſam fuiſſe, opinantur. Diſcantque, ῥᾷον μωμεῖσθαι, ἢ μιμεῖσθαι, *facilius eſſe vituperare, quàm imitari.*

Et eò majori dedecori hoc *Zvelfero* cedit, quò diutius in diverſorum Pharmacopolarum ſervitio ſtipendia meritus fuit, atque in conficiendis medicamentis per ſedecim annorum decurſum unicè deſudavit; ſic ut facilè meliores aliquot conficiendi pharmaca modos, alienis ſumtibus, ſibi adquirere potuerit, quàm alij Medici, non unicæ Pharmaciæ, ſed reliquis ſimul medicinæ partibus ſtrenuam, ut par eſt, operam ac ſtudium navantes.

Rem ipſam itaque eò alacriùs adgredior, Tibique, Lector Benevole, PHARMACOPOEIAM AUGUSTANAM priſtino ſplendori RESTITUTAM, ac ZVELFERUM magnâ ex parte à ZVELFERO REFORMATUM ſiſtere pergo.

Duram

PRÆFATIO.

Duram equidem in me ſuſcepi provinciam, inexpiabiles mihi imminere inimicitias prævidens, quæ non immeritò animum ab inſtituto revocare poſſent. Quis enim Adverſarios in fermentum actum iri, dubitet, dum famam, quam ex Auguſtanorum ruinâ aucupari, Anteſignanus eorum conatus fuit, periclitari obſervabunt? Sanè non ſemel illud *Plauti (Trucul. act. 4. ſc. 2.)* memoriæ occurrit:

Si ſtimulos pugnis cædis, manibus plus dolet.

nec non illud:

Bacchæ bacchanti ſi velis adverſarier,
ex inſanâ inſaniorem facies, feriet ſæpius.

Verùm omnes Ariſtarchorum ſuperciliosas animadverſiones firmo pectore rideo, quorum maleferiatarum linguarum ſordes animum veri amantem nihil quidquam maculare valent.

Non placet, *Zvelferum* pro Numine quodam doctrinæ venerari, ut fœdo illo obſequio Amicos mihi conciliem. Apage cum ejusmodi Adulatorum deliciis!

Tu ne cede malis, ſed contra audentior ito. (Virg. Æn. 6.)
Juſtum & tenacem propoſiti Virum,
non civium ardor prava jubentium,
non vultus inſtantis Tyranni
mente quatit ſolida. (Horat. l. 3. carm. od. 3)

Inimicitias exerceant Veritatis oſores; non deerunt alij juſtæ cauſæ adplauſuri, imò cavillandi improborum audaciam frænaturi. Præcipuè cùm iniquæ illæ *Zvelferi animadverſiones* non ſolos *Auguſtanos*, ſed omnes omnium Diſpenſatoriorum autores, & *Pharmacopœiæ Auguſtanæ* adprobatores petant. Nam *in prooemio, omnia ac ſingula diſpenſatoria iisdem & æqualibus erroribus defœdata* eſſe, ſcribit *Zvelferus*; imò reliqua

multò

multò majoribus, craſſioribus ac abſurdioribus ſcatere, ipſi tacitè dicuntur; dum *inter omnia Auguſtanum* adhuc *adprobatiſſimum* nominat. Quod dum Germani aliæque Nationes, authoritate Imperatorum, Regum, Principum, & Statuum Imperij adprobârunt, ac inſigni cum ægrotorum adplauſu in officinas ſuas adoptârunt, Ipſos non minùs, quàm *Rempubl. Auguſtanam*, nefandorum errorum, & ſuorum ſubditorum ægrotorumque interitus, impio ore accuſat *Zvelferus.*

Sæviat nunc animis ignobile vulgus. Fremant, pungant, inſaniant; virtutem licet hac arte premant, non oppriment. Quò duriores ſe præbent, eò fortiùs inſtandum erit. Quò magis invaluit morbus, eò cautiores alij ſe præbebunt, & ne, pravorum excrementorum copiâ nimiùm coacervatâ, tumidi iſti crepent, proſpicient. Nam

Creſcit indulgens ſibi dirus hydrops,
nec ſitim pellit, niſi cauſa morbi
fugerit venis, & aquoſus alto
corpore languor. (Horat. 2. carm. 2.)

Non quidem committam, ut in verba Anteceſſorum juraſſe videar; quorum præclara monita & inventa cum doctioribus Medicis, debitis laudibus extollo, amplector, defendo; errores benignè excuſo; defectus humaniter ſupplendos exiſtimo.

Nec abſimilis ſententiæ fuit *Excell. Dn. D. Dan. Geygerus, nunc piè defunctus*; Cujus de epiſtolâ quidem, tanquam inſigni, optimè (ſcilicet) reformatorum & exagitatorum *Auguſtanorum*, ſigillo, Adverſarij gloriantur; ita ut etiam partem ejus aliquam *Zvelferus pag. 8. & 9. Refutationis Tackenianæ*; nec non alter *Anonymus, apologiæ contra Schmuzium autor, p. 260. & 261.* typis evulgare curaverint, & *D. Geygerum*, quaſi ſimpliciter *Zvelfero*, & per conſequens cavillis etiam ejus ſubſcriberet,

D nullo

nullo suo merito adduxerint. Ut verò famam Viri illius Celeberrimi, ne in suspicionem perfidiæ in Patriam Augustam, & proprium honorem, (cùm membrum Collegij patrij fuerit) apud probos, honestos & eruditos viros incurrat, vindicem, simulque hostiles Invidorum conatus patefaciam. Lector Benevolus, totam rei seriem succinctè propositiuro, mihi patienter auscultet, rogo.

Sciendum itaque, quòd adducta *citatis locis* epistola, neutiquam integra sit, & prout à *D. Geygero* scripta fuit; sed tantùm pars ejus aliqua, quatenus nempe pro *Zvelfero* militare videtur. Id quod testimonio ipsius *Geygeri*, ex literis propriis huc missis, confirmare licet. Unde *Dispensatoria continere talia quædam, quæ limam rationis ac experientiæ ferre non possint*, benè quidem existimavit *Geygerus*; *ast tam protervè, tam impiè, tam sceleratè*, verba sunt Ipsius propria, *in eorum authores invehi, ac venerandam violare antiquitatem, illud rem minimè ferendam*, pariter statuit.

Quapropter in suis *Anno M. DC. LII. 22. Julij*, ad *Nobiliss. Dn. D. Joh. Henisium, Com. Palat. Cæs. Equit. D. Marci, piæ memor.* nec non in aliis, ad *Excell. Dn. D. Dan. Widholzium, hoc tempore Collegij nostri Seniorem, Vicarium &c. venerandum, 1. Novembr. & 25. Decembr. ejusdem anni*, Posonio Augustam missis literis, Collegas ad Apologiam *Zvelfero* opponendam ultrò excitavit, nec absque famæ jacturâ sileri posse, judicavit; *boni omnes*, inter cætera scribens, *avidissimè expectant, imò optant, ut sputa illa petulantissima non tantùm salubri lixivio abstergantur, verùm ipsi authori, ut par est, rursum reddantur. Mihi quidem videtur maximi res momenti & virgulâ dignissima Criticâ.*

Porrò quo in precio Ipsi fuerit *Zvelferus*, ex *epistola ad D. Henisium* sufficienter patet; ubi, præter notatum unum & alterum *Zvelferi* errorem ac *ἀνιλογίαν*, *malum corvi mali ovum*,

librum

librum Zvelferianum; atque *ſceleratas nimis & impiiſſimas caſtigationes* vocat Animadverſiones ejusdem; *Zvelferum in Auguſtanos & alios optimè de republ. medicâ meritos, ſummè injurium fuiſſe, elatè ac thraſonicè criſtas vel potius auriculas extendere ſuas*, indicat.

Non diſſimilia ad *D. Widholzium* perſcripſit; & ſe in *illâ ſuâ epiſtolâ Zvelfero* ſcriptâ, commendaſſe quidem conatus ejus in diſſipandis Pharmaciæ erroribus, retulit; deteſtatum autem ſimul quoque apertè fuiſſe virulentas iſtas invectiones, peſſimeq́ue egiſſe *Zvelferum*, addidit, quòd tam ſævum Venerandæ Antiquitati ſe præbuerit. Id quod longo ſatis ordine eleganter protulit; prout copia ex dictâ epiſtolâ excerpta, & *D. Widholzio* ſimul miſſa, uberiùs edocet. Quod igitur *Dn. D. Geygeri* teſtimonium dum luci publicæ exponere, Antagoniſtæ decreverunt, haud mutilum illud, ſed integrum adducere, fideliter debuiſſent. Non miror tamen, partem ſaltem commendatoriam ab ipſis adductam fuiſſe, cùm totum bonâ fide adſcriptum, majori dedecori, quàm gloriæ *Zvelfero* fuiſſet. Inanis gloriolæ deſiderium & odium in *Auguſtanos*, præ veritate placuit.

Mirabitur autem fortè quispiam, cur *Dn. D. Geygerus* ſimilem epiſtolam *Zvelfero* ſcripſerit; Certè non gratiam & favorem hujus aucupandi causâ; ſed ne fortean, dum ſileret, inurbanus videretur. Prior quippe calamum arripuit *Zvelferus*. En! verba *D. Geygeri in epiſtolâ ad D. Widholzium*: Es bemühet ſich zwar D. Zvelfer von allen Orthen per literas teſtimonia und judicia über ſeine animadverſiones einzuhohlen/ und dieſelbe in ſubſidium proprium zu publiciren/ wie er dann auch an mich (unangeſehen ich ihn à facie nicht kenne) ein ſehr freundlich fuchsſchwänzeriſch Brieffl de dato Wien 15. Nov. 1652. abgehen laſſen (doch nit ohne vitia grammaticalia) &c.

Ich habe ihm wider geantwort ganz bescheidenlich / seine animadversiones in dem gelobt / wo sie zu loben seyn: die unterspickte scommata aber ganz verworffen / dann also lauten / inter alia, meine Wort: &c. Et iterum: Ich habe zwar gänzlich gehofft / er werde mir darauf antworten / ist aber bißher nit geschehen / hette es zwar gerne gesehen / damit ich besser ad specialiora mit ihm kommen were. Aber es bleibt also &c. Curassem quidem imprimi hîc integras illas epistolas; verùm cùm longiores quodammodo sint, hæc ex iis tantùm excerpere volui, quæ Tibi, Lector Benevole, sufficient, spero; utpote ex quibus abunde nobilem & intaminatum *D. Geygeri* animum, unà cum iniquo *Zvelferianorum* conatu, venaberis.

Cæterùm desiderio tuo, Lector Amice, & expectationi, quantùm possum, in subsequenti *Animadversionum Examine*, satisfacere tentabo. Prodesse quidem omnibus cupio; placere ἀδύνατον scio; dum - - - *nec Jupiter ipse,*

sive pluat, seu non, unicuique placet.

Nec enim *ad gustum humana omnia, quàm diu erimus in humanis*, cum *Lipsio* (*cent. 2. epist. 15.*) fateri cogimur.

Si quid monendum occurrit, æquum te præsta arbitrum, ac sine bile sententiam tuam amicè explica.

Quò autem faciliùs, loca nonnulla *Zvelferi* citantem adsequi me possis, monitum te volo, ubi *Animadversionum*, *Appendicis* earum, nec non *Pharmacopœiæ Regiæ* ejusdem mentionem facio, *ultimam editionem* illorum Operum, quæ nimirum *Anno M. DC. LXVII. Noribergæ, typis Endterorum*, conjunctim in lucem prodierunt, subintelligere.

Scurrilia malevolorum Zoilorum judicia solo dispellam sibilo, & instar fatuæ Midæ sententiæ, non nisi ignominiosas ipsis impositura auriculas, æstimabo.



RESTITUTA
PRÆLIMINARIA.

PROOEMIUM AD LECTOREM primò quidem discutiendum sese offerret; sed cùm ejus examen tum ex jam dictis, tum insequentibus, unicuique facilè pateat, in eo moras nectere, supervacaneum duco. Cuilibet autem spontè adparet, illud arrogantiæ Zvelferianæ luculentissimum testimonium, & cavillationum ab ipso effusarum compendium quasi existere.

Ad PROLEGOMENA itaque recto tramite me confero, quæ omnia, solis *capitibus sexto, septimo & nono* exceptis, partim *superflua*, partim *minùs sufficientia* Zvelfero videntur.

Superfluorum unicum statuit, *Caput* nimirum *primum*, quod *de officio Pharmacopœorum* agit; in quo *superabundanter & strictissimè ad minima usque eos depingi*, somniat.

Cur verò eliminatum hoc velit, *in promtu causa est: Pharmacopœus erat.* Ex officinâ enim pharmaceuticâ in castra medica demum irrepsisse Zvelferum, quis ignorat?

Hoc in memoriam revocat, quod supra de Zvelferi elato animo prolatum fuit, cujus non postremum indicium hoc ipso edidit.

Fastuosi quippe & superbi leges sibi præscribi, difficulter patiuntur, imò illis, qui sordida eorum ulcera tangunt, porrò irascuntur.

Si Medicum, qua ratione se gerere, & quibus dotibus instructus esse debeat, describere, fas est; cur non idem quoque circa Pharmacopœos, à quorum officio ritè administrato non minima hominum salus dependet, observare liceat? Consulantur *Hippocrates de decenti ornatu, Roderici à Castro Medicus Politicus*, multique alij diffusè materiam istam tractantes.

Verùm ad minima usque ibidem depingi Pharmacopœum, dulce Zvelferi somnium est. Quinimò non errasset, si & hoc caput sub nomine eorum, quæ minùs sufficientia vocat, collocasset.

Supervacuum quidem videri posset, talia Pharmacopœis dictare monita;

cùm vir bonus quid ſibi factu opus ſit, ipſe ſciat & exſequatur. Sed non omnes capiunt verbum hoc.

Illi, qui ſe præſcripto modo conformes exhibent, habent, de quo ſibi gratulentur; Hi, contrario modo qui ſe præſtant, quod imitentur.

Nec Zvelferus multos reperiri negavit, indigos, ut continuò officij ſui commonefiant, utpote quos ſolidâ ſcientiâ & ſedulitate carere, ait. Nihil ergo obſtabit, vel ſolùm illorum in officinis ſpeculum ejusmodi exponere, quò eò magis ex ſcriptâ illâ lege muneris ſui admoneantur.

Eſſe autem hoc ſimpliciter ſuperfluum, ipſe Zvelferus tacitè negare cogitur; id quod uno & altero exemplo confirmare libet:

1. Requirunt Auguſtani, ut Pharmacopœus pharmacorum parandorum rationem & modum exactè teneat, ejusque quam profitetur, artis adprimè ſit peritus; ſedulum etiam ſe præbeat. Zvelferus in *animadverſionibus* toties Pharmacopœos inſcitiæ inſimulat; v. g. in *animadverſion. extractor. paucos ſedulos & peritos hodiè reperiri pharmacopœos*, exclamat, & numero vix totidem,

quod Thebarum portæ, aut divitis oſtia Nili.

Pariter in *Proœmio Mantiſſæ ſuæ Spagyric. eam nunc ætatem eſſe*, ſcribit, *quæ pauci reperiuntur, quos ſolida ſcientia & jugis doctrina commendat pharmacopœos.* Quid hoc aliud eſt, quàm Pharmacopœos imperitiæ & ſocordiæ arguere? An ergo eos, ut talia fugiant, commonefacere, ſuperfluum dicamus?

2. Auguſtani in mercibus comparandis cautos, æquos &c. ut ſe præbeant Pharmacopœi, præcipiunt. Zvelferus multis in locis, hoc in paſſu non diſſentit; id quod diſcurſus ejus de *Confectione alchermes &c.* teſtatur.

3. Auguſtani ut Pharmacopœus linguam latinam calleat, neceſſarium ducunt. Zvelferus idem minimè negat. Hinc *Franciſcus Verny, Pharmacopœus Monſpelienſis* eam cùm non calleat, vel non callere videatur, peſſimè ipſi audit.

Alia, ne longior ſim in nugis his ventilandis, omitto; unicum hoc *Excellentiſsimi Geygeri* ſuperaddens, ex Ejusdem *epiſtolâ jam citatâ ad Dn. D. Joh. Henïſium p. m.* deſumtum: *facilè mihi perſuadeo, autorem primum illud Iſagog. prolegom. caput, nullâ aliâ eliminaſſe ratione, quàm ut, dum ille ipſe improbus & impius ſit, pios ac bonos pharmacopœos, mendacia, petulantiam & antilogias ſuas obſervantes ac deteſtantes non haberet.*

Alterum, quod in *prolegomenis* Zvelferus carpit, eſt, aliqua *minùs ſufficientia*, ideoque rejicienda, & ex Diſpenſatorio delenda eſſe; videlicet *Caput Secundum de delectu quorundam medicamentorum ſimplicium; Tertium de collectione eorum; Quartum de medicamentorum repoſitione; Quintum de eorum dura-*


duratione; *Octavum de venenis ac ipsorum antidotis.* Horum autem loco, brevitatis causâ (quam aliàs sæpius, cùm tamen quàm maximè potuisset, minùs observat) ad decantatam *Joh. Schröderi Pharmacopœiam medico-chimicam*, qui materiam illam prolixius & ex professo tractat, Lectorem ablegat. Ast nihil omnino perversum ac adversum hoc judicium evincit. Ambabus quippe conceditur manibus, minùs sufficientia citata capita censeri debere; ob id ipsum tamen planè expungenda esse, absona est decisio. An quidquam, in medicâ cumprimis arte, reperitur, quod perfectum dici mereatur? Unusquisque certè cum *Hippocrate*, nisi pro deliro haberi velit, se ad finem artis non pervenisse, fateri cogitur.

Augustani nequaquam dicta Capita pro perfectis & sufficientibus venditant; sed plurima adhuc superaddi posse, fatentur. Præcipua tamen, materiam istam concernentia, ibidem adduxerunt; in quibus si quid deficiat, defectus ex aliis autoribus, quos ideo si non omnes, selectiores saltem ut Pharmacopœus ad manus habeat, in *Capite primo* consultum ducunt, suppleri facilè potest. Si cui *Schröderum*, tantoperè à Zvelfero commendatum, nec non alios probatos autores adjungere, placet, hoc ipso non interdicitur, quinimo suadetur & præcipitur.

Prætereà omnibus modis absolutum, sive, ut Zvelferus loquitur, sufficiens de his opus Augustani edere si voluissent, tam exiguis pagellis ea coarctari haud posse, scivissent; vix enim integrum volumen talia caperet, ac prolegomena ipsius materiæ subsequentis molem excederent.



RESTI-



RESTITUTA
CLASSIS PRIMA,
Sirupos alterantes, Mella, Julepos, Mivas ac Rob continens.

OMisso, tanquam superfluo & trito Zvelferi discursu generali, de Sirupis, ipsas mox compositiones eorum speciatim perlustrare, animus est.

Prima autem, quæ in hac classe, & quidem *pag. 2.* se offert, SIRUPUS DE ABSINTHIO dictus, est; ad cujus animadversiones dum sese accingit, illud Veterum etiam in Scholis non planè ignotum occinit, quòd quædam vegetabilia partes tenues & subtiles secum ferant, in quibus vis corpus penetrandi consistat, quæ levi calore ignis stimulatæ in auras avolent, corpore crassiori effectu suo privato. Pariter & in hoc Sirupo partes istas spirituosiores, etiamsi lenta instituatur coctio, exhalare contendit, cùm *libræ V. & unicæ aliquot* evaporare debeant, additque, *Sirupum hunc ad operandum nullius fore efficaciæ, nisi dexterior illius instituatur præparatio.*

Qua animadversione nihil novi, quod tamen putat, docet Zvelferus, cùm & ante ipsum similia Medicis patuisse, constet. Comprobat id exemplo suo *Petr. Joh. Faber myrothec. spagyr. lib. 6. cap. 8.* dum *Sirupi absinthij simplicis* compositionem tradens, *succo absinthij depurato* & in Sirupi consistentiam cum *saccharo* cocto, pro majori penetratione *Salis absinthij* ℥ ij. *Olei ejusdem* ℥ß. nec non *Spiritus* ℥ j. *vel alteram* adjungit.

Alij quoque Chimici, in ejusmodi coctionibus subtiliores vires deperdi & evaporare, ante Zvelferum Galenicis objecerunt, imò spirituosos illos vapores in M. B. mediante alembico, colligere, collectosque parato medicamento reddere, (ut ita modum hunc Zvelferi inventioni minimè acceptum ferre debeamus) sciverunt. Videsis *Angelum Salam lib. 2. de variis Chimic. & Galenic. errorib. Josephum Quercetanum cap. 8. pharm. dogmat. restitut.* nec

non

non *Dan. Sennertum cap. 18. tr. de consensu & dissensu Chimic. cum Galen.* & *lib. 5. institut. medic. part. 3. sect. 3. cap. 2.*

Sed μηδὲν εἰκῆ, μηδὲν ὑπερορᾶν, *nec temerè nec timidè* sic animadvertendum est.

Non ignotum fuit Augustanis, Sirupo, juxta suum modum parato istas penetrantes, ut vocantur, atomos ex parte deesse; omnibus tamen eum privari, falsissimum est. Nec enim omni odore, signo indubitato superstitum dictarum atomorum, caret.

Quin & specierum ad Sirupi illius compositionem adhibendarum, atq; prius, uti in Sirupi præparatione fit, debitè decoctarum (relicto *sacchare* & *succo cydoniorum*, ne suspicionem, quasi illis deberetur spiritus eliciendus, incurrant) præcedente conveniente fermentatione, si fiat destillatio, spiritus ardens indè elicitur, gratâ aliquâ amaritudine præditus.

Hinc est, quòd nonnulli diversos ex uno simplici elicere docent spiritus; v.g. è *semine anisi, fœniculi &c.* superinfuso *vini spiritu, spiritum anisi &c.* sive, uti aliis dicitur, *spiritum vini anisatum*, per destillationem producunt; quo separato, remanentia fermentationi subjecta, novum *ardentem spiritum* emittit; in qua tamen nec dum omnis virtus exhausta est; unde *spiritus*, quem *alcalicum* adpellant, in *furno secundo Glauberiano*, imò insuper *acidulus* per retortam adquiritur.

Nec mirum illud videri cuiquam debet. Licet etenim in coctione, sive levi, sive forti ignis calore institutâ, magna oleosarum *absinthij* particularum pars resolvatur, inque auras fugiat, sal tamen essentiale, vel tartarus remanet, cui non omnis deneganda est efficacia; utpote qui, secundùm Zvelferi mentem, oleum, spiritum &c. adhuc in se continet.

Dum autem per fermentationem oleosas illas & volatiles particulas resolvi, certum est, annon idem in corpore nostro evenire, verisimile est, qui quotidie cibos in ventriculo tam promtè, certè non absque fermentatione, resolvi, observamus?

Sed omnibus subtilibus particulis Sirupum præsentem planè destitui, ponamus; efficacia tamen ejus indè non infringitur. Id quod vel ipso Zvelferi calculo comprobari potest, dum *aquam absinthij destillatam virtute roborante ventriculum, hepar ac reliqua viscera, exutam esse, neminem sani judicij inficias ire*, ipsemet *Pharmacop. Regiæ pag. 217.* fatetur. Ubinam ergò vis illa ventriculum roborandi, cùm in aquâ non sit, quærenda? Sanè non nisi in remanentiâ terrestri latebit.

Concedamus itaque Zvelfero, partes illas aëreas insigni penetrandi vi præditas esse; eas autem hoc in loco propriè non desiderari, sciendum est;

E ita

ita ut tam ſtudioſâ earum conſervatione opus minimè ſit. Mens ſiquidem Auguſtanorum haud fuit, ut Sirupus ille in corporis intimiores receſſus confertim ſubiret, ſed unico ferè ventriculo deſtinatur, cui robur non tam ſpirituoſa, quàm & craſſiora ac placidè adſtringentia medicamenta conciliant. Unde etiam *abſinthium ponticum*, non vulgare illud, præſcribitur; utpote quod non tam fragrans, & conſequenter non tam ſpirituoſum eſt, atque majori virtute ſtomachicâ & adſtrictoriâ pollere creditur.

Solis verò rebus ſpirituoſis penetrandi facultatem deberi, non item terreſtrioribus medicamentis, in dubium non minùs vocari poſſet; tardiùs tamen hæc, quàm illa agere, haud negatur.

Adſerti illius veritatem comprobat *Antimonium diaphoreticum*, licet per tantam ignis torturam paratum, ſpiritu nequaquam pollere deprehendatur, totum tamen corpus penetrat. *Purgantia* ſpirituoſâ deſtituta virtute, vel eâdem, ſi quam habent, per præcedentem cocturam, aliamve præparationem privata, idem præſtare, effectus docet. *Alimenta*, uti *caro*, per cocturam omni ſpiritu exuta in omnes corporis partes diſtribuuntur. Quid de *opio*, toſto etiam Zvelferiano, ſtatuendum erit? quid de aliis? *Sirupus contra dyſenteriam Zvelferi Pharmacop. Reg. pag. 14.* ſpirituoſis ſpoliatus partibus, nihilominus ad roborandum ventriculum & hepar, uti præſens Auguſtanorum *Sirupus de abſinthio*, commendatur. Hinc citatus Zvelferi Sirupus aut omni exutus erit virtute, aut Auguſtanorum *Sirupus abſinthiacus* illud, quod de ipſius virtute eximiâ prædicatur, pariter præſtabit.

Porrò, quanquam atomi illæ ſubtiles corpus egregiè penetrent, non tamen idcirco terreſtriorem ſecum in partes reliquas deferent ſubſtantiam, quod Zvelferus innuere videtur, dum ſine his penetrantibus ſpiritibus nullius efficaciæ fore Sirupum, adſerit. Verùm ſi dicti ſpiritus in auras fugiunt, omni terreſtriori corpore poſt ſe relicto, etiamſi coctio fortiori igne inſtituatur, quid in ventriculo humano fiet? An ſubtilior pars craſſiorem in corporis interiores receſſus ſecum rapiet? Nullum conſpicio vinculum, quo tam arctè in corpore uniri poſſent. Certè & ibi, leni ventriculi calore reſoluta, qua data porta, ruet, craſſioris partis diſtributione minimè expectatâ, quæ, ſubtiliori jam dudum diſtributâ, à ventriculo demum in actum deducta, ſeſe per corpus diffundet.

Si autem Medici voluntas omnino fuerit, iſtum Sirupum penetrantem admodum exhibere; annon ſcopus ille tunc, quando in uſum venit, ab additis aliis convenientibus morbo, cauſæ morbi, ætati, ſexui &c. medicamentis, obtineri poterit? Raró inſuper & vix per ſe, ſed utplurimum, imò ſemper cum aliis, liquoribus imprimis, permiſtus propinatur. Hujus evidentiſſimum

ſimum exemplum Auguſtani innuunt, dum *ex aquâ mentha in ventriculi affectibus* eum ſumi poſſe, judicant.

Clariſsimus Otto Tackenius Veteres ſpirituoſam ejus partem ſtudiò in auras egiſſe, *Hippocrat. chim. cap. 30.* exiſtimat, *ut cuique individuo propinari poſſet, & etiam ad promtitudinem*, ceu loquitur, *& compendium officinæ: cùm perquam plurimi odores, præſertim ſpicæ, ægrè concoquant, & ſine ſtomachi everſione & eructatione non perferant.* Non quidem ſtudiò & præmeditatè hoc factum fuiſſe, nunc defendendum in me ſuſcipiam; nec tamen propterea, Veteres jacturam illorum ſpirituum, quos parùm hîc curaſſe, ſupra jam innui, latuiſſe, adfirmabo. Sic *Ludovic. Septalius animadverſ. & cantion. medic. lib. 9. §. 24.* de diversâ decoctorum ratione agens, ſæpe ab autoribus, additâ majore aquæ quantitate, *per longam coctionem terreſtres medicamentorum partes extrahi, vel calidas nimis & igneas expelli*, memorat.

Cæterùm planè negari minimè poteſt, odorem illum *abſinthij, ſpicæ, roſarum*, mulieribus præcipuè, quibus æquè ac viris hic dicatur Sirupus, plurimis gravem eſſe & nocivum; quem ideo tantâ cum curâ conſervare, fruſtraneum alicui videri poſſet.

Non dico, Naturam fruſtrà herbis balſamicis odorem dediſſe; (ceu *Tackenio* in ventilatione hujus Sirupi *pag. 225.* objicit Zvelferus) aſt neque ideo eum dediſſe, adfirmari poteſt, ut ille in hoc Sirupo conjunctus manere deberet. Si virtutes rerum integrè conſervare ſemper cogeremur, aquæ, ſpiritus deſtillati & multa alia medicamenta è foro medico eliminanda forent. Si ſimplicia eo modo, non aliam in formam mutata, uſurpare vellemus, quo à Natura producuntur, omnis medicamentorum compoſitio exulare deberet.

Odori *roſarum*, quem in hoc Sirupo, quò Auguſtanis ægrè faciat, magni æſtimat, in *oleo de Capparibus pag. 265. Pharmacop. Reg.* nullam curam agit, unicis partibus terreſtribus, quibus tamen *virtutem roborativam* adſcribit, contentus.

Cui verò odor ille tantopere placet, eum quantâ velit cum diligentiâ Sirupo ſuo conciliet. Nec idcirco malè Auguſtanis audiet; quos viciſſim erroris haud inſimulet, ſi ſcopo ſuo ſatisfacientem, eo, quem deſcripſerunt, modo *Sirupum de abſinthio* componere pergant. Imprimis cùm Zvelferus vel invitus ſuum ipſis largiatur calculum, cujus conſenſum & confirmationem, tanquam adverſarij, quis dubitet adducere?

Nam *pag. 424. animadverſ.* de *ſpiritu abſinthij* agens, eundem infuſioni *abſinthij, ſpiritu vini* factæ, poſtponit; quia in ſpiritu deſtillato partes ſubtiliores duntaxat *abſinthij* ac volatiliores per alembicum proliciantur, (NB.)

relictis in residuo virtutibus ejusdem potioribus. Si ergo *potiores* per destillationem virtutes non attolluntur, sed in residuo manent, nimis certè rigorosè eum *Sirupo de absinthio Augustanorum* egit, & *nullius efficaciæ* eum pronuntiando, nimiùm erravit, turpissimeque sibimetipsi contradixit. Ergo *pag. cit. apolog. contra Tacken. absinthij* decoctionem solis terrestribus partibus imbutum, malè *paleis & sarmentis decoctis* æquiparat.

Sic porrò *pag. 188. Pharmacop. Reg.* totam ferè rerum crasin & essentiam in saporibus latere, statuit; *Absinthij* autem decoctum sapore ejus nativo, amaro turget.

Pariter *dicta Pharmacop. pag. 215. absinthium, rosas &c. solum odorem* aquis in destillatione communicare, *virtute roborante in remanentiâ relicta*; nec non *pag. 217. supra jam citatâ, virtutem roborantem ventriculum, hepar ac reliqua viscera in residuo à destillatione latitare, aquam autem inde destillatam virtute illâ exutam esse*, claris verbis indicat. Sicque *Sirupi absinthiaci Augustanorum* virtutem corroborantem præclarè contra quosvis malevolos obtrectatores defendit, antiquitatis sententiæ, contrarius alioquin, subscribens, facultatem illam roborantem terrestrioribus, adstringentibus partibus adjudicanti; Sic enim *Galenus 6. de simplicium medicament. facultatib. cap. de abrotano, absinthium stomacho gratum* statuere, legimus, *quia plurimam adstrictionem continet.*

Licet igitur subtilissimæ, æthereæ & penetrantes partes eant deperditum, virtutem nihilominus confortantem, unicè expetitam, testimonio etiam Antagonistæ, superesse, Augustani sibi gratulentur.

Hunc ab iniquâ Zvelferi reformatione vindicatum Sirupum jam dimitterem, nisi pauca quædam monenda restarent; quò & Zvelferum suos passum esse manes, addictissimi clientes ipsius vel nolentes fateri cogantur, hincque digitis in posterum compescere audax ac injuriosum labellum, nec tam iniquos in aliorum scriptis demergendis, ut Zvelferiana emergant, se ampliùs præbere, discant.

Mox verò *in principio hujus Classis* Zvelferum contendere monui, quòd in præparatione Sirupi præsentis *libræ quinque ac unciæ aliquot* additi liquoris exhalare debeant. Contrariari autem monitum hocce veritati, unicuique facilè liquet, si quantitatem liquoris qualitatemque vel obiter consideret. Quippe adsumuntur *vini veteris & succi cydoniorum* an. ℔iij. ℥iv. quarum si ℔v. *& unciæ aliquot*, v. g. ℥iv. evaporent, *libra una & unciæ quatuor* remanebunt, quæ cum *sacchari* requisitis ℔ij. justæ formæ Sirupum nunquam suppeditabunt. *Succus* enim *cydoniorum* si coquatur, non instar aquæ eandem liquidam consistentiam semper retinet, (ut de *absinthio* &c. adjuncto nil dicam)

dicam) sed tandem sapiformis planè evadit, ita ut dictæ ℔iij. & ℥iv. succi illius ad remanentiam *unciarum septem, vel plurium* etiam, coctæ, succum Sirupi consistentiam æmulantem præbeant; quas *uncias septem*, utpote non indigas *sacchari* additione, si separemus, *unciæ novem* liquoris remanent, quæ prænominatis *libris duabus sacchari* solvendis inque Sirupum redigendis destinantur; cùm tamen *septem vel octo* liquoris *uncias*, ad ℔j. *sacchari* requiri, ipse Zvelferus in *proœmio classis hujus primæ*, statuat.

Recordari idcirco debuisset illius, quod in dicto modò *proœmio* de diversitate liquorum protulit, alios aquosos, crassiores alios &c. vocans, quorum respectu pondus liquoris ad *saccharum*, varium existat.

In eundem quoque scopulum impingit in correctâ suâ, quam subjungit, Sirupi hujus præparatione, dum easdem *libras tres*, *uncias quatuor vini*, & totidem *succi cydoniorum*, ad *libræ unius* liquorum remanentiam destillare, & hanc ad *uncias quatuor* usque, evaporando, redigere præcipit; ex quibus *unciis quatuor*, duriorem sive crassiorem, quàm Sirupus requirit; consistentiam nactis, nec non *unciis decem* liquoris destillati, & *libris duabus sacchari*, justam Sirupi, quam meditatur, formam minimè adquiret.

Insuper in hujus dexterioris (prout minùs veraciter eam vocat) præparationis delineatione hoc mirari subit, quòd *vel solâ dissolutione sacchari, vel unicâ ebullitione* Sirupum hunc parare, doceat. Quippe si sola dissolutio sufficit, cur etiam ebullitionem, in qua non levis particularum penetrantissimarum incurrit defectum, admittit? Ast jacturam illam non nisi in Augustanorum compositionibus tot diris devovet ac detestatur, contra in propriis tam adcuratus in iisdem conservandis haud est. Evolvat quis saltem *Sirupum* ipsius *primum de absinthio Pharmacop. Reg. pag. 2.* in quo non levem, aërearum atomorum partem in auras mittit; à *secundo* quoque omnes exulare facit, nisi quas extraneas, ratione *elæosacchari cinnamomi atque caryophillorum*, ultimò adjungit.

Nec abstractio illa partis subtilioris per destillationem, Zvelferi inventum est, quam aliis, uti *Sennerto l.c.* notam jam fuisse, constat.

Ut alia, quæ notari possent, omittam; præcipuè cùm ingrati saporis, ob *vappam vini* nauseosam ipsi adhærentem, nullâ arte separabilem, in *Pharmacop. Reg. cl. 1. pag. 2.* hunc suum correctum Sirupum declaret, ac *ex Dispensatorio expunctum* velit; quod ultimum, cùm ita desideret, ambabus ipsi largior manibus.

In *Appendice ad animadvers.* Potum vel Apozema ex iisdem ingredientibus paratum, Sirupo huic substituit; quia 1. Sirupus raro in usum venit, vel quod oblivioni tradatur, vel ob copiam *sacchari* nauseabundus aut insa-

lubris

lubris evadat; 2. ingredientia ejus nimiâ quantitate *ſacchari* opprimuntur; 3. ut Medici juniores tales potiones per infuſionem parare, diſcant. Nullum tamen horum expungere Sirupi uſum, obiter animadverto. 1. Si Sirupum hunc raró in uſum venire, Pharmacopœus ſciat, eundem minori in quantitate parare novit. Nauſeabundum à *ſacchari* copiâ eum fieri, falſum eſt; cùm potius *abſinthij* amarities non adeo palato arridens, hoc modo occultetur, medicamentumque gratius reddat. 2. Si illa *ſacchari* quantitas aliorum ingredientium virtutem opprimit, peſſimè egit Zvelferus, *Sirupis* ſuis *Pharmacop. Reg.* non modicum *ſacchari* deſtinans. Premi vel debilitari virtutem, non verò opprimi, rectiùs admittitur. In Zvelferi quidem infuſo ingredientia à nimio *ſacchari* pondere opprimi, dici haud poteſt; interea tamen medicamentum, cujus quantitas ad ℔vij. accedit, durabile non eſt, ſed citiùs, quàm Sirupus, corrumpitur; illæ autem *unciæ quatuor ſacchari*, tantæ Infuſi quantitati deſtinatæ à Zvelfero, ſaporem ejus ingratum & amarum parùm demulcere valent, & nauſeabundum illud relinquunt. 3. Infuſorum parandorum rationem tradere, non hujus eſt loci, ſed ad alias, *claſſem* cumprimis *octavam*, pertinet.

SIRUPUM ACETOSITATIS CITRI *eâdem paginâ ſecundâ* deſcriptum, acriter ſatis perſtringit, & 1. animadverſionem Auguſtanorum de *ſucco citri*, colo ſpontè transmiſſo, non validè expreſſo, ſumendo, firmo ſtare talo, ait. Quò tamen & hanc pro more ſuo carpat, mox addit: *quam* (animadverſionem) *vel illis, qui vix à limine artem pharmaceuticam ſalutarunt, ipſa dictitat ratio.* Quod Momo dignum dicterium ſolo ſibilo meritò excipitur; cui facilè, ni chartæ maculandæ parcerem, multiplex redhoſtimentum ex *Pharmacopœiâ Regiâ &c.* dare liceret, utpote in qua multa, quæ vel illis, qui nec à limine artem pharmaceuticam ſalutarunt, nota ſunt, ſtudioſè adducuntur. Mihi hîc ſufficit, Lectorem monuiſſe, ut *animadverſiones in Sirupum ceraſorum acidorum* paulò poſt ſequentem ſcriptas, cum hoc Zvelferi monito conferat.

Altera admonitio de *ſucco citri* cum *ſaccharo albiſsimo*, lento igne coquendo, ne fuſcus, ſed albus evadat Sirupus, non adeo veriſimilis ipſi videtur, quia, ſi tanta *ſucci* quantitas, *libræ* nimirum *ſex*, cum *ſacchari libris tribus* (ubi iterum *libras quatuor cum dimidiâ* ſucci evaporare debere, falsò arguit; deſtinarentur enim pro *librâ unâ ſacchari*, *unciæ* tantùm *quinq; & paulò plus ſucci*, cùm tamen *octo*, imò *plures*, quia ex acidorum numero eſt, commodè ferre poſſit; præterea *ſuccus citri* coquendo, inſtar *ſucci cydoniorum*, quo de in *Sirupi de abſinthio examine* actum fuit, craſſeſcit) ad debitam Sirupi conſiſtentiam coquatur, non poſſit non rubicundo colore imbui Sirupus, & quò

quò lentiori coquatur igne, eò evadat rubicundior. Verùm cùm hîc saltem dissidium sit de colore. qui, ut color, nihil virtutis medicamento addit vel demit, illud tantùm attigisse, sufficit.

Sciant tamen scioli tales, Augustanos modum saltem recensere, non commendare; cùm *ultimus paragraphus* Ipsorum modum præparandi edoceat; in quo quidem iterum, quod exagitet, Zvelferus investigat. Augustanorum verba ita se habent: *Peritiores Pharmacopœi succum citri vel omnino non, vel modicè saltem coquunt, eundem Sacchar o per se, & supra Sirupi consistentiam cocto artificiosè jungentes &c.* Quibus Zvelferus sequentia opponit: *Quomodo sine omnimodâ coctione possunt exhalare libræ quatuor cum dimidia succi, cùm aliàs liquores acidi quodammodò fixi sint, & intensiori ignis gradu in destillatione indigeant?* Nimium sibi sapere videtur Zvelferus, seque solum componere posse *Sirupum acetositatis citri*, autumat; cùm tamen peritissimi Augustanorum Pharmacopœi illud additum: *artificiosè*, antequam insipida illa animadversio monuisset, probè intellexerint, atque quid Sirupus, & quæ ejus differentia sit, sciverint. Unde nec latere eosdem potuit, quantum *succi* ad *sacchari* determinatam quantitatem accipiendum sit. Imò *libras quatuor cum dimidiâ* exhalare non debere, paulò ante demonstratum fuit. Hinc *Petr. Poterius pharmacop. spagyr. lib. 3. sect. 2.* Sirupos acidos aliis Sirupis liquidiores & tenuiores esse debere, ac per consequens, plus liquoris recipere, id est, plures *uncias*, quàm saltem *septem aut octo* pro *librâ unâ sacchari* communiter destinatas, monet; *etenim*, verba sunt Poterij, *non tam citò situm contrahunt ac cæteri. Rursus si in eandem crassitiem aliorum Siruporum excoquuntur, brevi canditi fiunt, aut si nimis indurati, coalescunt gemmarum instar.*

Illud quod addit: *cùm aliàs liquores acidi quodammodò fixi sint, & intensiori ignis gradu in destillatione indigeant*, quid evincat vel probet, haud video. Posito liquores acidos quodammodo fixos esse, & intensiori ignis gradu in destillatione indigere; non hîc expeteretur acidæ, sed phlegmaticæ partis, sive aquositatis elementaris, ut illam Zvelferus vocat, adscensus, qui facilè leviori ignis gradu impetratur. Id quod Zvelferus ipse diffiteri nequit, dum in *Append. animadvers. pag. 2. succum citri* in M. B. (id est, leni ignis calore) ad tertias abstrahere præcipit; antequam *saccharum* illi adjiciatur. Ubi notet Lector Benevolus: 1. Zvelferum hoc in loco mentionem facere, se idem de *succi citri* in M. B. ad tertias abstractione in *animadversionibus Sirupi acetositatis citri* præcepisse. Evolvat autem quis & revolvat dictas *animadversiones*, in quibus nec verbulum de eâ, vel lynceis aliquis præditus oculis, inveniet. Pariter & *pag. 3. Pharm. Reg.* se in *animadversionibus* hoc insinuasse, memorat. 2. *Succum citri* destillatum non rubescere, atque

ejus

ejus aciditatem integrè in reſiduo manere, *d. l.* Zvelferus monet. Econtra *Pharm. Reg. l. c.* de concentratione *ſucci acidi citri* per deſtillationem agens, eum tali modo in aciditate ſuâ infringi ac dulceſcere, & cum ſaporis gratiâ, coloris etiam diaphani perſpicuitatem deperdere, ſtatuit.

Sirupum limonum conficiendi triplicem modum *Joh. Renodæus lib. 1. antidot. ſect. 1. cap. 25.* adducit, quorum primus, *ſaccharum* ad Electuarij ſolidi craſſitiem coctum, cum *ſucco limonum* limpido miſcendo, rudiculâ agitando, levique cocturâ in Sirupum deducendo, inſtituitur; *hacq; præparandi ratio*, ſubjungit *Renodæus, multùm probatur, per quam ſcilicet ſuccorum vis igne non hebeſcit, ſed integra retinetur.*

Pag. 3. In SIRUPO DE SUCCO ACETOSÆ, & ACETOSELLÆ partem horum vegetabilium ſpirituoſiorem in coctione amitti, veretur. Ad quod periculum evitandum, *nobiliſsimam* dictorum ſuccorum *partem* per alembicum abſtrahit. En! tam parvo interjecto ſpatio manifeſtè ſibi contradicit Zvelferus. In præcedenti quippe Sirupo liquores acidos quodammodo fixos eſſe, & intenſiori ignis gradu in deſtillatione indigere edixit; nunc liquores ſive ſuccos acidos *acetoſæ* & *acetoſellæ* per alembicum abſtrahere docet.

Non autem adeo *nobilem* eſſe illam ſucci abſtractam partem, *Pharmacop. Reg. pag. 3.* ſtatuit; ubi Sirupos hos commodè *juxta Pharmacopœiam Auguſtanam*, ſcilicet per decoctionem, *parari*, etiam concedit. Et *ejusdem Pharmac. Reg. pag. 215.* tres vegetabilium ordines ponit, quorum tertius illorum eſt vegetabilium, *quæ nihil virtutis & energiæ per alembicum, utut deſtilles, communicant*, & talia *ad deſtillationes adcommodare*, nil aliud eſſe, quàm *oleum & operam perdere*. His autem mox ſub initio *pag. 217. Acetoſa* quoque adnumeratur. Pariter *pag. 227. ſuccus Acetoſæ* inter ea collocatur, *ex quibus ne tantillum quidem virtutis deſtillatione elicitur.* Ergo dum Zvelferus in hujus Sirupi præparatione partem aliquam *ſucci Acetoſæ* per alembicum abſtrahit, *oleum & operam perdit, medicinæ probra* (quo nomine tales aquas *pag. 216.* dignatur) obtrudere tentat, ac *nullarum virium & energiæ aquam* ægris commendat, quam tamen *nobiliſsimam* modò credidit.

Pag. 4. In SIRUPO ACETOSO SIMPLICI MESUES *craſſos commiſſos eſſe errores, nullâ ratione conticendos*, exclamat. Perluſtremus parumper Zvelferi craſſum de erroribus iſtis judicium, nullâ ratione conticendum.

1. Fruſtrà *aquæ libras quatuor* ad *libras quinque ſacchari* addi, ſtatuit, ſed ſufficere, ſi *aceti libræ tres* tantùm adjungantur; cùm *aqua* penitus penitusque exhalare debeat. Verùm fruſtrà hæc impugnat, qui illud Auguſtanorum in fine

in fine additum : *coquantur ſecundùm artem*, non intellexit. Iſtud *ſecundùm artem coquere* in eo quoque conſiſtit, ut *ſaccharum* prius cum *aqua libris quatuor* coquatur ad *ſacchari* meliorem ſolutionem ac depurationem; quibus coquendo ferè abſumtis, tum demum *aceti libræ tres* addantur. Nec fictum eſſe effatum hocce, ipſorum Auguſtanorum teſtimonio comprobo, qui *pag. 46.* in præparatione *Oxymellis ſimplicis*, (quod à *Sirupo acetoſo ſimplici* in eo differt, quòd hic, loco *mellis*, *ſaccharum* recipiat) *mel* prius cum *aquâ*, ad hujus conſumtionem, coquunt, in fine demum coctionis *acetum* adjungentes.

Ex hac reſolutione vanitas pariter ſecundi objecti elucefcit, dum in violentâ illâ coctione ſubtiliores *aceti* partes avolare, Zvelferus *putat*, à quibus tamen præſens Sirupus ſuas dotes mutuari deberet.

Ponamus autem, *acetum* unà cum *aquâ* & *ſaccharo* coqui; avolabunt quidem aliquæ ſubtiliores *aceti* partes, verùm non omnes. Notum enim eſt cuilibet Chimiæ tyroni, in *aceti* deſtillatione præcedere phlegma, ſubſequi ſpiritum; & paulò fortiori ſi pellatur igne, aliquos, ſed paucos inſimul ſpiritus in vas recipiens unà cum phlegmate primò tranſire. Ita & hîc cum *aquâ* adfusâ & phlegmate nonnulla ſpirituum pars in auras quidem abiret, major tamen eorum copia in reſiduo, cum *ſaccharo* ſcilicet, hæreret; ſic ut avolantibus illis ſpiritibus, omnes Sirupi præſentis dotes, ſecus, quàm facit Zvelferus, adſcribere nequeam.

3. Præſtare putat, ſi *ſacchari libræ tres & dimidia* cum *aceti deſtillati optimè dephlegmati libris duabus ac dimidiâ* in Sirupum decoquantur. Aſt præſtare cum *aceto deſtillato* unicè Sirupum hunc conficere, maximè dubium adhuc mihi videtur; quia tali modo unâ tantùm *aceti* parte Sirupus polleret. Duplicem enim *aceto* ineſſe ſubſtantiam ſalinam, negare nemo poteſt: Unam quidem illam actu volatilem, ſpiritus nomine comprehenſam; Alteram fixiorem, quæ in reſiduo poſt deſtillationem ſpiritus hæret, & facili operâ in elegantes cryſtallos concreſcit. Hoc itaque fixiori ſale, ſive, uti aliis dicitur, Tartaro, *Sirupum acetoſum* caſtrari jubet Zvelferus; cùm tamen eidem non minores, imò majores fortè, humorum craſſitiem incidendi, & attenuandi, obſtructiones levandi, aperiendi & abſtergendi, aliasque in *Diſpenſatorio Auguſtano* Sirupo huic adſignatas virtutes tribui debere, rei evidentia arguat.

Unde *Claudius Deodatus Panth. hygiaſt. lib. 2. cap. 1. acetum deſtillatum* rejicit, *ne propriâ terrâ ſeu Tartaro, in quo omnes aceti vires conſiſtunt, ſpolietur acetum*; & filtrando ſolùm depuratum commendat; *ſic enim acre & verum, ſuoq; innato Tartaro imprægnatum obtinemus.*

Quia verò tam ſtudioſus particularum penetrantiſſimarum fautor eſt Zvelferus, phlegma illud *aceti*, quod deſtillando ſeparat, tam vili pendere non debuiſſet; cùm ſubtiliſſimus, maximè volatilis ac per conſequens penetrantiſſimus *aceti* ſpiritus, ſi odorem, ſaporem etiam, teſtes adhibeamus, inibi deliteſcat; quem ideo nonnulli, ceu ſingularem ſpiritum, magno conatu ſeparare tentarunt. Ejusdem ſpiritus in phlegmate occultati *modò citatus Deodatus* mentionem quoque facit.

Imò non levem inſuper *aceti deſtillati optimè dephlegmati* jacturam ipſe Zvelferus in correcto ſuo *Sirupo acetoſo ſimplici* procurat, dum *aceti deſtillati libras duas ſemis* cum *libris tribus ſemis ſacchari in Sirupi juſtam conſiſtentiam* coquit. Jam ſupra ad *libram unam ſacchari* requiri ſtatuit *uncias ſeptem* vel *octo liquoris*. Ideo ſi hîc ad *libram ſacchari*, *uncias ſeptem aceti deſtillati* ſumat, neceſſariò ab illis *libris duabus cum dimidiâ aceti deſtillati, unciæ quinque & dimidia*; ſin ad *libram unam ſacchari*, *uncias octo aceti deſtillati* adhibeat, *unciæ duæ hujus* evaporare debent, ſi *juſta Sirupi conſiſtentia* expetatur.

Coronidis loco, antequam ad ſequentem Sirupum me convertam, Zvelferi nimiam curioſitatem, aliquoties Auguſtanis ab ipſo, licet ſæpius falsò exprobratam, obiter notare placet. Vult enim, ut ad præparationem hujus Sirupi *acetum deſtillatum fortiſsimum, per M. B. dephlegmatum* ſumatur. Si eſt *acetum deſtillatum fortiſsimum*, quid ulteriori curiosâ nimis dephlegmatione opus eſt? quia illud *acetum deſtillatum fortiſsimum* ſufficienter jam *dephlegmatum* ſe eſſe, præſupponit; niſi fortè *acetorum deſtillatorum fortiſsimorum fortiſsimum* deſideraverit.

Nunc *SIRUPUS ACETOSUS COMPOSITUS MESUES pag. 5.* occurrit, in cujus animadverſionibus dolet ac deteſtatur partis potioris, ſcilicet tenuioris *ſeminum aniſi, fœniculi, apij*, nec non *eorundem radicum*, expulſionem, deteriori retentâ. Aſt cur tantopere hanc Auguſtanorum præparationem deteſtatur, atque tenuiorum atomorum expulſionem dolet, qui in eundem ſcopulum (ſi tam inſigne erratum eſt) turpiter impingit, aliisque dolendi ac ſocordiam ipſius deteſtandi ſufficientem anſam præbet?

Etenim ſi quis *Sirupum acetoſum ſimplicem*, ut & *compoſitum* in *Pharmacop. Reg. pag. 3. & 4.* ab eo deſcriptum, intueatur, in illo meliorem balſamicorum *corticum limonum & aurantiorum*, per inſtitutas ebullitiones, expelli partem: in hoc autem *radicum apij, fœniculi, ſeminis apij*, cum aliis aëreâ ſubſtantiâ refertis ſimplicibus, uti *recenti naſturtio, cochleariâ* &c. eandem per diuturnam coctionem amitti, obſervare licet.

Ut jam non dicam, quòd infra *pag. 35. animadverſ. Sirupum de duabus*, item *de quinque radicibus*, qui pariter *radices apij, fœniculi* &c. recipiunt, co-

ctionis

ctionis beneficio confici posse, judicet; de destillatione verò dubitare videatur, dum illos per eam, adjunctâ dubitandi particulâ: *fortè*, parari posse, scribit.

Addit autem: *quomodo igitur medicus sui voti compos evadet, suumq; adipiscetur finem in reserandis obstructionibus, crassitie humorum attenuandâ, & minerâ morbificâ per urinam expurgandâ, si subtiliores & tenuiores partes, à quibus virtutes illæ proficiscuntur, Sirupum hunc destituant, nilq; nisi crassamentum ab ingredientibus illi sit relictum?* Facultatem ergo obstructiones aperiendi, crassos humores attenuandi, & urinam educendi solis partibus aëreis sive penetrantibus adscribit. Verùm vim illam penetrandi non tenuioribus tantùm, sed & crassioribus deberi corporibus, *examen Sirupi de absinthio* abundè declaravit. Si autem justam esse hanc Zvelferi censuram, ponamus; quomodo excusabitur ipsius *Sirupus de centaurio min. antifebrilis* (*Pharmacop. Reg. pag. 11.*) è *succi centaur. min.* ℔iij. cum *sacchari* ℔ij. ad consistentiam debitam coctis, paratus? in qua nimirum coctione cùm ultra *libram unam succi* evaporare debeat, nescio quibus compedibus *spiritus centaurij minoris* ibidem ligabitur, quò in diuturnâ illâ coctione fixus persistat? Et tamen idem *præstans ad febres tertianas & quartanas abigendas* prædicatur, quiq; *viscerum obstructiones reserat.* Quomodo defendi poterit *Sirupus* ejus *hydragogus pag. 15.* item *nephriticus primus pag. 17. Pharmac. Reg.* quorum uterque subtilioribus atque tenuioribus partibus per præcedentem cocturam privatur, & nihilominus ille, ex calculo Zvelferi, *serosam humiditatem per urinam educit*; hic verò *in ciendâ urinâ, exturbando* etiam *calculo cùm renum tum vesicæ*, à Zvelfero efficax proclamatur? Ut alia, quæ hanc in rem faciunt, omittam.

Nunc qua ratione *Sirupus* præsens *acetosus* à Zvelfero corrigatur & melioretur, videamus: scilicet *species omnes*, quæ sunt *libræ unius & unciæ dimidiæ*, in *duabus aceti destillati libris* infundit, macerat, colat, exprimit, clarificat, & cum hujus *aceti expressi librâ unâ, atque unciis novem*, nec non *sacchָaro*, virtute relictorum à præcedente infusione &c. simplicium imprægnato, unâ vel alterâ ebullitione, vel solâ dissolutione *sacchari*, Sirupum conficit.

Plurima sunt, quæ in correctâ hac, vel mutatâ potius, præparatione notanda occurrunt; cumprimis quòd *specierum libram unam & unciam dimidiam* in *libris duabus aceti destillati* infundat; quæ tamen quantitas ad tantam specierum quantitatem nimis parva est, ita ut vix humectandis illis, multò minùs extrahendis sufficiat. Hujus adserti autorem ipsum Zvelferum, animadversorem acerrimum, habeo, inque *Sirupi diasereos Andernaci*, inferiùs in *Classe secundâ* expendendi, gratiam adductum hoc volo; in cujus nimirum animadver-

madverſionibus Zvelferus in nimis paucam *aquæ* quantitatem additam invehitur. (quanquam, prout ex ejusdem examine patebit, id quod non intellexit, Zvelferus ibidem refutaverit.) *Specierum* enim ad ſtateram revocatarum pondus in dicto Auguſtanorum Sirupo *uncias octodecim* vix excedit; cui tamen ponderi *libræ quatuor & dimidia aquæ* pro extractione, ex mente quidem Zvelferi, adſignantur, ſicque pro *unciâ unâ ſpecierum*, *unciæ tres aquæ* ponuntur. In hoc autem reformato *Sirupo acetoſo compoſito pro unciâ unâ ſpecierum* nec integræ quidem *unciæ duæ aceti deſtillati* adhibentur. Jam infero: Si Auguſtani tantopere errarunt, *unciæ uni ſpecierum, uncias tres liquoris* adſignando, majori obnoxius eſt errori Zvelferus, *unciæ uni ſpecierum vix integras duas uncias liquoris* adhibens. Si in illo Auguſtanorum medicamento ſpecies vix humectantur, quid hîc cum Zvelferi ſpeciebus fiat, neſcio.

Ulteriori etiam animadverſione deformatus ille à Zvelfero *Sirupus acetoſus* indiget; dum *aceti deſtillati libras duas* virtute ſpecierum impraegnat, & poſtea earum *libram unam, & uncias novem* ſaltem cum *ſaccharo* ad Sirupum conficiendum adſumit. Ad quid enim reliquæ *tres unciæ?* an abjiciendæ? annon pariter in Sirupum redigi poterant?

Objiciet fortè quiſpiam, partem *aceti* in ſpeciebus infuſis remanere. Nec negari utique poteſt, aliquam ejus partem in ſpeciebus ſupereſſe. Et ponamas, *tres* dictas *uncias* in reſiduo eſſe, quomodo tamen illa Sirupi præſentis compoſitio excuſabitur, quam in *primâ Pharmacopœiæ Auguſtanæ reformatæ editione* poſuit, ubi ſpecies non exprimit, ſed *acetum deſtillatum* ab iis *ad ſiccitatem uſque deſtillando* abſtrahit? Id quod *in Vindiciis contra Vernium* pariter repetit. Si enim deſtillatio *ad ſiccitatem uſque* ſpecierum, id eſt, omnimodam evocationem adfuſarum *librarum duarum aceti deſtillati* inſtituitur, illæ quoque *unciæ tres* conjunctæ erunt cum reliquis unciis. Aſt nihilominus & ibi *libram unam ac uncias novem aceti deſtillati*, pro conficiendo Sirupo, tantùm adhibet. Peſſum ergo ibunt reliquæ unciæ.

Obviam quidem objectioni huic ire velle videtur in *citatis contra Vernium vindiciis*, inquiens: *cui* (*ſaccharo* ad conſiſtentiam tabulati cocto) *acetum tenuioribus & ſpirituoſis radicum & ſeminum partibus, beneficio deſtillationis fœcundum ac turgidum, debitâ proportione adjungendum.* ***Nam vix plus erit aceti hujus,*** ſcilicet, quàm *libra una, unciæ novem.* Verùm minùs feliciter errorem hunc ſuum excuſat. Si enim per deſtillationem *libra una cum unciis novem*, ab illis *libris duabus* ſaltem redeunt, ubi reliquæ *tres unciæ* remanent? an in reſiduo? Species autem *ad ſiccitatem uſque deſtillari* debere dum edixit, in reſiduo eſſe haud poterunt. Ergo aut in auras unà cum tenuioribus

nuioribus ſpecierum particulis abierunt; aut cum reliquo liquore in vaſe recipiente continentur; aut deſtillatio ad ſiccitatem usque ſpecierum celebrata haud fuit.

Præterea mirari iterum ſubit, quòd Sirupum hunc vel ſolâ *ſacchari* diſſolutione, vel unâ & alterâ ebullitione conficiat. Si enim, ut repetam, diſſolutio ſufficit, perperam etiam ebullitiones admittit, in quibus pariter magna & melior pars ſubſtantiæ ſpirituoſæ, tam anxiè ab ipſo deſideratæ, pereat neceſſe eſt.

Quantùm autem humiditatis unâ vel alterâ ebullitione evaporare debeat, adcurati (ut ſibi ipſe videtur) animadverſoris, atque Pharmacopœorum informatoris officium fuiſſet, exprimere, ne in defectu vel exceſſu error committeretur. Si enim modum *Sirupi ex helleboro Pharmacop. Reg. pag. 34.* quis imitaretur, magnam is ſpirituum partem in auras ageret; cùm illum pariter unâ vel alterâ ebullitione conficere doceat; in quibus ebullitionibus pro juſtâ Sirupi conſiſtentiâ impetrandâ *libra dimidia liquoris* exhalare debet; ſi *uncias octo liquoris libræ uni ſacchari* deſtinemus, & à *foliis hellebori recentibus* nihil humiditatis *aquæ hellebori deſtillatæ* accedere, ponamus. Sic quoq; in ſequenti *Sirupo hydragogo pag. 35.* unâ vel alterâ ebullitione *liquoris integra libra* evaporare cogitur.

Quin & abſque ebullitione, ſpirituoſa medicamento adhuc calido infuſa, protinus auras petunt; prout in *paſſulis purgantibus ultimis Pharmacop. Reg. pag. 48. unciæ tres ſpiritus vini*, in quibus *reſina gialappæ & ſcammonij* ſoluta, *paſſulis* cum *ſaccharo* ad ſatis craſſam conſiſtentiam coctis ſuperinfuſæ, licet medicamentum mox ab igne removeatur, nihilominus protinus aëra petunt. Non admodum diſſimilia in *animadverſ. diacydonij laxat. Auguſtanor. pag. 99.* leguntur.

Tandem *radices & ſemina*, ab *aceti deſtillati*, ſive deſtillando, ſive exprimendo, abſtractione reſidua, cum *aquâ* coquit, exprimit &c. ac cum *ſaccharo* ad tabulati conſiſtentiam redigit; cui *acetum deſtillatum* jungendo, Sirupum efformat. Tempus autem & operam in ultimâ illâ decoctione ſpecierum reſiduarum Zvelferus perdit, atque inquinamento inutili Sirupum hunc inefficaciorem, proprio ſuo teſtimonio, reddit. Nam in *citatis vindiciis contra Vervium* illud à deſtillatione reſiduum *effœtum, terreum & mucoſum inquinamentum, nec ſaporem, nec odorem compoſiti ac concretorem referens*, vocat.

Priusquam hunc Sirupum dimittam, Lectorem Benevolum admonitum volo, in *ultimis editionibus Pharmacopœiæ Auguſtanæ*, à Zvelfero exagitatæ, *præfatione* (quam neſcio, an ex oblivione, vel malo animo, aut qua de causâ

ſuo

ſuo adjungere operi, Zvelferus intermiſit) ſequentem etiam poſitam fuiſſe admonitionem : *Servavimus omnia utplurimum compoſita, quæ in prioribus exemplis à Prædeceſſoribus noſtris, ut extent, nobis ſunt relicta : iis tamen, quorum uſus infrequentior, ob temporis ita ferentis conditionem eſſe cœpit, minori literaturâ impreſſis, ut hoc modo obſoleta ab uſitatis diſcriminata cernantur, & Majorum autoritas rata habeatur, Pharmacopœiq; noſtri teneant, quæ compoſitiones ab iis præparandæ requirantur, quæ verò omittendæ : vel ſi omnia parare ipſis ſit animus, quæ copiâ quadam, ut uſitatiora, vel minùs uſitata exiguo pondere proſtare, vel omninò exeſſe debeant.* Hæc verba luculenter indicant, plurima in dicto noſtro Diſpenſatorio conſcripta eſſe, quæ ampliùs in uſu haud ſunt, nec ut parata ſemper in promtu habeantur, à Pharmacopœis requiruntur. Quare Zvelferus moderatiorem in iis ventilandis ſe gerere debuiſſet. Imò fidelem Commentatorem, Reformatorem, aut Animadverſorem agere ſi voluiſſet, pariter in ſuis operibus, *literaturâ minori*, Auguſtanorum exemplo, iſtæ compoſitiones ut imprimerentur, curare debuiſſet. Aſt hoc non è re Zvelferi fuit, qui reticere hoc potius voluit, quàm ut rei æquitati adſurgeret, aut à cavillando deſiſteret.

Pariter & mihi medicamentorum illorum minùs uſitatorum nomina diverſis literis, ab uſitatorum, exprimere placuit.

Et hoc è numero, compoſitionum ſcilicet apud Auguſtanos *infrequentiorum*, *omittendarum*, aut *quæ omninò exeſſe debent*, *Sirupus* quoque *acetoſus compoſitus Meſues*, modò ventilatus, eſt ; quem, utpote obſoletum, paucis attingere vel tranſilire potuiſſem, Zvelferianorum tamen in gratiam, paulò diffuſiùs eum perpendere volui, quo & Sirupi dicti integritatem, Ductorisq; ſui propriam imbecillitatem cognoſcerent.

SIRUPUS ACETOSUS DIARHODON MESUES pag. 5. ejusdem cum priori ordinis eſt ; in quo refutando Lectorem ad *antecedentis animadverſiones* ablegat ; quod haud gravatim concedo, & Lectorem ad *ejusdem examen* pariter remitto, ubi *quilibet, cui mens integra, ex facili deprehendet, quale ab eo ſperandum ſit juvamen.*

Nunc *melioris informationis ergo*, qua opus non fuiſſet, aliam ejus ſubnectit præparationem, quæ tamen ut magnopere æſtimetur, haud meretur ; cùm imitari eandem qui velit, laborem, ſumtus & tempus, non adeo utili operâ perdat. Conatur quidem Zvelferus ſpirituoſiorem partem, curioſâ deſtillatione inſtitutâ, conſervare ; quod tamen adeo neceſſarium haud eſſe, ex præcedentibus patet. Imò illis *paucis ebullitionibus* (mirum, quòd ſcrupuloſus Animadverſor numerum earum non exprimat!) ultimò factis,

non

non levem jacturam partium spirituosiorum, qua de etiam supra jam monui, magnâ prius solertiâ à fugâ retractarum, incurrit.

SIRUPUM ADIANTINUM FERNELII *pag. 6.* quò & ipse iniquam animadversionem experiatur, cùm singulare quid in eo carpendum haud inveniat, per destillationem etiam & coctionem, ex recentibus herbis parare præcipit; ut scilicet sumtus ac labores Pharmacopœorum augeantur, in quibus tamen minuendis nimiùm sollicitum aliàs se præbet.

SIRUPUS DE AGRESTA MESUES *pag. 7.* sine castigatione dimittitur. In quo tamen spirituosiorem succi illius acidi partem per coctionem exhalare permittit; nec eam, juxta aliorum Siruporum acidorum, *acetosæ* &c. modum, destillationis ope à fugâ coërcet.

SIRUPUS DE ALTHÆA FERNELII *pag. eâdem, inconcinna compositio* Zvelfero dicitur, *nec inventum esse* (nempe in ipsius cerebello) qui illam *eâ, qua præscripta est methodo, in Sirupum elegantem, justam habentem consistentiam, verè redigere potuerit*; *Ex speciebus prædictis absque fuco & fallaciâ præparari haud posse*; imò *paratu impossibilem esse*; cùm *radices & cymæ althææ*, nec non *cymæ malvæ, ac semina quatuor frigida majora & minora* mucilaginem præbeant, Sirupo ineptam. Pharmacopœos quidem dictas species nodulo inclusas coctioni submittere, ait; quò earum mucilago in sacculo remaneat, sicque Sirupus, istâ destitutus, elegans atque gratus evadat &c. Inconcinna hæc animadversio multis scatet difficultatibus.

Primum & præcipuum quod carpit, est, Sirupum hunc ob mucilagines elegantem &c. fieri non posse. Quod si verum foret, non tamen videre possem, quam ob causam, mordacem istam animadversionem mereretur. Posito quippe, elegantiam Sirupo deesse; sufficit, si viribus ipsi adsignatis respondeat. Non enim semper ad medicamenti pulchritudinem, sed potius ad ejusdem effectum, respiciendum esse, circa *finem animadversionum* prodit.

Quamvis Sirupus hic, mucilagine turgidus, elegans planè, justæ consistentiæ, transparens, oculis & gustui gratus, hîc *Augustæ* prostet. *Igitur*, ut invertam Zvelferi sententiam, *hic Sirupus ex speciebus prædictis, absque fuco & fallaciâ præparari potest, ut sit elegans, justam habeat consistentiam, mucilaginesq́ contineat.* Nec ideo *paratu impossibilis* est.

Et Zvelferus ipse, si illorum, quæ in *præfatione hujus classis* præmisit, recordari voluisset, Sirupum hunc simpliciter inelegantem & impossibilem ejus præparationem minimè proclamasset. Ibi etenim de Siruporum consistentiâ agens, *pondus liquoris ad saccharum præcisè & exactè determinari non posse*, scribit, *ob liquorum diversitatem, cùm alij aquosi sint & diluti, crassiores alij &c.* Sic etiam hoc in loco cùm liquor crassior sit & viscidus, si elegans ac justâ

ac justâ consistentiâ præditus Sirupus desideretur, non *unciæ septem, aut octo*, sed *major liquoris* quantitas ad *sacchari libram unam* requiritur; ne nimiùm viscidus, longiori aquosæ partis exhalatione, evadat.

Alterum quod notat, est: Pharmacopœos, de quibus in genere & sic de omnibus loquitur, mucilaginosas illas species nodulo quidem inclusas coquere; ast virtutem earum tali modo aquæ non communicari; cùm mucilago in nodulo remaneat. An nonnulli Pharmacopœi hac ratione procedant, mei instituti non est inquirere; id tamen ab omnibus haud fieri, AUGUSTA mihi testis est.

Quibus verò dicta præparatio arridet, ij Sirupum mucilagine imbutum nihilominus adquirunt; transit enim per nodulum aqua, mucilaginem extrahit, & eâ imprægnata, præcipuè si nodulus inter coquendum spatulâ nonnunquam debitè comprimatur, utique nodulo iterum egreditur, novâ subinde adveniente aquâ; id quod αὐτοψία comprobat. Quanquam mucilaginis aliquam partem intra nodulum remanere, minimè negem.

Loco itaque laudabilis hujus Sirupi, *cùm Medici ob virtutes ejus tantopere deprædicatas* (& longo usu confirmatas) *eo carere* (meritò) *nolint*, *decoctum earundem specierum dulcoratum trahere in usum*, suadet, cui *semina illa officinarum frigida* in emulsionem cum aquâ redacta, conjuncta fuerint. Verùm *hæc classis* non de compositione *Decoctorum* agit. Cui autem species illas in ejusmodi formam, vel aliam aliquam redactas propinare libuerit, per Augustanos licet; quibus tamen Sirupo hoc, ulteriori ægrotorum cum commodo uti, placebit; præcipuè, dum rejecto decocto Zvelferiano, ab aliis quoque Viris clarissimis eum in usum vocari, observant; prout *Hafnienses Medici famigeratissimi*, paululùm mutatâ, non discrepante, conficiendi methodo, eundem *Dispensatorio suo* inseruerunt; nec non *Wolf. Höferus Hercul. med. lib. 8. cap. 4.* alium præparationis modum (diversimodè scilicet mutari potest præparatio hæc à perito Pharmacopœo, eodem recidente effectu) tradit, subjungens: *talia quidem docet quotidianus rerum usus, & spectant ad examina Pharmacopœorum, possentq; plura doceri hìc, nisi ab alio in arte hac magis exercitato, quàm in corrigendi modestia & medendi methodo, talia non ita pridem divulgata essent.* Quis hìc ab *Höfero* indigitetur, facilè divinari potest; neque magno labore opus est, eum digito monstrari, & dicier: HIC EST.

SIRUPUS APERITIVUS MAGISTRALIS MINDERERI *pag. 8.* prolixè satis à Zvelfero exagitatus, nunc sese offert. Quem antequam adgrediatur, *eò nunc rem rediisse*, scribillat, *ut unusquisque ferè Medicorum,*

dicorum, non solùm Juniorum, sed & Seniorum, saltem ut nomen suum hinc inde in officinis pharmaceuticis resonet, peculiarem sibi effingat compositionem, quo ipso sæpenumero summam suam in arte pharmaceuticâ ignorantiam potiùs prodant, quàm ut exindè famam aliquam sibi concilient. Omnes itaque Medicos, qui compositionis alicujus, per optimam rerum magistram, experientiam probatæ, pharmaceuticas officinas, quò ibidem publici emolumenti causâ prostet, participes reddunt, isto aucupij inanis gloriolæ vitio prurientes compellat; quod unicuique Ipsorum expendendum ac propulsandum relinquo. Sed nimiùm proterva est insimulatio hæc, quæ efficere posset, ut sæpe sæpius talis compositio, multorum in salutem, medicinæque incrementum cessura, æternis consecraretur tenebris, ne publico usui exposita, ejusmodi iniquorum Zoilorum iniquissimam censuram incurreret; nisi generosa indoles vilia contradictionis mancipia contemneret, nec, ut eorum in gratiam nobile DEI donum intereat, permitteret.

Divini autem quid in Zvelfero eminere, hoc ejus effato permotus quis putaret, utpote cui interiora cordis scrutari, Medicorumque animum penetrare concessum est; dum tam audacter, singulares eos sibi effingere compositiones, scribit, *saltem ut nomen suum hinc inde in officinis pharmaceuticis resonet.*

Non quidem negabo, quosdam ut numero talium inserantur, mereri; de omnibus tamen indistinctè id deblaterare, an virum bonum deceat, dubito.

Si salvo pudore dicere hoc liceret, pari ratione, & majori certè jure, idem de Zvelfero prædicari posset; scilicet, quòd gloriæ cupidine pruriens, peculiares sibi effinxerit compositiones, saltem ut nomen suum hinc inde in officinis resonet &c. Nec effugiet, quin suo modulo ipsum alios metitum fuisse, dicatur.

Nunc, ad magis specialia ut descendam, dictos inter Medicos & nomen suum profiteri *Mindererum*, inhumanè adfirmat. *Mindererum*, inquam, cujus in rem medicam merita sunt amplissima, qui ægros sollicitè ac fideliter sublevando, scriptis medicinam locupletando, atque eam, quo potuit modo, totis viribus spectabilem reddendo, immortalem gloriam meritus fuit, non ut mordaci isto sarcasmo, falsâque insimulatione oneraretur.

Duo autem hoc in *Sirupo Minderери* virgulâ animadversoriâ petit, paucis nunc à me examinanda.

Primum quod animadvertit, est, radices illas, quarum succos *Mindererus* præscribit, aridas esse, & exprimendo succo, nisi fortè in parcissimâ quan-

titate inidoneas. Quod utique firmo ſtaret talo, ſi expreſſio ſolarum radicum, non additâ re conveniente aliâ, intelligeretur.

Mindererus minimè ait, ſuccos illos, è ſolis præſcriptis aridis radicibus expreſſos ſumi debere; ſed in genere ſuccos earum notat.

Probè enim diſtinguere norunt Auguſtani, haud indigi Zvelferi monito, radices in ſucculentas & aridiores. Qua differentiâ habitâ, earum quoq; præparationem, ſive pro ſucco impetrando expreſſionem diverſam eſſe, ſciunt. Id quod Zvelferus vel neſcivit, vel, quò Auguſtanos traducendi materiam haberet, diſſimulavit.

Succulentæ itaque radices per ſe torculari ſubjectæ, ſuccum ſuum liberaliter emittunt; aridæ contra prius cum aquâ vel alio conveniente liquore macerantur &c. ſicque ad ſucci ſui expreſſionem, quem per ſe non fundunt, idoneæ redduntur. Hoc Zvelferus è *Schrödero*, à ſe calidè commendato, alios ut omittam, obſervare debuiſſet, qui *lib. 2. Pharmacop. med. chim. cap. 82.* ſuccorum è vegetabilibus eductionem tradens, *Vegetabilia ſucculenta*, inquit, (*minùs ſucculenta macerari, inſolari, elixarive antea volunt aquâ*) *conquaſſa & exprime.* Idem in ſpecie quoque de floribus minùs ſuccoſis, fructibus, *radicibus* & lignis edocet. Sic & vegetabilia glutinoſum, expreſſionique non adeo aptum ſuccum continentia, liquore aliquo, dum contunduntur, irrigantur, quò poſtea ſuccum ſuum faciliùs emittant; quod *portulacæ* exemplo *Galenus 6. de ſanit. tuend. cap. 14.* & *lib. 9. de ſimplic. medicam. facultat.* declarat. Quin ipſe Zvelferus parùm ſibimetipſi conſtans, ſimile quid *pag. 386. in animadverſ. Oxycrocei Vigonis* habet, ſcribens: *ſi ex enumeratis radicibus* (*althææ* puta) *radulâ tritis per ſe ſuccus exprimi nequeat, imprægnetur raſura aliquâ quantitate aquæ, vel ſubſtituatur earum radicum mucilago.*

Alterum animadverſione dignum judicatum eſt, quòd ſubtiliores partes coctione deperdantur; *adeò ut meſenterij, hepatis ac venarum meſentericarum obſtructionibus reſerandis, parùm aut nihil proſit hic Sirupus.* Cùm *hi morbi medicamenta ſpirituoſa, non verò craſſas & feculentas medicinas, virtute ſalinâ, volatili ac ſpirituali penitus exutas, utpote quæ in decoctionibus omninò caſtrentur, efflagitent.* Quid hac de objectione ſtatui debeat, in antecedentibus ſufficienter jam declaratum fuit.

Et, denuo pro defenſione Auguſtanorum ut teſtimonio Zvelferi utar, Lector Benevolus iterum *Sirupum de centaurio minori pag. 11. Pharmac. Reg.* deſcriptum, ſubtilioribus privatum partibus, & tamen ad viſcerum obſtructiones reſerandas ab eo commendatum, conſideret. Quare ſi Zvelferiani illum Anteſignani ſui *Sirupum de centaurio min.* parùm vel nihil prodeſſe, adfir-

adfirmabunt; tunc demum altiori voce præsentem *Mindereri* Sirupum virtute suâ destitutum, clamitent; sin minùs; & hunc intactum relinquant; cùm utrique pari passu ambulent.

Sirupum autem nostrum facultate salinâ penitus exutum esse, falsissimum est; ea nimirum quod adhuc insit, pars *aceti* major à coctione remanens, tum etiam reliquarum specierum decoctarum natura, sale essentiali sive tartaro, qui coquendo non exhalat, referta, comprobat.

De volatili virtute plura dici possent, nisi in præcedentibus, cumprimis *Sirupo de absinthio*, sufficienter jam de eâ disserendi ansa tradita esset. Ex quibus etiam correcta ipsius, uti quidem putat, præparatio patescit; in qua insuper alia quoque notanda essent, quæ tamen hac vice brevitatis causâ omitto.

SIRUPUM AURANTIORUM pag. 9. è succo eorum productum, ad normam *Sirupi acetositatis citri* parari posse, obiter indicat. Quare sine morâ ad

SIRUPUM DE CORTICIBUS AURANTIORUM *pag. ead.* me cum ipso confero, quem prolixo discursu evertere conatur, cujus summa est toties jam in medium allata *subtilium spirituum jactura*, quibus solis *vires ventriculum frigidum roborandi, concoctionem adjuvandi, flatus dispellendi ac cordis vires adaugendi, tribuit.* Nolo diu huic Sirupo immorari, cùm prægressa examina non omnibus viribus eum orbatum esse, clarè satis indicent. Minimè nego, abire partem aliquam oleosam, cui magna vis penetrandi insit; ast id, quod remanet, effectu viribusque ipsi attributis, prorsus carere, argumenta in contrarium adducta, refutant.

Probent igitur Adversarij, partem crassiorem, sive *extractum*, seu vocat Zvelferus, *amarum* omni virtute destitui. Imò probent, ventriculum roborandi, concoctionem adjuvandi, & flatus dispellendi majorem vim subtiliori, non crassiori ejus parti inesse.

Ad cordis quidem vires citò adaugendas illi insigniorem, præ hac vim facilè tribuo; ast nullam planè huic deberi pernegatur.

Neque enim cordi penetrantia ejusmodi unicè robur addunt, cùm diversimodè vires ejus adaugeri, constet, utpote quod ex solidis, humorosis & impetum facientibus partibus componitur. Solidas autem uti cumprimis respiciunt medicamenta corroborantia; sic & cordialia iis præcipuè debentur; quas dum *extractum amarum corticum aurantiorum* virtute suâ modicè adstringente, nec non calefaciente roborat; morbificos insuper humores absumit, aliisque modis sublevat, quis illud è cordialium numero excludat?

Per accidens etiam, dum prædicta præstat, sanguinem ac spiritus, cùm hi cordi ortum suum acceptum ferant, licet omni penetrandi vi spoliatum foret, confortat.

Ille rectissimè roborat & confirmat vires, qui omnes causas, eas debilitantes tollit. Dan. Sennertus paralip. lib. 5. institut. part. 1, sect. 1. cap. 4.

Quanquam litem non moveam illis, qui cardiaca dari statuunt, quæ sanguinem potius & spiritus, quàm solidam substantiam cordis respiciant; quorum illa sanguinem mundificandi, uti *Tinctura coraliorum* sic dictæ, ex parte etiam præsens *extractum aurantiorum amarum*; hæc spiritus augendi, refocillandi &c. prout odorata & suaveolentia sunt, (de quibus hîc Zvelferus, ac si sola essent cordialia, agit) tunc imprimis, ubi celeri opus est refectione, adhibenda, vim propriè obtinent.

Solis verò spirituosis, balsamicis, penetrantibus &c. virtutem deberi cordialem, ipse Zvelferus tacitè negat, dum (alia ut silentio prætercam) *classe 15. animadvers. in aquam cordialem temperatam, pag. 293.* succos acidos, *citri, granatorum* & alios *ad cordis corroborationem propter symbolicam aciditatem liquoris in pericardio existentis* (quo de suo loco agetur) *plurimum posse*, si *crudi* propinentur, adfirmat; quorum laudata efficacia, etiamsi destillentur, in residuo maneat, & per consequens, in parte crassiori, fixiori & terrestriori consistat.

Pag. 6. append. animadvers. Sirupum de corticibus citri (cum quo *Sirupus corticum aurantiorum* pari passu ambulat) à partibus odoratis per destillationem separatis, *saporis gratiam*; à residuo autem extracto amaro *virtutem* possidere, fatetur.

SIRUPUS FLORUM AURANTIORUM pag. 10. ferè nihil diversi à præcedente habet, numerumque obsoletorum ingreditur.

SIRUPUS DE ARTEMISIA *pag. cit.* tribus modis à Zvelfero oppugnatur.

1. Diligentem & iteratam transcolationem non sufficere ad decoctum purificandum, nisi *albumen ovi* accesserit. Verùm si non sufficiat, quod jam non controvertam, peritus Pharmacopœus, dictante etiam Zvelfero, ipse novit, quid factu opus sit.

2. Aromata sub finem demum coctionis ut injiciantur, ne vires ipsorum protinus evanescant, malè injungi; quia *parùm & leniter cocta, parùm etiam de virtutibus suis in decoctionem deponant; quæ autem in decoctum vis aromatica deposita sit, si non eâdem primâ decoctione, certò tamen in secundâ violentâ ebullitione exspiret.* Cui duplici objectioni sic obviam procedo: Si parùm & leniter cocta aromara, parùm de virtutibus suis decocto impertiun-

tur, &

tur, & ita longiorem ac fortiorem cocturam patiuntur; falsa erunt, quæ in *principio Animadversionum primi Sirupi* Zvelferus protulit, dum vegetabilia non pauca, quantumvis sicca, secum ferre spiritum quendam fugacem, adserit, qui levi calore ignis stimulatus resolvatur. Falsa itidem & frustranea erit illa *Decocti contra calculum nephritici Pharmacop. Reg. pag. 87.* aromatizatio, ubi sub finem decoctionis *cinnamomi acuti uncia dimidia* injicitur. Econtra si verum hoc est, quòd scilicet levi calore vis aromatica proliciatur; falsum erit adsertum in hoc *Sirupo de artemisiâ*, aromata nimirum leniter cocta parùm de virtutibus suis in decoctionem deponere.

Hanc verò aromaticam vim decocto impressam, si non in primâ, in secundâ tamen coctione ex parte amitti, concedo; omnem autem deperdi, pernego; cùm odor relictus de eâ testetur, quem quivis, dummodo emunctas, nec præposteri judicij excremento obstructas habeat nares, facilè percipiet.

Diuturno etiam usu comprobatam sibi esse hujus Sirupi efficaciam, Augustani in adjectâ annotatione monent, ut ita de eo, ob leves quasdam rationes, abrogando, & novâ aliquâ eum componendi methodo solliciti quò sint, nullam causam habeant.

Hujus Sirupi loco Lector Benevolus *Sirupum aperitivum spleneticum & hepaticum* Zvelferi *Pharmac. Reg. pag. 4.* intueatur; ubi *succorum libræ tres cum semisse*, præter eam quantitatem, quæ à reliquis additis recentibus vegetabilibus largè ipsis accedit, digestioni tantùm submittuntur, ne scilicet pars spirituosa pereat; postea autem cum *sacchari libris quatuor* in Sirupum coquuntur; ubi quod per solam digestionem, colaturam, expressionem ac depurationem servatum à spirituosis partibus fuit, violentis tandem ebullitionibus exspirare cogitur; cùm *unciæ sedecim liquoris* in auras abire debeant, si *succi dimidiam libram* ex recentibus illis plantis expressam fuisse, ponamus, & *libræ uni sacchari uncias octo succi*, pro Sirupi formâ impetrandâ, destinemus.

Tertia censura cum antecedenti tenoris est ejusdem, subtilium scilicet partium habendam esse rationem; quem in finem ipse novam Sirupi hujus præparationem edocet. Quæ omnia ventilare, cum Zvelfero actum agere, foret.

SIRUPUM DE BETONICA SIMPLICEM *pag. 12.* conficiendi duos modos, pro subtiliori parte, mediante destillatione impetrandâ, tradit; quos cui sumtus & labores duplicare placet, sequatur. Augustanorum intentioni traditus à se modus satisfacit; quos etiam hac ex parte *Hafnienses Medici* secuti fuerunt.

SIRU-

SIRUPUS DE BETONICA COMPOSITUS pag. 12. ab illo *de artemisiâ*, & *acetoso composito Mesues* parùm discrepare, Zvelfero dicitur; ideo, cùm in eum singulare quid non animadvertat, sed propriam tantùm præparationem adponat; præterea ipse Sirupus ampliùs in usu haud sit, ad reliquos me converto.

In *SIRUPO DE BERBERIBUS pag. 13.* monet, quòd in vase terreo, vel lapideo confici debeat. Id tamen Augustani *Prolegom. cap. 4.* in genere de omnibus *Sirupis* per se *acidis*, vel *acetum* recipientibus, quos inter *Sirupum de berberibus* in specie adduxerunt, jam dudum ante Zvelferum prodiderunt; scilicet ut non tantùm in vasis figulinis vitreatis, vel lapideis coquerentur ac despumarentur, sed & in similibus ad usum reponerentur.

Debuisset autem monitum hoc Zvelferus, dum proprio quasi in cerebro prognatum, cùm tamen aliis Autoribus, quin ipsis Augustanis debeat, illud proferre voluit, non huic demum, sed primo acido *Sirupo*, nimirum *acetositatis citri*, imò reliquis omnibus adponere; dum tam adcuratus Pharmacopœorum informator audire desideravit.

An verò succi acidi, ut *citri* &c. benè in vase ferreo, præcipuè pro illis compositionibus, quæ & odore, & vi cordiali pollere debent, igni committantur, nec ferrum indè corrodatur, ac consequenter sapor vitriolatus martialis medicamento imprimatur, cuilibet expendendum relinquo. Id autem Zvelferus aliquoties facit, uti *Pharmacop. Reg. pag. 120. Sacchari citrati tabulati*, & *pag. 122. sacchari perlati* præparationes testantur.

In SIRUPO DE BORRAGINE, *pag. 13.* notat, *flores borraginis sensili odore non pollere; si tamen verum, quòd lætitiam augeant, cor & spiritus vitales recreent & instaurent, non diffitendum prorsus, eos in se reconditum habere spiritum quendam fugacem, spiritibus vitalibus adeoq; cordi ipsi, ceu eorundem scaturigini, familiarem*; quem, ne per coctionem deperdat, ad modum *Sirupi florum aurantiorum*, destillatione capit. Plura hîc in disputationem vocari possent; ast cùm melior eorum pars cum prioribus coincidat, ea repetere, tædiosum foret.

Dubiam autem reddere alicui medicamento vim cordialem, si odoratum non est, vel medicamento inter cordialia relato, spiritum quendam fugacem, sive facilè exhalantem, necessariò adsignare, minùs prudentis hominis est. Et ipse Zvelferus, *auro crudo, coraliis, margaritis* &c. vim cordialem tribuit, quæ tamen odorem ullum, vel spiritum aliquem fugacem minimè fundunt.

Agunt

Agunt similia occulto nobis modo; & odore si pollent; non tamen omnis ipsi virtus adscribenda erit. Sic *Borrago* licet nullo odore prædita foret, nihilominus cordialis dici posset; cujus virtutem & Antiquiores & moderni Medici non pauci expertam habent; unde quoque *Buglossum* (sic *Borraginem officinarum Dioscoridi* dici, nonnulli autumant; vid. *Bauhin. Matthiol. &c.*) εὐφρόσυνον *Dioscoridi lib. 4. cap. 123.* ut audiret, meruit; *vino* enim injectum, animum exhilarare creditur. *Borago* nonnullis dicta videtur, quasi *cor ago, gaudia cordis ago.*

Cæterùm *flores Borraginis* sensili odore non pollere, uti Zvelferus scribit, ille, qui eos recentes nunquam odoratus fuerit, non talis exercitatus Veteranus Pharmacopœus dicat. Quamvis odori illi omnes & præcipuas vires, ceu modò innui, hoc ipso neutiquam adjudicatas velim.

Simili judicio SIRUPUS DE BUGLOSSO *pag. eâdem* subjicitur.

SIRUPUS BYZANTINUS SIMPLEX, & COMPOSITUS MESUES *pag. 14.* nihil singulare habent; cùm ille ad exemplum *Sirupi de betonicâ simplicis*; hic *Aperitivi Mindereri* ut paretur, Zvelferus moneat.

Nec *SIRUPUS DE CALAMINTHA MESUES pag. 14.* ab illo, *de absinthio & betonicâ simplici* differre, ipsi dicitur; quem igitur, additâ solùm mutatâ ejus præparatione, dimittit.

Sic & SIRUPUS DE CHAMÆMELO & DE CAPILLIS VENERIS SIMPLEX *pag. 15.* nihil novi adportant.

SIRUPUS DE CAPILLIS VENERIS COMPOSITUS pag. eâdem multipliciter Zvelfero vapulat; qui licet ampliùs in usu haud sit, paucis tamen evolvi meretur.

Quod ratione *drachmarum duarum seminis malvæ*, à *Dodonæo* additarum, taxat, Augustanos non attinet, qui illud in *Pharmacopœiâ suâ* nec probant, nec improbant. Quanquam improbandum haud sit, cùm exigua admodum illa seminum quantitas sit, nec Sirupo conficiendo quidquam deroget; quo de *Sirupus de althæâ Fernelij* consulatur.

Duplici verò viâ Augustanos invadit: I. Ratione *sacchari penidij*, quod frustrà *saccharo communi clarificato* adjungi, judicat; quia *necquicquam ab alio quovis saccharo albo puro discrepat, si in liquore aliquo dissolvatur; nec nisi solâ ultra ordinariam consistentiam cocturâ, & peculiari saltem efformandi modo (qui in manuali operatione consistit) ab eodem differt, qui tamen modus speciem & virtutem ejus non variat, nec ullam vim & efficaciam ulteriùs illi addit, præter-*

præterquam quòd magis friabile, & in ore præsertim infantium liquabile evadat, pectusq; sic leniter deglutitum leniat. Tandem precium saltem augere Sirupi, concludit.

1. Præterquam quòd, precij augendi causâ *saccharum penidium* additum fuisse, probandum sit; tantum tamen precium huic Sirupo ab eo accedere, non video; cùm, si dicto *sacchharo penidio sacchari clarificati unciæ octo* substituantur, tota compositio nec decimâ parte unius Imperialis, & una dosis, si eam *unciarum duarum* ponamus, ne centesimâ quidem parte unius imperialis carior indè evadat.

2. Si *saccharum penidium* in liquore aliquo solutum necquicquam ab alio quovis *sacccharo albo* discrepat; cur in *trochiscis bechicis albis, nigris & rubris, pag. 218. class. 12. saccharum canthum & penidium*, unà cum *vulgari albissimo* locum habere posse, concedit? Ea non dissolvi, aut in pristinam formam (hæc qualis sit, interprete opus est) ibidem redigi, quidem ait; ast dissolvi illa *sacchara*, ex præparatione elucescit; species enim, quas inter & *saccharum canthum ac penidium* est, cum *mucilagine tragacanthi* subiguntur, pultisque crassioris formam adquirunt; ubi mucilago illa omnes *sacchari* particulas, si trochisci elegantes ac compacti desiderentur, pervadat, easque humectando solvat, necesse est.

3. *Saccharum penidium* à *vulgari albo*, non nisi *ultra ordinariam consistentiam cocturâ* differre, non capio. *Sacchari* enim *albi puri* consistentia ordinaria compacta, dura & sicca est; *ultra* quam an durior & siccior sit, cui *saccharum penidium* adplicari queat, nescio; cùm potius *infra* ordinariam consistentiam, id est, non tam duram & siccam, coctum fuerit.

4. *Saccharum penidium* etiam à *vulgari albo puro* differt, non tantùm ratione cocturæ & singularis efformandi modo, in solâ manuali operatione consistente; sed quoque, quòd purissimum sit, partesque aliquas *olei amygdalini* leniendis faucibus adcommodati, nec non *amyli*, inter conficiendum ipsi accedentes, conjunctas habeat. Quem parandi modum *Theodor. Corbejus Pharmac. bipart. lib. 1. class. 1. sect. 8. Casp. Bauhinus lib. 1. de remedior. formul. cap. 19. Joh. Schröderus Pharmacop. lib. 4. cap. 400.* aliique tradiderunt.

5. *Saccharum penidium* à *vulgari* discrepare, scribit; quòd illud sit liquabile, & pectus, leniter deglutitum, leniat. Hoc autem omni *sacccharo*, illi etiam durissimo *crystallino, sive cantho*, competit. Nunquam enim videre mihi licuit *saccharum*, quod in ore liquationi obstiterit. Pectus etiam leniendi vis omni *sacccharo*, præ reliquis tamen *penidio*, competit.

Dum

Dum itaque *saccharum penidium* atque *vulgare* satis evidenter differunt, & nihilominus reprehensione digna est eorum in uno Sirupo permistio; quid cum Zvelferi *Sirupo menthæ majori Append. animadvers. pag. 8.* fieri debeat, unusquisque facilè videbit, ubi in eo *sacchari albissimi libram unam & dimidiam*, & *sacchari albi uncias sex* contineri, obſervabit.

Sed mitto hæc, ne Lectori Amico, nugis his ventilandis, materiâ sic exigente, diutius immorando, tædium adferam.

II. Augustani immeritam Zvelferi reprehensionem incurrunt, ratione *aquæ capillorum veneris*, cujus *unciæ octo* Sirupum hunc ingrediuntur; has autem omnes, si justæ consistentiæ Sirupus expetatur, iterum exhalare in coctione debere, sibi imaginatur Zvelferus. *In quem igitur finem addita sit*, subjungit, *judicare esto penes Benevolum Lectorem.*

Ex propriis verbis judicare Zvelferum, facile est, nempe qui multoties *saccharum* cum decocto aliquo ad tabulati consistentiam coctum, additâ aquarum destillatarum sufficiente quantitate, in Sirupum redigit. An idem de præsenti Augustanorum Sirupo prædicari nequit? Si igitur *capillorum vener.* ℥v. *glycyrrh.* ℥ij. *asplen.* Mj. *cum* ℔vj. *aquæ* ad medietatis consumtionem coquantur, & hæc medietas aquæ, virtute specierum impraegnatæ, colata, cum *sacchari clarif. & penid.* an. ℥viij. ad tabulati ferè consistentiam perducantur, ac tum demum *aquæ capillor. vener.* ℥viij. addantur, annon justæ consistentiæ Sirupus erit? an *aqua capillorum veneris* exhalâsse dici poterit? Et hoc Augustani innuunt per illud in fine positum: *Fiat Sirupus secundùm artem.* Quod *secundùm artem fieri*, Zvelferus non intellexit, vel dissimulavit.

In SIRUPIS DE SUCCO CARDUI BENEDICTI, CERASORUM ACIDORUM, & DE CICHORIO SIMPLICI, *pag. 16.* nil singulare notandum reperitur; nisi quòd in *Sirupo cerasorum acidorum* animadvertit, sumendum esse *succum sponte ex cerasis, unà cum nucleis contusis*, effluentem, qui aliàs ope torcularis expressus gelatinam potius, quàm elegantem Sirupum præbeat. Augustani non dicunt, succum ope torcularis exprimi debere, cùm ille per linteum, leni manuum expressioni facilè cedat; ut ita torculari minimè opus esse, probè sciant. Si quis verò ad imitationem moniti Zvelferi, succum è *cerasis* unâ cum *nucleis* contusis, eductum sumat, ille ingratum sibi Sirupum comparabit, eò ingratiorem futurum, si normam *pag. 10. Pharmacop. Reg.* præscriptam, sequatur, ubi *cerasa acida* in mortario lapideo, ut *nuclei* omnes frangantur, conquassare, iisque plures insuper alios *nucleos cerasorum acidorum*, antea adservatorum, ac etiam conquassatorum, pro majori odoris impressione, addere præcipit.

Quis autem in hoc Sirupo levem illum odorem desideret, ut non eundem, sapore gratissimo acidulo in ingratum à *nucleis* mutato, potius abhorreat? An verò Lector Benevole, odorem istum *nucleorum* contusorum Sirupo confecto adhuc inesse, existimas? neutiquam; in aëre quærendus est, quem unà cum illâ succi parte, quæ coquendo exhalare debet, petit.

Reliquos duos Sirupos ad modum aliorum è succis paratorum, nempe per destillationem, fieri debere, censet. Cur? Ut habeat, quod Augustanis contradicat. Nam *Pharmacop. Reg. pag. 10. & 11.* eorundem Siruporum, videlicet *de carduo benedicto* & *de cichorio*, confectionem, secutus Augustanorum modum, mediante solâ coctione, tradit.

SIRUPUS DE CINNAMOMO *pag. 17.* si præscripto modo paretur, quòd magnâ fragrantium & optimarum particularum parte orbetur, utique verum est. Id tamen non latuit Augustanos, qui, antequam Zvelferus animadversiones suas promulgasset, alio jam modo eundem parare inceperunt, testantibus idem uno & altero Pharmacopœorum nostrorum peritissimo.

Quare benè sibi consulunt illi, qui *aquam cinnamomi*, prius *recenti cinnamomo* superinfusam, cum *sacchari clarificati* sufficiente quantitate miscendo, solâ dissolutione Sirupum hunc conficiunt, eique pro majori efficaciâ *oleum* etiam ejusdem superaddunt.

Modus quem tradit Zvelferus, satis prolixus, tædiosus & sumtuosus est; cujus insigne compendium fieri potuisset. Ad quid enim trina illa *aquæ cinnamomi à recenti* semper *cinnamomo* in B. ex cucurbitâ (de qua etiam quid dici posset, cùm in *App. animadv.* ob *oleum cinnamomi*, destillationem in arenâ per retortam fieri debere, moneat) abstractio, dum unica sufficit? Si nempe illæ *cinnamomi unciæ duæ cum dimidiâ* primæ, & *totidem* secundæ, ac *quinque* tertiæ destillationis conjungantur, atque cum adsignatis *libris duabus aquæ cinnamomi* aliquandiu digerantur, tandemque ad siccitatem usque abstrahantur; eadem aqua prodibit, quam à triplici destillatione obtinere liceret; imò fortè melior, cùm in repetitis talismodi destillationibus semper aliquid oleosis istis aquis decedat, varioque modo perdatur.

In *Append. animadvers.* quidem prolixitatem illam, sed frigidè satis, excusat, se nimirum imitatum fuisse antiquas reiteratas infusiones, *ut eò lucidiùs errores, contrariis juxta se positis, elucescerent.* Sed quia reiteratas istas infusiones erroris insimulat; ut hic elucesceret, ipse contrarium, unicam nimirum infusionem sive destillationem commendando, ponere debuisset; trinæ enim Augustanorum infusioni, trinam infusionem cum subsequenti destillatione opponere, non est contraria, ratione numeri infusionum, juxta se po-

ſe ponere. Præterea ne verbulo quidem reiteratas illas Veterum infuſiones his in animadverſionibus culpavit, cùm tamen aliàs in minimis etiam defectibus perſtringendis calamo alacriter utatur, & multiplicatos conſimiles labores alibi ſummis viribus contrahere, laboret, prout ejus exemplum *pag. 65. animadverſ. in Sirupo roſarum ſolutivo ſimplici*, & *pag. 332. in oleo ſcorpionum magno Matthioli*, ſubminiſtrat.

Imò *Pharmacop. Reg. pag. 28. aquam roſarum* in *Julepo roſarum*, novis ſuperinfuſam *roſis* iterum, atque ita bis deſtillat. In *Julepo* quoque *è vino, pag. eâdem, vinum à floribus roſarum, tunicæ, corticibus aurantiorum, citri, & cinnamomo* abſtrahit, quam ipſam abſtractionem, adfuſo illo *deſtillato vino* novis ſpeciebus, repetit. Unde licet illum errorem in *Sirupo cinnamomi* commiſſum aliquo modo excuſet, per hæc & ſimilia tamen bonam, quam ſibi conciliare conatur, cauſam, iterum deperdit.

Ultima rectificatio, quam conjunctis *aquis cinnamomi & roſarum*, nec non *ſpiritui vini malvatici* deſtinat, ſimiliter fruſtrà inſtituitur. Ex parte quidem *aquæ cinnamomi*, quia *fortiſſima & acerrima* ipſi jam ante rectificationem dicitur, eâ opus minimè eſt, niſi aquam cinnamomi fortiorem fortiſſimâ, & acriorem acerrimâ ſe eo modo impetraturum ſperaverit. Ponamus autem, eam rectificatione adhuc indigere, abſolvi tamen hæc ultimâ illâ, ſive tertiâ deſtillatione poterat, ſi nempe *aquam cinnamomi* tunc ad ſiccitatem usque non abſtraxiſſet, ſed leni tantùm igne meliorem ejus partem ſeparâſſet. Et hoc ipſum quoque in *vini malvatici* atque *aquæ roſarum* deſtillatione obſervare potuiſſet. Toties enim repetitâ deſtillatione ſi nihil aliud, tempus tamen, opera & ſumtus inutiliter perderentur.

Denique non minùs, quam ſupra jam aliquoties attigi, cenſuram iterum meretur; dum hunc Sirupum vel ſolâ diſſolutione, vel unâ ebullitione, conficere, docet. Fruſtrà quippe ebullitio admittitur, ubi ſola diſſolutio ſufficit; cùm ibi non levis particularum *aquæ cinnamomi* fragrantiſſimarum pars peſſum eat.

Non dicam jam, quòd & alibi in diſſipandâ preciosâ aromatis hujus aquâ ſatis prodigus ſit Zvelferus.

Nec ipſius *dextra*, uti vocat, *Sirupi hujus præparatio*, in *App. animadverſ.* tradita, ab eâdem animadverſione ſe vindicare valet; ubi ab *aquæ cinnamomi libris duabus, vini malvatici librâ unâ, aquæ roſarum unciis duabus*, poſtquam *cinnamomi acuti unciis decem*, ſuperinfuſa fuerunt, *libram unam & dimidiam, vel libras duas* in arenâ per retortam, igne paulò fortiori abſtrahere præcipit; qua forti abſtractione non ſola ſpirituoſior enumeratarum aquarum &c. pars, ſed phlegma etiam in largâ quantitate in vas recipiens tranſit,

ſicque aliqua fragrantium ſpirituum portio in retortâ relinquitur, quæ poſtmodum vel abjicitur, vel unà cum aquâ & remanentiâ *cinnamomi*, coctione in auras pellitur.

Auctarij loco adjecta cautela, *aquam* ſcilicet *cinnamomi acerrimam* filtrandam non eſſe, vel Sirupum per pannum colandum, ne oleaginoſitas utriusque filtro vel panno adhæreat, vanum excitat ſtrepitum. Probè norunt periti Pharmacopœi, *aquam cinnamomi* (licet albicans adpareat) per alembicum purum, in vas recipiens, pariter nullis ſordibus inquinatum, deſtillatam, ut & Sirupum ex ſimili aquâ & *ſaccharo optimè clarificato* paratum, filtrationem non requirere. Si cui verò *aquam cinnamomi* filtrare placeret, aliquam licet oleaginoſitatis *cinnamomi* particulam amittat, quam unà cum aquâ chartæ pori (ſic in Sirupi colaturâ panno aliquid adhæret) imbiberunt. Perpauculum tamen illud eſt, nec unica, uti modò innui, *cinnamomi* oleaginoſitas; quia aqua albicans, qualis prius exſtitit, per filtrum tranſit; & Sirupus poſt colaturam potentiſſimo odore gaudet; atque ita ſignum infallibile olei ſuperſtitis præbent.

Auctario huic aliud *pag. 5. Append. animadverſ.* auctarium ſubjungit: oleum ſcilicet, ſi quod à *cinnamomo* in deſtillatione cum aquâ prolectum fuerit, cum *ſaccharo* in elæoſaccharum prius redactum, admiſceri Sirupo debere, ne vel fundum petat, vel Sirupo ſupernatet. Quem equidem modum non rejicio, aſt ſolum *oleum*, *ſaccharo* prius non permiſtum, Sirupo mediante agitatione ſi permiſceatur, non eſt dubium, quin per minima cum Sirupo uniatur, oculari inſpectione illud clariſſimè atteſtante; ſic ut metus ille, ne fundum, vel ſuperficiem petat, inanis planè deprehendatur. Hanc ipſam tamen cautelam aliis quoque Sirupis, cumprimis illi *de corticibus aurantiorum* &c. adjungere, adcurati Animadverſoris munus poſtulaſſet.

SIRUPI CORALIORUM difficultates, quibus ſcatere eum Zvelferus *pag. 18.* ſcribit, nunc enodandæ ſe ſiſtunt.

I. *Coraliorum* libram dimidiam à *ſucco berberum* depurato, ad eminentiam quatuor vel quinque digitorum adfuſo ſolvere, Auguſtanos moliri, objicit, cùm tamen *octo vel decem ejus libræ* vix ſufficiant. Aſt non dicunt Auguſtani, quòd omnis *coraliorum* ſubſtantia ab illo ſemel ſuperinfuſo ſucco ſolvenda ſit; ſed quòd ſolutio à ſæpius reiteratâ recentis ſucci adfuſione impetretur. Unde aliquoties eam repetendam eſſe, claris verbis indicant.

II. Licet Auguſtani hoc in negotio moniti ſui parùm memores fuiſſent, totum ſcilicet à ſemel adfuſo *ſucco berberum* ſolvi ſtatuendo, & poſtea ſimilem ſuccum pro ulteriori diſſolutione fecibus, ſive ſubſidentiæ relictæ ſæpius adjungendo; propterea tamen adeo falsè traducere eos, haud decuit

Zvelfe-

Zvelferum, qui ſe ipſum à nævo illo liberare prius debuiſſet, quàm aliorum maculam tangeret. Toties enim jam demonſtravi, quàm parùm ipſe monitorum ſuorum memor ſit, quantasque ἀνλογίας committat. In ſubſequentibus quoque, ſimiles plures Zvelferianas contradictiones attingendi, & Zvelferum è Zvelfero reformandi, occaſio dabitur. Pariter quæ de *ſucci berberum & coraliorum* colore adducit, animum ipſius hoſtilem, non ſingularem aliquam animadverſionem ſapiunt, nec reſponſionem merentur; cui facilè redhoſtimentum aliquod, ſi operæ precium foret, è *Pharmacopœiâ Regiâ* reponi poſſet.

III. *Coralia* in *ſucco berberum* ſoluta, & cum *ſaccharo* cocta præcipitari, animadvertit, dum ſcribit: *Sed eſto, impragnatum hoc modo habeant ſaturatâ Tincturâ corallinâ ſuccum, ſubjiciant eundem Vulcani violentiæ, percoquant, ſuo modo, cum ſaccharo pro libitu, deprehendent, Corallia ſuum retinaculum, quo veluti compede erant reſtricta, mox deſertura, & loco Syrupi Corallinâ Eſſentiâ imbuti, reperient grumoſum, à Coralliis planè quaſi deſertum Berberum ſuccum, ſaccharinâ dulcedine delinitum; Aciditas enim ſucci ſuperatur quaſi & vincitur à dulcedine Sacchari (præſertim in violentâ & diuturnâ coctione) quod eſt veluti ſal dulce Corallia præcipitans, more aliorum ſalium.*

Verùm Auguſtani 1. non deſiderant propriè ſuccum imprægnatum *Tincturâ coraliorum*, ſed ſuccum *coralinâ eſſentiâ* imprægnatum, ſive in quo *coraliorum* ſubſtantia diſſoluta ſit. De quo non opus fuit, ſcribere: *Eſto, habeant imprægnatum ſuccum &c.* quia reverà talem ſuccum per illam præparationem adquirunt. Ineſſe enim ipſi *Coralia* ſoluta, negari nequit.

2. Auguſtanorum modus non eſt, *Vulcani violentiâ ſuccum hunc cum ſaccharo percoquere,* ſed leni potius ignis calore eundem in debitam conſiſtentiam reducere. Iſto enim: *coquantur in formam Sirupi*, non violentam, ſed mitiorem, in B. V. inſtitutam coctionem, intelligunt. Unde Pharmacopœos ad *Quercetanum quoad Balnei vaporoſi conſtitutionem* remittunt; qui eandem coctionem in B. V. pariter celebrat. Videatur ejus *Pharmacopæia dogmat. reſtit. lib. 1. cap. 12.* nec non *Joh. Schröderus Pharmacop. medic. chimic. lib. 3. cap. 6.* ubi artificium *Quercetani*, ad concinnandum hunc Sirupum, nullum aliud, quàm evaporationem lentiſſimam in M. B. tepido factam, eſſe, memorat.

3. Licet Auguſtani violentam coctionem præciperent, *coralia* tamen hac ratione præcipitatum iri, ita ut *ſuccus berberum* planè quaſi ab iis deſeratur, maximè dubito; & licet aliquid in fundum fortè ageretur, tota tamen *coraliorum* ſubſtantia illud neutiquam eſſet, Quin hujus rei certior ut fierem,

rem, violento igne in vaſe terreo vitreato *ſuccum berberum*, *coraliis* ſaturatum, cum *ſaccharo* in Sirupum decoxi, & ne granulum quidem præcipitatum fuiſſe, obſervavi; cui verò poſtquam *ſalis Tartari ſolutionem* inſtillavi, *coralia* mox à *ſucco berberum* ſoluta fundum petierunt.

4. Grumoſum evadere violentâ coctione Sirupum, negari equidem nequit; tanta tamen grumorum quantitas non eſt, & qui colaturâ inſtitutâ facilè ſeparantur.

5. In cocto iſto Sirupo aciditatem *ſucci berberum* à *ſaccharo* ſuperari & quaſi vinci, concedo; idem tamen in *Sirupo coraliorum Zvelferi*, cujus præparationem adnectit, quoque fit. Neque Sirupus hic ob aciditatem, ſed propter *coralia* præparatur.

6. *Saccharum eſſe veluti ſal dulce, coralia præcipitans, more aliorum ſalium*, ex jam dictis, contra Zvelferum negatur. Præterea ſi quis ſolutionem *ſacchari*, ſolutioni *coraliorum*, ſive cum *aceto deſtillato*, ſive *ſucco berberum* factæ infundat, nullam tamen præcipitationem obſervabit. Quin etiam ſi *ſaccharum* ex acidis ſoluta in fundum agit, idem in *Sirupo coraliorum Zvelferi* fieri deberet, quia *ſal coraliorum in ſucco berberum* ſolutum cum *ſaccharo* miſcetur, & digeritur. Idem quoque accideret in *Pharmacop. Reg. pag. 11. Sirupo coraliorum refrigerante*, ubi accedente etiam ebullitione, *coralia* pariter *à ſucco granatorum acidorum*, per additum *ſaccharum*, ſeparari deberent. Idem periculum maneret *Sirupum emeticum in Append. animadverſ. pag. 10.* deſcriptum; ubi *vitrum antimonij* in *aceto deſtillato* corroſum, per *ſacchari* conjunctionem & violentam coctionem, in qua, juxta Zvelferi fundamentum, ad minimum *libra dimidia aceti deſtillati* ut exhalet neceſſe eſt, *acetum deſtillatum* deſerere cogeretur.

7. *Saccharum* non eſt *veluti ſal dulce*, ſed *revera ſalis dulcis* nomen meretur. Quomodo autem *more aliorum ſalium coralia* præcipitare poteſt, dum *ſal aceti acidum* aliaque, neutiquam *coralia è ſucco berberum* præcipitant; cùm hoc tantùm ſalibus, quæ acidis contraria ſunt, quæque non ineptè à *Tackenio alcalia* vocantur, competat?

E dictis nunc patet, præſcriptam à *Quercetano*, & ab Auguſtanis *Diſpenſatorio ſuo* inſertam Sirupi præſentis præparationem, *inutilem*, ſine merito proclamari; cui quidem alteram illam, quæ *coraliorum ſolutionem in aceto deſtillato* factam recipit, vel aliam aliquam ſubſtitui poſſe, non inficias ibo. Prout *Auguſtæ* modum iſtum, per *ſolutionem* ſcilicet *coraliorum in aceto deſtillato*, uſitatum jam fuiſſe, antequam Zvelferi nomen ipſis innotuerit, à fide dignis Viris accepi.

Sed

Sed quia adeo ſcrupuloſus in hoc Auguſtanorum Sirupo Zvelferus fuit; viciſſim unum alterumque ſcrupulum in tradito ab ipſo modo movere placet.

1. Abſtractio illa ſtudioſa in M. B. *ſolutionis coraliorum aceto deſtillato* factæ, non eſt neceſſaria, cùm faciliori opera absque tali deſtillatione ſolutio coagulari poſſit. Quia enim ſaltem *inſipidum phlegma* prodit, tantâ ſolertiâ illud excipere, opus haud eſt.

2. Hanc *coraliorum* exſiccatam ſolutionem *ſalis coraliorum* nomine dignatur; quod tamen ſal dici non poſſe, *pag. 68. App. animad.* defendit. Et revera nihil aliud eſt, quàm *ſal aceti* cum *coraliorum* corpore coagulatum.

3. His verbis: *fruſtrà laborant, qui ſolutiones illas, ſive per reiteratas aquarum ſtillatitiarum affuſiones & abſtractiones edulcorare tentant, quam nullo modo amittunt, niſi deſtruxeris totum, traditâ ſolutione igne violento*; nullus ſenſus ineſt. Quid enim illud: *quam nullo modo amittunt*, reſpicit? quid nullo modo ſolutiones illæ amittunt? Exiſtimo tamen, ſi reliqua verba conſulo, *aciditatem aceti* eum intelligere; ubi verò notandum occurrit

4. Solutiones iſtas edulcorare, fruſtraneum laborem ſimpliciter vocari non poſſe. Facilè enim fit, ut *aceti* quantitas major adſumta fuerit, (nam utrîusque proportio exacta ignoratur) quàm ad *coraliorum* totalem ſolutionem requiſitum fuit; Unde hujus ſuperflui *aceti* particulas ſalinas ſolutioni conjunctas, per aquarum deſtillatarum adfuſiones, à reliquâ ſolutione abluere, non fruſtraneus labor eſſe poteſt.

5. Solutiones illas non niſi igne violento ſalem acidum amittere, negatur; adfuſum enim ipſis *ſal Tartari reſolutum* &c. in acidum ſalem iſtum agit, cum eo conjungitur; & ita *coraliorum* pulverem à ſale acido liberatum, in fundum præcipitat.

SIRUPI DE CORTICIBUS CITRI animadverſiones his verbis *pag. 19.* exorditur: *Ipſimet nolentes volentes in annexa ſua animadverſione fateri coguntur, rei veritate convicti, quòd ſervata odoris fragrantiâ ſuavior, & per conſequens etiam utilior & efficacior evadat Syrupus.* Minùs veraciter Zvelferus, Auguſtanos nolentes volentes illud ſuum de Sirupi hujus fragrantiâ effatum protuliſſe, clamat. Probet Adverſariorum caterva, Auguſtanos unquam negaſſe, quòd *Sirupus corticum citri* ab aromatico illo odore ſuavior non evadat. Probet, unquam eos veritati ſe in hoc oppoſuiſſe, adeo ut jam *nolentes* etiam, *rei veritati convicti*, illud fateri cogantur.

Abſurda autem eſt concluſio, quam infert Zvelferus, dum Sirupum hunc ideo utiliorem atque efficaciorem dicit, quia ob odoris fragrantiam ſuavior ſit. Poteſt medicamentum aliquod ob odorem additum fragrantiſſimum,

tiſſimum, ſuave eſſe; non tamen ſequitur: E. etiam utilius & efficacius eſt. Contrarium ipſe Zvelferus nolens volens, rei veritate convictus multoties probat, v. g. dum purgantia & vomitoria cum cordialibus, aromaticis, odoriferis malè miſceri, inculcat.

Quin hunc ipſum Sirupum, ubi ab odore fragranti ſuavior redditus eſt, in genere utiliorem vocare, abſonum planè eſt; non enim omni individuo hoc modo competit, mulieribus præcipuè hyſtericis plus oberit, quàm proderit; unde quoque *completus ac incompletus*, i. e. *ſine & cum moſcho* in officinis noſtris proſtare debet.

Cæterùm Lectorem ad præparationem *Sirupi corticum aurantiorum* relegat, ex quo hujus etiam præparationem haurire debeat; quo & ego Lectorem remitto.

Craſſam inſuper, *ruſticam & explodendam corticum citri* Sirupo jam perfectè cocto, *injectionem* adpellat; cùm hic ob lentorem & craſſitiem nihil ulterius extrahere poſſit. Craſſa hîc eſt Zvelferi Minerva, quam vel quilibet ruſticus exploderet, ſi talis Sirupus ipſi odorandus offerretur. Quare iniquo huic judicio refutando immorari nolo, cùm omnes argutas objectiones odor citrinus, Sirupo per *corticum* injectionem conciliatus refutet. Præterea Auguſtani non ſimpliciter, perfectè cocto Sirupo injici debere *cortices* illos, ſcribunt; ſed in fine coctionis, ubi ſcilicet Sirupus adhuc calidus, eò faciliùs virtutem eorum extrahere atque in ſe recipere poteſt. Aliàs ſi talismodi medicamentis ſimilem ſpiſſitudinem obtinentibus, nihil virium ab injectis aliis ſimplicibus accedere poſſet; neſcio, quo modo *Mel anthoſatum, Pharmacop. Reg. pag. 25.* deſcriptum, virtute *florum & foliorum roriſmarini* imbutum dici, ſicque nomen *anthoſati* præ ſe ferre queat; neſcio, an *pag. eâd. mel à menthâ*, & *pag. 26.* à *roſis* immerſis quidquam virium mutuentur?

SIRUPI CYDONIORUM & DE ENDIVIA SIMPLEX *pag. 20.* nihil ſingulare habent.

SIRUPUM DE ENDIVIA COMPOSITUM *pag. eâd.* cum illo *Magiſtrali Mindereri*;

SIRUPUM DE EUPATORIO MESUES pag. 21. cum *Sirupo de betonica compoſito*;

SIRUPUM DE FARFARA, *pag. 21.* DE FRAGIS, nec non DE FUMARIA SIMPLICEM, *pag. 22.* cum aliis è ſuccis paratis; &

SIRUPUM DE GLYCYRRIZA MESUES *pag. 22.* cum *Sirupo capillorum Veneris compoſito* concordare, ſcribit.

SIRUPUM GRANATORUM DULCIUM *pag. 22.* nec non

ACI-

ACIDORUM, & DE SUCCO HEDERÆ TERRESTRIS *pag. 23.* ad reliquos è ſuccis confectos Sirupos refert.

Quæ contra *Quercetani Sirupum hederæ terreſtris* adfert, præterquam ad Auguſtanos quòd non ſpectet, parvi etiam momenti ſunt, ex parte jam diſcuſſa.

SIRUPI FLORUM HYPERICI genuinam præparationem ex *animadverſionibus Sirupi florum aurantiorum* petendam eſſe, *pag. 23.* monet. Sed vix deſtillatione indigere *hypericum* videtur, cùm parvus odor, & conſequenter, ex Zvelferi doctrinâ, paucæ penetrantes particulæ ipſi inſint.

SIRUPI DE HYSSOPO MESUES *pag. 23. compoſitionem futilem ac inutilem* nominat, cui plurima inſunt, *quæ paulò adcuratiùs rationis lance* ſi *expendantur, difficillimam*, imò *impoſsibilem* reddant ejus *confectionem; ut jure meritò huc trahi queant*, addens, *omnia illa, quæ ſuperiùs de Syrupo de althæa dicta & annotata.* Quæ & ſequentia dum adcuratiùs rationis lance expendo, plura in futili ac inutili hac animadverſione digna invenio reprehenſione.

Impoſſibilem eſſe ejus confectionem, Officinæ noſtræ, & plures dubio procul diverſorum locorum aliæ, refutant.

Cauſam impoſſibilitatis Sirupum hunc conficiendi, ingredientium proprietatem adducit, quæ majori ex parte ad Sirupi confectionem inepta ſint. *Jujubas* enim, *Sebeſten, Uvas paſſas, Caricas, Dactylos* craſſum & viſcoſum decoctum; *tragacanthum, ſemen malvæ & cydoniorum* meram viſcidam ſpiſſamque mucilaginem præbere; unde Sirupus eleganter transparens difficulter conficiatur. Ideo, his eliminatis, è reliquis ſolis Sirupum confici debere, arbitratur. Repetit deinde illud de ſpecierum mucilaginoſarum in nodulum incluſione. Quæ omnia ſi refutare animus eſſet, Lectori non niſi tædium in repetitione jam dictorum crearem. Quare ut *cenſuram in animadverſiones Sirupi de althæâ Fernelij* conſulat, ſuadeo; ubi omnia hæc dubia enodata inveniet. Memor autem illius objecti ſui eſſe debuiſſet Zvelferus *Pharmacop. Reg. pag. 25.* ubi *Sirupo de glycyrrhizâ pectorali dactylos N. xv. & jujubas N. xxv.* coquendo immiſcet.

De ſaccharo penidio, quod ob nullam aliam cauſam *ſaccharo communi* ſubſtitui, quàm ut precium Sirupi augeatur, malitioſè imputat, *Sirupi de capillis Veneris examen* agit.

SIRUPUM DE JUJUBIS MESUES *pag. 24.* eodem mactat elogio, & eandem cum antecedente redolere proſapiam, iisdemque ſcatere erroribus, ſtatuit. Ex illo igitur integritas huic reſtituatur.

Peritus autem in arte ſuâ Pharmacopœus non poteſt ignorare, qua ra-

tione Sirupum hunc & confimiles eleganter, fine ingredientium mutilatione, conficere poffit. *Sed qui non norunt naturam rerum*, verba funt *Rondeletij pharmacopol. offic.* de *Sirupo hoc jujubino*, *non poffunt benè parare, & conqueruntur de vifcofitate.*

SIRUPUS DE LIMONIBUS *pag. 25.* idem cum illo *acetofitatis citri* effe, declaratur.

SIRUPUM DE LUPULO, DE SUCCO MELISSOPHYLLI, *pag. 25.* & *DE MENTHA MINOREM MESUES pag. 26.* ad *Sirupi de betonicâ fimplicis* confectionem refert.

SIRUPUM DE MENTHA MAIOREM MESUES *pag. 26.* prolixâ animadverfione peffumdare tentat, atque

I. *Lepidam & ridiculam* effe *fuccorum cydoniorum & granatorum* permifcendorum *variationem*, putat, quia

1. fit *difficilis*, imò *vix poffibilis*, etiam in Italiâ, quæ tamen ipfis, maximè granatis, tellus eft vernacula. Aft lepidus hic difcurfus vel cuilibet tyroni pharmaceutico, imò mulierculæ rifum movere poffet, qui delectum illum facilem admodum effe & maximè poffibilem, optimè norunt. *Granata* quidem quod concernit, res eft notiffima ; quam etiam paulò poft, parùm fui memor concedit, dum, *Granata*, inquit, *five fructus mali Punici manifeftè inter fe differre, nullus diffiteor. Cydoniorum* verò delectum non effe impoffibilem, fed facillimum, fi nullo alio modo, ex ipfo tamen Zvelferi circa hunc Sirupum difcurfu probari poffet. Sic enim fcribit : *quod ad cydonia attinet, illa parùm quoad aciditatem & dulcedinem inter fefe differunt, & utplurimùm prout magis vel minus maturitatem adepta funt, in fapore difcrepant.* Quodnam igitur horum genus impetratu vix poffibile erit? an *cydoniorum* non fatis maturorum, vel optimè maturitatem adeptorum?

2. Cùm non fit *neceffarium*, adeo *rigidè & præcisè* differentias illas fuccorum ad dextram Sirupi hujus confectionem trahere. *Cydoniorum* quidem, cùm uti modò dictum, ratione majoris vel minoris maturitatis faltem inter fe differant. *Granatorum* autem, quia fapor acido - dulcis ex dulci & acido conftituitur ; inutilem ergo effe fuccorum dulcium & acidorum figillatim additorum farraginem, *fi ex folis acido - dulcibus granatis fuccus pro Syrupi hujus confectione exoptetur.* Verùm (ut jam non dicam, quòd Auguftani minimè *rigidè* præcipiant, ut differentia illa fuccorum *præcisè* obfervetur) ratione *fuccorum cydoniorum* malè procedit confequentia : *cydonia dulcia & acida* ratione majoris vel minoris maturitatis tantùm differunt. E. fuccus eorum dulcis & acidus non neceffariò fimul adduntur. Alias enim qualitates plurimæ res crudæ ; alias dum coctæ & perfectæ funt, obtinent. Ipfe

etiam

etiam Zvelferus *Pharmacop. Reg. pag. 181. 182.* in *Confectionem cordialem regiam, fructus aurantiorum immaturorum & minutissimorum, adhuc viridium* recipit; quibus prater *florum eorundem aquam, cortices* quoque *aurantiorum maturorum* adjungit. Si igitur immatura cum maturis in unam eandemq; compositionem recipere, tantum in Augustanis piaculum est; non video, quomodo Zvelferus in *adductâ confectione cordiali* excusari possit.

Granata naturâ suâ acido-dulcia ex acido & dulci mixtis, constare, verum est; an autem si *succus granatorum naturâ dulcium*, & *succus granatorum naturâ acidorum* misceantur, ejusdem naturæ sint cum *succo naturaliter acido-dulci*, dubito; cùm longè aliter illa saporum unio à naturâ instituta se habeat, quàm quæ ab artifice manu proficiscitur; sic *spiritus vini* cum *phlegmate vini* aut *vappâ* post destillationem relictâ iterum conjunctus non ejusdem naturæ, saporis, odoris, coloris &c. *vinum* præbet, quale ante destillationem fuit. *Vinum* itidem *dulce* cum *naturâ acido vino* permistum, non præbet *vinum* in qualitatibus illis temperatum & jucundum; quale esse solet tale *vinum*, quod sponte suâ sic producitur.

Sed ponamus, non necessariam esse tot diversorum succorum, quia sibi invicem similes existant, additionem; an ideo planè & inutilis & expungenda censeri debet? Hoc modo maxima pars compositionum Zvelferi *Pharmacopœiæ Regiæ* expungenda veniet; ubi multa sæpe uni insunt compositioni, quæ sibi tum naturâ tum effectu similia sunt. Exempli loco inserviat *Saccharum citratum tabulatum Pharmacop. Reg. pag. 120.* quod continet *saccharum in succo citri* (cui *cortices citri* recentes prius infusi fuerunt) solutum, item *cortices citri* contusos, & *essentiam citri saccharinam*, quæ pariter *saccharum, succum corticum citri prelo expressum, nec non succum ex iisdem digitorum ope saltem expressum* recipit. *Saccharum* igitur bis, *cortices* autem *citri* quater in hac compositione deprehenduntur. Pari ergo, imò majori jure lepida, ridicula, inutilis & nullius momenti varia ista *corticum citri* additio proclamatur.

3. Sumtuosa cùm sit illa succorum dulcium & acidorum conjunctio. Multa toties de sumtuosis compositionibus contra Augustanos garrit, cujus propriæ tamen compositiones, si cum Augustanorum conferantur, tum in *animadversionibus* hisce, tum in *Pharmacopœiâ Regiâ*, non sumtuosæ, sed sumtuosissimæ dicendæ erunt. An autem delectus ille sumtus augeat, Pharmacopœi & qui similes fructus tractant, judicent. Quod si aliqua differentia ratione precij *granatorum acidorum & dulcium* &c, interdum occurrat, tanti tamen momenti illa minimè erit,

Res sanè cachinno digna, etiam in levissimis illis, quæ vel quivis idiota & *crudus rusticus, si judicium suum parùm saltem consuleret, ex facili suboleret, intempestivam suam* in animadvertendo *curiositatem prostituere.*

I I. *Perperam & absurdam illam vini antiqui & generosi* (Notetur, vocabulum hoc : *generosi*, à Zvelfero additum, falsò Augustanis quoque tribui) *additionem* dicit; cùm illius spirituosæ partes in coctione exhalare cogantur. Sit ita; cùm tamen nesciam, quam ob causam Antiquitas huic compositioni, aliisque similibus inesse *vinum* voluerit; nihil determino; absque tamen eo commodè parari posse, existimo.

Sed in eundem errorem (si error dici debet) absurdum Zvelferum impegisse, facillimè monstrari potest. Ut de *vini spiritu*, quem multoties auras petere cogit, nil dicam. In *confectione Rob de spinâ cervinâ Pharmac. Reg. pag. 29. vinum perperàm* coquit. In *Pilulis mastichinis pag. 67. libram unam vini optimi & spirituosi* leniter evaporare permittit. *Pag. 91.* in *epithemate ad erysipelata vini & aceti* an. ℔ij. *cum aquæ* ℔j. ad consumtionem quartæ partis coquit. *Pag. 281.* in *Unguento ad hernias, vini boni rubri uncias sex* pariter deperdit.

I I I. *Ineptè mentham* prius siccandam esse, pro supervacaneæ humiditatis, flatibus suis ventriculum turbantis depositione, *unumquemq; facilè videre, qui computum instituerit, quot libræ pro Sirupi hujus consistentia indipiscenda, liquorum, cum vini, tum succorum inutiliter debeant evaporare.* Video quidem, *menthæ* exsiccationem rejici; ast causa, quæ adfertur, interprete opus habet; cùm tam ineptè posita sit, ut quid evincere debeat, nemo facilè videat. Meliùs autem *pag. 7. Append. animadvers.* rem declarat; ubi *menthæ* exsiccationem ideo vituperat, quia in eâ odoriferæ, sulphureæ ac subtiliores *menthæ* partes exhalant. Dolendum est, jocari liceat, quòd Augustani modum exsiccationis non adjunxerint, *menthamq; in umbrâ cum cautelâ, & chartâ desuper opertam* siccandam esse, haud monuerint; quo ita Zvelferi censuram effugissent. Ipse enim *Pharmacop. Reg. pag. 103.* in *pulvere grosso ad sacculos pro epithemate cordis & pulsibus*, cum herbis, floribus & corticibus recentibus fragrantissimis hoc observat; fortè quò ita fragrantiæ eorum exspiratio, *ob chartam cum cautelâ* impositam, impediatur. Quo ipso forsan artificio *rosas* quoque, quas exsiccatas, in substitutâ præparatione, *App. animad. pag. 7.* traditâ, sumendas esse, præcipit, tractari exigit.

I V. Præparationem ad normam *Sirupi de absinthio* institui debere, monet; ad cujus itaque examen Lectorem remitto.

V. *Galiæ moschatæ drachmas tres* in sindone ligatas & tritas præposterè jam confecto Sirupo immitti, animadvertit; cùm ejus essentia à Sirupo ad

crassitiem

crassitiem perfectè cocto extrahi non possit. Ast præposterum hoc judicium ipse tali modo confectus Sirupus evertit; cùm odore dictæ *Galiæ moschata* se commendet.

Notare etiam convenit, aromatica talia, ceu in *Sirupo de corticibus citri* jam monui, in linteo ligata, pro aromatizatione Siruporum circa finem coctionis, & dum post coctionem adhuc calent, imponenda esse; de quo eleganter agit *Ludovic. Septalius animadverf. medic. lib. 9. §. 210. & seqq.*

SIRUPUS DE SUCCO MERCURIALIS pag. 27. inusitatus est, & ab animadversione liber dimittitur. Sic & sequens

SIRUPUS MYRTINUS COMPOSITUS MESUES *pag. ead.* suo in valore relinquitur. Admonitio de *aquis stypticis vegetabilium* huc non spectat; & de iis quid monendi inferiùs occasio dabitur.

SIRUPUS NEPHROCATHARTICUS JOUBERTI pag. 28. licet obsoletorum medicamentorum numerum ingrediatur, breviter tamen, quid de animadversionibus in eum prolatis statui queat, indicabo.

1. Magnum ingredientium numerum inconcinnam vocat farraginem; quam etiam multis in medicamentis *Pharmacopœiæ Regiæ* mirari Lectores coguntur, si v. g. *classem* ejus *octavam de Decoctis* perlustrent.

2. Parùm perspectè *pulpas passularum, jujubarum & sebesten* adjici, cùm Sirupo conficiendo ineptæ sint. De quo dubio *Sirupus de althæâ Fernelij* consulatur.

3. Non satis mirari potest parvam *granorum juniperi* dosin, quorum vix *granum dimidium* unam Sirupi dosin ingrediatur, quæ tamen grana inter potissima nephrocathartica reponi mereantur, à quibus Sirupus hic virtutem illam sortiatur. Conceditur, *grana juniperi* inter potissima nephritica reponi; ast illa non sola huic Sirupo indita fuerunt, sed cum aliis nephriticis medicamentis conjuncta, quæ non minùs efficacem in ciendâ urinâ, calculis & sabulo pellendis &c. præstant operam; de quorum virtute si hoc in loco quis differere velit, non separatim cujuslibet dosin, sed omnia conjunctim considerare, convenit. Non enim negatur, *granum dimidium juniperi* parùm in recensitis adfectibus efficere; ast si cum reliquis conjungatur, prout par est, suum quoque symbolum confert. Si secundùm crassam hanc Zvelferi animadversionem medicamenta *Pharmacopœiæ Regiæ* inserta perpendere vellem, pauca eorum virgulâ censoriâ non notata abirent.

4. Species ingredientes inconvenienter in *decocto hordei* coqui, putat; cùm hoc per decoctionem cremorem præbeat ad Sirupi elegantis præparationem nullo modo conducibilem, & quia *hordeo* jam saturatum est, parùm de virtutibus specierum extrahere possit. Verùm dum *hordei decoctum* longâ

coctione

coctione & humiditatis ablatione, cremorem ſpiſſum præbet, eò usque non coquendum eſſe, ipſa ratio artifici dictitat. Eſſe autem decoctum hoc adeo ſaturatum hordeo, ut ampliùs ex aliis ſpeciebus quid extrahere vix poſſit, αὐτοψία refutat.

Nec ſumitur *decoctum hordei* craſſum, ſed dilutum & aquoſum, quod multùm de ſubſtantiâ *hordei* adhuc in ſe recipere poſſet, & per conſequens nondum ſaturatè virtute ejus imbutum eſt. Ut alia, quæ circa hanc materiam adduci poſſent, ſilentio prætercam.

5. Aromatizationem Sirupi, in fine præparationis inſtitutam, obiter carpit; quid autem in eâ deſideret, cùm non addat, de eâ quidquam prodere, ſuperſedeo.

SIRUPUM DE NYMPHÆA SIMPLICEM NICOLAI *pag. 30. animadverſionibus Sirupi florum aurantiorum* & *bugloſſi* ſubjicit, in quo nihil novi cùm occurrat, eum miſſum facio.

Pag. eâd. in *SIRUPO DE NYMPHÆA COMPOSITO FRANCISCI PEDEMONTANI* duo notat: 1. Ingredientia nonnulla viſcidum & mucilaginoſum præbere decoctum, pro Sirupo conficiendo inutile. 2. Corrigentia, *ſantalum citrinum & ſpicam indicam* malè addi. Si enim Sirupo jam confecto indantur, virtutem eorum aromaticam extrahi ampliùs non poſſe; ſi unà decoquantur (de quo apud Auguſtanos ne verbulum reperitur) hanc deperdi. Quæ omnia tamen in *præcedentibus* jam reſoluta fuerunt.

In SIRUPO DE PAPAVERE SIMPLICI MESEUS *pag. 30.* cavere jubet, ne mucilagineum per longiorem coctionem, ſive nimiam inſpiſſationem, efficiatur decoctum. Quod monitum non eſt de nihilo, & pro Sirupis militat, quos hactenus propter viſcoſitatem & mucilagines rejecit. Quibus igitur ſimile monitum, acerbiſſimarum animadverſionum loco, adjungere præſtaſſet.

Idem in ſequenti *SIRUPO DE PAPAVERE COMPOSITO MESUES pag. 31.* ſi attendiſſet, nec mox prioris ſuæ animadverſionis oblitus fuiſſet, non iterum in ſeminum mucilaginoſorum additionem inveheretur. Cavendum itaque eſt, ne per longiorem coctionem Sirupus nimiùm inſpiſſetur; ſed ut ſufficiens aquæ quantitas pro diluendis mucilaginibus ſuperſit. Quæ de ſeminum mucilaginoſorum in ſacculum incluſione habet, in *Sirupo de althæâ Fernelij* refutata inveniuntur.

SIRUPOS DE PAPAVERE ERRATICO, FLORUM PARALYSEOS *pag. 31.* DE POEONIA & DE PILOSELLA *pag. 32.*

pag.32. ad modum aliorum Siruporum, è florum infusionibus fieri debere, animadvertit; quo de actum jam fuit.

SIRUPUM DE SUCCO PLANTAGINIS *pag.32.* ad normam aliorum è succis paratorum conficere jubet. Verùm hos per destillationem præparat, ceu *animadversiones Sirupi de succo acetosæ, acetosellæ, betonicæ simplicis &c.* monstrant. Hic autem *plantaginis Sirupus* adstringente virtute pollere debet; qua cùm aqua destillata, uti *animadversiones Sirupi myrtini* paulò superiùs contenderunt, destituta sit, frustrà sanè destillationis ope illa servabitur, quò Sirupo huic addi possit.

In SIRUPO E POMIS SIMPLICI MESUES *pag.32.* nihil notatu dignum occurrit.

SIRUPUS autem DE POMIS AD CONFECTIONEM ALCHERMES EXPETITUS *pag.33.* ulteriori disquisitione indiget.

I. *Adeo ineptam esse & ridiculam hujus Sirupi præparationem*, Zvelferus convitiatur, *ut vix ullam invenire queas, quæ illam ineptius superet.* Sicuti autem ipse nullam aliam ineptiorem compositionem hac invenire potuit; sic mihi nulla animadversio ineptior hac sese exhibuit.

1. Dementiam vocat, quòd *seta succo granorum chermes* tincta adhibeatur; cùm *1.* ipsa *grana* affatim ubique prostent. Non nesciunt Augustani, *grana* illa prostare; ast quòd *setam* etiam adhibeant, Veterum autoritate confisi faciunt; cùm nondum, omnes *setæ* vires derogari posse, evictum sit.

2. Seta vel *sericum* utplurimum alienis rebus à tinctoribus adulteratur, sicque solâ & sincerâ tincturâ *granorum chermes* non sit imbutum. Si absque delectu *sericum* ejusmodi sumatur, facilè aliquem decipi posse, verum est, ut loco puræ tincturæ *chermes* alterius rei colorem virtutemque nanciscatur. Ast ideo selectione opus est, quæ si non obtineri queat, *folliculi serici* unà cum *granis vel succo chermes*, prout id Augustani facere consueverunt, sumendi erunt.

3. Adjuncta *seta* ingens Sirupo huic precium addat. Veterem repetit cantilenam; cui non immeritò occini illud poterit:

Dat veniam corvis, vexat censura columbas.

Si illa setæ quantitas Sirupo præsenti ingens addit precium, intolerabili precio compositiones Zvelferi venire, dicendum erit.

Phreneticis autem similes habendi sunt illi, qui dementiæ contrarium sentientes incusant.

2. *Sacchari unciis octodecim, & drachmis sex* non additas fuisse alias *drachmas duas*, ut sic *unciæ novendecim* exstitissent, miratur; majori ipse admiratione ob mirabilem hanc censuram dignus. Me quidem, quam ob causam

causam illud pondus, non verò *uncias novendecim*, *octodecim*, *plus minúsve* Beati Antecessores determinaverint, latere, fateor. Tibi, Ipsis hoc ita placuisse, sufficiat. Interea tanto cachinno eos dignos esse, multò minùs erroris insimulari posse, nemo sanus indè concluserit. Cui autem *plus minúsve* sumere placuerit, per Augustanos licebit, qui absque vanâ superstitione *uncias octodecim & drachmas sex* retineri in posterum posse, existimant.

Sed mitto has nugas, quas subinde ad nauseam usque Zvelferus profert.

3. *Aquam rosarum* in auras abigi, scribit. Fateor maximam ejus partem in violentâ coctione avolare; omnem autem abire, odor superstes refutat. Ipse quoque Zvelferus in *Sirupo de pomis*, pro *confectione suâ alchermes, Pharmac. Reg. pag. 180.* expetito, *succi pomorum redolentium* fragrantiam, nec non oleosam, subtilem, aromaticam *corticum citri & aurantiorum* partem violentâ coctione deperdit.

II. Magis concinnam præparationem Sirupi hujus traditurus, *granorum chermes* ℥j. *cum* ℔j. *succi pomorum dulcium & aliquot guttulis olei tartari p. d.* digerit, unâ vel alterâ ebullitione coquit, è residuis granis tincturam cum *librâ dimidiâ succi pomorum, ac pauculis guttulis olei tartari p. d.* extrahit, tandemque in Sirupum coquit, cui *elæosaccharum rosarum* admiscet.

In hac, magis concinnâ Zvelfero visâ, præparatione, nonnulla inconcinna occurrunt, quorum unum & alterum tantùm obiter tangam.

1. *Succo pomorum dulcium guttulas aliquot olei tartari p. d.* addit. Scio equidem, *sal tartari* pro vegetabilium, & in specie pro *granorum chermes* extractione à Zvelfero (vid. *Pharmacop. Reg. pag. 179.*) commendari. Ast hîc finem illum vix attinget, cùm vis ipsius à *succo pomorum dulcium* obtundatur, sic ut extractioni parùm ampliùs conducat.

2. Laborem duplicat, dum duabus vicibus *succum pomorum* granis superinfundit, quod unicâ vice absolvi potuisset.

3. Nimius partium subtilium æstimator, jacturam earum, ratione coctura *succi pomorum dulcium*, qui utique odore grato se commendant, metuendam, minimè curat. Sed mitto hæc, & ad reliquos Sirupos me confero.

SIRUPUM DE PORTULACA MESUES *pag. 33.* præscripto ab Augustanis modo confici posse, concedit; ast si quis *aquam endiviæ* desideret, destillationem præmitti debere, statuit. Verùm hoc modo (ut obiter id addam) non *aqua endiviæ*, sed *composita* aliqua *ex endiviâ, portulacâ, & phlegmate succi granatorum* prodibit.

SIRUPI DE PRASIO MESUES *pag. 34.* examen cum reliquorum è mucilaginosis speciebus compositorum præparatione coincidit.

Sequentes

Sequentes SIRUPI, nimirum DE DUABUS & QUINQUE RADICIBUS *pag. 34.* RIBIUM, ROSATUS SIMPLEX, DE ROSIS SICCIS, DE RUBO IDÆO *pag. 35.* & DE SCABIOSA *pag. 36.* nihil notatu dignum continent.

Quæ in SIRUPO SCELOTYRBICO *pag. 36.* de plantis, quas continet, antiſcorbuticis, quòd nempe ſale volatili abundent, profert, verum eſt; attamen huic ſoli omnem earum virtutem adſcribere nequeo; prout nec omne illud coctione diſſipari, fermentatio decocti & ſubſequens deſtillatio evincit. Cui verò per deſtillationem à fugâ hoc retrahere, vel alio quovis modo Sirupo conciliare libet, illi non repugnabo.

Aſt neque Zvelferus hujus ſalis volatilis rationem ſemper habet, prout *Pharmacop. Reg. pag. 4.* in *Sirupo aperitivo ſplenetico* &c. magnam ejus fieri jacturam, cuivis compoſitionem vel obiter inſpicienti patet, cùm in paucis iſtis commendatis ebullitionibus aliquot unciæ humiditatis, & conſequenter ſpirituoſarum partium evaporare debeant. *Pag. 21.* in *Sirupo antiſcorbutico ſuccorum cochleariæ, naſturtij hortenſis & aquatici* an. ℔j. coquendo, omnem ſpirituoſitatem, ex propriâ deciſione, perdit. Sic etiam in *Sirupo ſplenetico pag. 22.* præter plurima alia ſubtilibus partibus abundantia ſimplicia, *herbam* quoque *recentem cochleariæ atque naſturtij* violentæ coctioni ſubjicit.

SIRUPUS DE SCOLOPENDRIO FERNELII; DE SCORDIO SIMPLEX *pag. 36.* & COMPOSITUS, nec non DE SEMPERVIVO SIMPLEX *pag. 37.* nihil diverſum à prioribus continent.

In SIRUPO DE SEMPERVIVO COMPOSITO *pag. 37.* monet, ne vaſa metallica, præſertim cuprea, ſed teſtacea aut lapidea in ejus coctione adhibeantur. Aſt ſuperſedere huic animadverſioni potuiſſet, cùm id Auguſtani ipſi jam notaverint.

Circa *SIRUPUM DE STOECHADE SIMPLICEM & COMPOSITUM MESUES pag. 38.* item DE STOECHADE FERNELII *pag. 39.* quæ de ſubtiliorum partium exhalatione iterum profert, in ſuperioribus jam diſcuſſa fuerunt.

In SIRUPO DE SYMPHYTO FERNELII *pag. 39.* è præſcriptis *viginti manipulis florum & herbarum* vix illas deſideratas *tres libras ſucci* impetrari poſſe, animadvertit. Aſt ab *aquæ* particulâ, quam plantæ iſtæ optimè ferunt, inter tundendum adfusâ, majori etiam in quantitate ſuccus proveniet; vel ſi è ſolis illis vegetabilibus *ſuccus* exprimatur, reſiduumque cum *ſufficiente quantitate aquæ* coctum denuo expreſſioni adaptetur.

SIRUPI FLORUM TUNICÆ & DE SUCCO VERONICÆ *pag.* 39. ad reliquos è floribus & ſuccis paratos Sirupos referuntur.

SIRUPUS VIOLATUS SIMPLEX *pag.* 40. eatenus animadverſione notatur, quatenus coctione longiori colorem ſuum *cæruleum* amittit, ſed quem à *ſpiritu ſalis* (adde & alios ſpiritus acidos; prout *Poterius oleum vitrioli* nominat) vel *ſucco citri*, *purpureum* iterum recipit. Verùm color virtutibus ejus nihil derogat. Clarificationem etiam ejus, ope *albuminum ovorum*, rejicit; quam Auguſtani non commendant; ſed *Meſues* modum illum eſſe, ſaltem innuunt.

SIRUPUM VIOLATUM COMPOSITUM MESUES *pag. ead.* ſpiſſum vel mucilaginoſum embamma vocat. Si coctio ad nimiam aquæ evaporationem usque inſtituatur, concedo; aſt *ſecundùm artem ſi fiat*, nego.

SIRUPUM VIOLATUM E SUCCO VIOLARUM expreſſo, perquam rarò confici, *pag.* 41. ſcribit; *ſed ex infuſione cum aquâ factâ, & quidem ſatis benè, cùm flores contuſi utplurimùm mucilaginoſum præbeant ſuccum, eóq; magis, ſi fortiori præli impetu cogantur, relictis floribus, integris adhuc virtutibus ac nativis ſuis coloribus præditis*, quos unà cum *virtute integrâ* aquæ ſuperfuſæ communicent. Militat contra Auguſtanorum Sirupum hunc conficiendi normam; ſed rem acu non tangit.

1. Licet *flores violarum* contuſi mucilaginoſum quodammodo ſuccum præbeant, hic tamen non ejus eſt conditionis, ut Sirupus ingratus indè evadat, aut debitam non nanciſcatur conſiſtentiam. Quin eidem etiam periculo primus Zvelferi *dexterior* (ceu ipſi videtur) *præparandi modus* ſubeſt; in quo non minùs mucilaginoſa *florum violarum* pars educitur, & Sirupo unitur. Infuſionem enim fortiter exprimit, ſuccum inſuper ex aliquot unciis florum contuſorum expreſſum conjungit.

2. Relictos ab expreſſione flores *integras* adhuc poſſidere *virtutes*, & *nativos* ſuos *colores*, dictum, ſed non probatum eſt. Remanere enim aliquid de virtute & colore, haud eſt negandum; perpaucum tamen illud eſt, multò minùs *integra virtus colorq;* in eo remanet. Nam ſequeretur, expreſſum ſuccum colore violaceo & virtute deſtitutum eſſe; quod color, ſapor & effectus ejus refutant.

Diverſimodè autem hic Sirupus confici poteſt, & ipſa praxis Pharmacopœis novam ſæpius ἐγχείρησιν ſubminiſtrat. Sic tres non inelegantes modos *Joſeph. Quercetanus Pharmacop. dogmat. reſtit. lib.* 1. *cap.* 12. deſcribit. Auguſtani etiam alium ſibi uſitatiorem modum adjungunt.

MELLI

MELLI ANACARDINO AZARAVII pag. 41. inhærere nolo, quod inter absoleta medicamenta jamdudum locum invenit.

MEL ANTHOSATUM PRIMUM *pag. 42.* hac animadversione notatur, quòd, si *mel rosatum* antea debitam suam consistentiam nactum fuerit, opus non sit, ut *flores anthos* cum hoc infusi denuo coquantur. Flores enim illos succulentos non esse, & parùm liquoris *melli* impertiri posse; unde solâ infusione illud confici posse, concludit. Ponamus, sumi *mel rosatum* perfectè coctum, non video, cur coctionem ab illo planè excludere debeamus; postquam cum *recentibus floribus rorismarini* infusum fuit. Per illam enim coctionem, dum *mel* justæ consistentiæ expetitur, humiditas ista florum (quæ sive pauca, sive multa sit, hìc non disquiritur) eo modo aufertur; tum quoque *mellis* per coctionem incalescentiâ, *flores anthos* virtutes suas eò faciliùs *melli rosato* communicant; quod per solam infusionem tam commodè vix obtinetur.

Si autem coctio fieri debet, eam *in alembico* fieri necesse esse, monet, quò exstillans humiditas fragrans *melli* residuo denuo reddatur. Ast non opus erit, illam *rorismarini* humiditatem tam studiosè excipere, si secundùm Zvelferi mentem, *flores rorismarini* succulentos non esse, & parùm humiditatis continere, dicamus.

Notare quoque iterum debuisset Zvelferus illud Augustanorum: *decoquatur, ut artis est.* Quo ipso non vehemens aliqua coctio præcipitur, sed lenis, & qualem ipsa rei conditio efflagitat, quæ nec Pharmaceutices tyronem modicè versatum latere potest; sive, ut Zvelferianâ phrasi utar, coctio ista *unâ vel alterâ ebullitione* absolvitur; in qua an *florum anthos* odor fragrantissimus exspiret, ita ut opus sit, alembicum vasi imponere, ipsis Adversariis determinandum relinquo.

Sit autem, omnem illam fragrantiam in cocturâ exspirare; cùm Mel hoc enematum ferè gratiâ tantùm paretur, ea tantopere æstimanda haud erit; quia Zvelferus ipse odorata à clysteribus excludere videtur; quibus similia addere, *nefas & absonum*, in *animadvers. Hierarum pag. 90.* proclamat.

MEL ANTHOSATUM SECUNDUM pag. eâd. ex obsoletorum medicamentorum classe est; cui tantò minùs operam meam locare, animus est, quia examen ejus è dictis patet.

In *MELLE EMBLICORUM pag. 43.* contradicere sibi Augustanos, evincere conatur; quòd hoc *mel non nisi decoctum ad consistentiam inspissatum* esse, dicant, seu *mel in quo myrobalani emblici conditi adservantur.* Illud autem, quod addit Zvelferus, falsò imputat Augustanis, quasi scilicet dicerent, esse *decoctum simplex*; cùm saltem *decoctum emblicorum* vocent, ita

ut vel *ſimplex*, vel *compoſitum* adpellare pro lubitu poſſis. Utrùm verò contradictio illa ſit, alij judicent. Sufficit mihi, ipſam præparationem, quæ in uſu ampliùs haud eſt, modo præſcripto fieri poſſe. Quàm turpiter autem Zvelferus ſibi toties totiesque, non verbis tantùm, ſed reipsâ contradicat, hactenus abundanter monſtratum fuit, ac in ſequentibus etiam uberiùs monſtrabitur.

MEL MENTHÆ *pag. 43.* incurrit equidem aliquam partium tenuium jacturam; aſt non omnem. Nec quoque illæ tantopere æſtimandæ ſunt; dum, etiamſi ſola remaneret craſſior *menthæ* ſubſtantia, vires nihilominus adſcriptas retineret.

MEL MERCURIALE adprobatur; prout & MEL PASSULARUM *pag. 44.* quod tamen rectiùs *Rob paſſularum* dici debere, contendit. Aſt vana illa de nomine diſceptatio eſt, ubi de re non controvertitur. Certo autem reſpectu, ratione nimirum *conſiſtentiæ*, *dulcedinis* &c. medicamento huic nomen *mellis* denegari haud poteſt.

Quæ de MELLIS ROSATI SIMPLICIS ac MESUES *pag. 44.* præparatione ſtatui debeant, è *Melle anthoſato* ut petantur, ſubſcribente Zvelfero, moneo; *examen* quoque *Mellis menthæ* repetatur. Sic ut difficultates, quibus & compoſitio *Auguſtanorum*, & *Noribergenſium* ſcatere Zvelfero dicitur, exin haud adeo difficulrer enodari queant.

In *MELLE ROSATO CITRATO pag. 45.* decantatam ipſi cantilenam repetit; non poſſe ſcilicet *Mel roſatum* perfectè coctum, *corticum citri* virtutem extrahere; id quod in *Sirupo de corticibus aurantiorum*, & *citri* ſatis ſuperque ſe demonſtraſſe, ſibi non conſtans, ſcribit. In hoc quidem, *citri* ſcilicet *Sirupo*, de eo mentionem factam fuiſſe, ſcio; ſed in illo, nimirum *de corticibus aurantiorum*, ne verbulum reperire licet. Quare Lectorem ad illum ſolum *corticum citri Sirupum* remitto.

Et benè notetur, quòd Auguſtani huic *Melli roſato*, dum adhuc fervet, pro meliori ſcilicet extractione, *cortices citri* injicere præcipiant.

MELLIS VIOLATI *pag. 45.* præparatio, ad modum *Mellis anthoſati ſecundi*, vel *menthæ*, ut fiat, exigit. Licet verò Auguſtanorum normam quis ſequatur, nihilominus, ſubtilioribus particulis evaporatis, hoc mel, enematibus potiſſimùm conſecratum, virtute ſuâ, quæ de ipſo prædicatur, pollebit. Et parùm odoris *aquæ violarum* deſtillatæ ineſſe, in *Julepo violarum* ipſe Zvelferus fatetur.

OXYMELLIS SIMPLICIS GALENI ET MESUES *pag. 46*, animadverſionum vanitatem in *examine animadverſ. Sirupi acetoſi*

ſimplicis

ſimplicis ſat ſuperque ventilatam ac diſcuſſam eſſe, Lector Benevolus recordabitur.

1. Vanus eſt ille *aceti* penetrantiorum partium perdendarum metus; utpote ne cum aquâ inter coquendum aëra petant. *Acetum* enim non cum ipsâ *aquâ melli* additur & coquitur; ſed, *ubi aqua coquendo fuerit abſumta, acetum* addi, & unicâ factâ ebullitione, ab igne removeri, atque uſui ſervari, claris verbis Auguſtani indicant.

2. *Mel deſpumatum* ſi recipiatur, non neceſſum quidem eſt, ut *aqua* ob ulteriorem *mellis* deſpumationem & clarificationem addatur. Aſt nec magnum erratum dici poteſt, quod viribus *oxyſacchari* quidquam deroget.

Et fortè nova *aqua melli* ſuperaddita fuit, ut ſi quid partium heterogenearum *melli* adhuc conjunctum eſſet, ulteriori illâ deſpumatione ſepararetur.

Vel *aquæ libræ quatuor* ideo ſaltem adpoſitæ fuerunt, ut cum eâ quantitate iſtas *libras duas mellis* deſpumandas eſſe, indicaretur. Unde & in explicatione formulæ de *melle* ſimpliciter, non de clarificato, loquuntur; ſic ut fortean verborum hic ſit ſenſus: ℞. *mellis vulg.* ℔ij. deſpumentur cum *aquæ* ℔iv, ubi *aqua* coquendo fuerit abſumta, addatur ℔j. *aceti acerrimi* &c. Suo tamen quisque hîc abundet judicio.

OXYMEL COMPOSITUM MESUES pag. 46. quò legitimè (è Zvelferi nimirum ſententiâ, quam ſolam ipſe legitimat) parari poſſit, proprium addit conficiendi modum; qui tamen parùm à *Sirupi acetoſi compoſiti* præparatione ſupra examinatâ, differt.

Hîc notare ſaltem Lectorem volo, Auguſtanos, quos hac in materiâ etiam *Hafnienſes Medici Clariſſ.* ſequuntur, à Zvelfero irrideri, quòd *cortices radicum*, non *ipſas radices apij, petroſelini, fœniculi* ſumant; dum ait: ℞. *non corticum mundatorum & inciſorum radicum, ſed ipſarummet radicum; curioſitas enim illa in minutulis hiſce plan[tis] & inutilis & ſupervacanea eſt.* Hanc cavillationem *Schröderus*, Zvelfero tantopere laudatus, *Pharmac. lib. 1. cap. 29.* retundit; ubi modum radices ad aſſervationem adaptandi oſtendens, alias integras, alias in taleolas ſectas ſervari, nonnullis *lignoſam adimi matricem, ut apio, fœniculo, petroſelino* &c. recenſet. Nec multum virtutis lignoſum illud & exſuccum propè corpus continebit, coctionique magis oberit, quàm ut præclari quid ex eo ſibi polliceri quis poſſit. Curioſè ergo radicum ſimilium lignoſam medullam, per me, qui velit, adſervet; dummodo in contrariâ ſententiâ refutandâ ſupervacaneam & inutilem ferè operam non collocet.

Si

Si tamen hæc *minutula* sunt, atque *curiositatis* planè & *inutilis* & *supervacaneæ* nomen merentur, eandem propriam reprehensionem incurrit Zvelferus, dum in *Diacoro stomachico Pharmacop. Reg. pag. 179.* à *radicibus eryngij, cichorij & pimpinellæ* partem *lignosam*, sive, ut ipsi vocatur, *callosam* separat. Sic etiam *pag. 183.* in *Confectione hepaticâ calidâ* idem in *radicibus* (NB.) *apij* &c. observat, & aliis etiam in locis. Porrò *pag. 15. 35. 52. cortices medios sambuci*, & *pag. 53. cortices radicum esulæ*, expressis verbis, non *ipsas radices*, præscribit.

OXYMEL DIURETICUM D. AMBROSII JUNGII SENIORIS *pag. 47.* licet & ipsi tenuiores quædam partes per coctionem demantur, virtutem tamen suam diureticam superstitem servat.

OXYMEL SCILLITICUM MESUES *pag. eâdem* ad præscriptum modum, per simplicem scilicet coctionem, parari posse, scilicet è *melle despumato*, & *aceto scillitico*, scribit; cùm de *scillâ* spirituosi nihil ampliùs perire queat, utpote quod jam tum in priori suâ præparatione *ferè* amisit; de quo plura in *aceti scillitici* præparatione se dicturum, promittit. Ast nec lynceis præditus oculis quidquam ibi reperiet. Traditur enim *pag. 314. Aceti scillitici* præparatio, cui tamen nullam aliam animadversionem ibidem destinavit, nisi quam *pag. 315.* in genere omnibus *Acetis* addidit, dum omnia *aceta Augustanorum* commendat; efficaciora autem & durabiliora futura promittit, si *acetum destillatum* loco *aceti simplicis* adhibeatur. Vid. tamen, quæ in *examine* ibidem à me proferuntur.

In OXYSACCHARO SIMPLICI *pag. 47.* & COMPOSITO *pag. 48.* nihil quod traducat, invenit.

In JULEPO ROSATO *pag. 48.* ne fragrantissimus *aquæ rosarum* odor perdatur, dum admonet, culpandus quidem non est, attamen quia justò acerbior in eo exagitando fuit, reprehensionem haud effugit. Augustani autem jam dudum, antequam Zvelferus ipsis innotuerit, tantam *aquæ rosarum* quantitatem ad *sacchari libras duas* adhibere, destiterunt.

Falsum autem est, *aquæ rosarum* fragrantissimum odorem in cocturâ violentâ penitus exhalare; cùm tota *aqua*, quæ huc trahitur, odoratissima sit, & ejus plus quàm dimidia pars (Julepus enim Sirupo liquidior est) post coctionem supersit.

JULEPUS SAMBUCINUS *pag. eâd.* sine animadversione dimittitur.

JULEPI EX VINO ARNOLDI DE VILLA NOVA *pag. eâdem* animadversiones inchoat, negando, *Villanovanum stupidissima*, ceu

vocat,

vocat, hujus præparationis autorem esse. *Etenim*, inquit, *longè aliter ejusdem scripta testantur, nimirùm quòd fuerit vir solidæ doctrinæ, rerumq; naturalium exquisitâ cognitione imbutus, ipsâ etiam Spagyricâ scientiâ arteq; destillatoriâ instructissimus.* Quam laudem *Villanovano* dubiam reddere equidem nolo; interea tamen hoc ipso stupidissimo judicio quàm parùm sibi constet, imò hujus Autoris opera sibi nunquam visa, vel perlustrata esse, indicat; utpote in quibus quoad medicamentorum compositionem ab Augustanis vix dissidet, sed eâdem methodo medicamenta sua præparat. Quare si tantæ doctrinæ fuit, ut errare vix potuerit, & consequenter ipsius methodus medicamenta præparandi optima sit, nec animadversione indigeat; frustrà Augustanorum Pharmacopœia à Zvelfero oppugnatur.

Villanovanum autem hunc *Julepum* in suis Operibus descripsisse, è *tractatu Ejusdem de conservandâ juventute* patet; ubi hæc habet: *Sermo super Sirupum de vino: Julep ex vino est, ut tribus libris boni vini addantur duæ libræ sacchari & fiat Sirupus; accipiatur cum aqua: gerit vicem cibi & potus, quoniam in eo aggregantur, quæ sunt amicabiliora naturæ.* Discrepante paululùm modo in *tractatu de Vino*, ex *Rabi Moyse*, sub nomine *vini pro senibus, debilibus* &c. eundum adducit.

Stupidissimam autem ideo vocat hanc Julepi præparationem, quòd *vini* spirituosa substantia *tota* in auras abire debeat, remanente phlegmate aquoso & ingrato, etiamsi *satis lentus ignis* adhibeatur. Non negari potest, partem aliquam spirituum *vini* in auras abire; omnes verò deperdi, à veritate alienum est. In violentâ enim coctione non tantùm spirituosa pars, sed etiam aquosa sive phlegmatica resolvitur.

Faciliùs autem concedo, partem spirituosiorem tantùm, si lentus satis ignis adhibeatur, relicto phlegmate, auras petere; id quod vel in rectificatione *spiritus vini* observare licet; quæ si in cucurbitâ humili, ex arenâ, igne forti peragatur, unà cum spiritu phlegma etiam *vini* largiter elevatur, sic ut etiam guttæ, quæ circa finem prodibunt, non omni spiritu priventur; econtra si ex altiori cucurbitâ, in M. B. igne lento, rectificatio fiat, spirituosiorem tantùm partem elevari, quilibet Chimiæ tyro non ignorat. Unde Zvelferus istam ignis differentiam, quam & alibi sæpius, ceu magnum quoddam crepat, pro sui argumenti robore adducens, inverso planè modo inferre debuisset.

Quam verò substituit Julepi hujus præparationem, & ipsa animadversione opus haberet; si triplex *Vini malvatici* destillatio, quæ unâ vice absolvi posset, consideretur; item, quòd *spiritus vini dephlegmatus* pro dissolutione satis magnæ quantitatis *sacchari* adhibeatur; *saccharum* autem per *vini spi-*

ritum,

ritum, à phlegmate suo liberatum, solvi non posse, certum est; cùm is ratione sui phlegmatis solùm *saccharum* attingat. Ut fortè non immeritò ille *Anonymus sacchari* solutionem per *spiritum vini purissimum, rectificatissimum*, seu ab omni aquâ separatum, inter *non entia* referat. Imò ipse Zvelferus *pag. 131.* in *animadvers. Extracti catholici, saccharum* inter illa simplicia collocat, *quæ spiritus vini rectificatus non attingit.*

Ad JULEPI VIOLARUM *pag. 49.* compositionem minùs proficuam esse, statuit, *aquæ violarum* additionem; utpote quæ exiguam saltem *violarum* fragrantiam spiret; hujus autem loco sumi posse *secundam infusionem florum violarum*, (*primam* pro *Sirupo è succo violarum* conficiendo adhibet) quæ tamen cùm colorata sit, minùs commodè Julepo inservit, qui ut sine colore sit, Augustani volunt; & ex infusione illa paratus, Sirupi potius, quàm Julepi nomen meretur; aliàs nulla ferè inter Sirupum & Julepum distinctio foret.

Si verò *aqua violarum* sumenda sit, ad modum *Julepi rosarum*, à se commendatum, ut hic quoque fiat, Zvelferus suadet; *hujus* itaque *examen* consulatur.

Quanquam jactura partis *aquæ violarum* tanti non videatur esse facienda; videlicet quam in principio *harum animadversionum* minùs proficuam ad Julepum judicat; cùm parùm odoris spiret, & ita parùm etiam odoris, quod perdat, habet.

In MIVA CYDONIORUM SIMPLICI MESUES *pag. 49.* illud *de vini* additione repetit; ut & in MIVA CYDONIORUM AROMATICA NICOLAI *pag. 50.* Sed multò sapidiorem evadere Mivam, quæ cum *vino*, quàm quæ absque illo, coquitur, si gustus consulatur, deprehenditur.

Aromata sinistrè ad perfectionem decoctæ *Mivæ* imponi, prout iterum objicit, supra jam refutatum fuit.

Quod de *musti* ac *vini* differentiâ addit, tritum est; nec vulgus ignorat, *mustum* inebriandi vi, quia spirituosum non est, destitui. Licet *mustum vino* magis inebriare, *Albertus Magnus* adferat, debellatus idcirco à *Cæl. Rhodigino.* Vid. *Philippi Jacobi Sachsij ampelograph. lib. 2. sect. 6. membr. 1. cap. 3. pag. 165.*

Quod de remanente à destillatione vini phlegmate profert, saginandis scilicet porcis ferculum magis conducibile esse, quàm ut aliis usibus inserviat, an ita se habeat, me latet; ast si tam nobile experimentum Zvelferus verum deprehendit, hoc suum arcanum, magnam laudem & adplausum meriturum, sibi servet. Mihi, cum isto phlegmate sæpius *oleum vini*, à mul-

à multis expetitum, nec non ſubtiliſſimum *tartarum* poſt deſtillationem remanere, conſtat.

Exprobravit autem (licet frigidam ob cauſam) aliquoties Auguſtanis nimiam curioſitatem Zvelferus, à qua tamen ipſe ſe vendicare nequit; cujus etiam ſpecimen in his *Mivarum* animadverſionibus exhibet, dum *muſtum vini recentis*, loco *vini*, ſumit. Satius fuiſſet, *muſtum* ſimpliciter ponere; cùm reliqua duo vocabula nihil illuſtrent. Nunquam enim mihi, nec *muſtum vini veteris*, nec *recentis*, ſed *vinum recens ex muſto fermentato* productum, videre licuit.

Tandem, quæ ſubſequuntur, medicamentorum, ROB dictorum, *pag. 51. & ſeqq.* præparationes omnes præſcripto ab Auguſtanis modo commodè parari poſſe, concedit; exceptis ROB DE CORNIS, CYNOSBATI & JUNIPERINO, quæ malè è ſuccis eorum ut conficiantur, præcipi, putat; *cùm nemo iſta unquam ex ſuccis paraverit, aut parare potuerit*, quia nimirum fructus illi ſuccum non præbent; niſi *aquâ affusâ aliquandiu coquantur* &c. Quæ objectio in *Sirupo aperitivo magiſtrali Mindereri* reſoluta jam fuit; & ab ipſo Zvelfero vel invito hîc ſolvitur.

Præterea diſcuſſum jam ſæpius fuit dubium, quod in ſpecie contra *Rob juniperinum*, de oleoſæ granorum partis per cocturam diſſipatione movet; nempe pars aliqua, non omne oleum, deperditur. Et licet nil de eo remaneret, nihilominus haud exiguis adhuc polleret virtutibus; ſic ut *extractum baccarum juniperi*, cum *ſpiritu juniperi* paratum, ſi hic abſtrahatur, non omnibus viribus deſtitui, *Hafnienſe Collegium* optimè ſcribat.

Nec ſemper oleoſam iſtam partem à Zvelfero conſervari, multis in locis *Pharmacopœiæ Regiæ* adparet, e. g. in *Theriacâ ſimplici pag. 176. unciæ quatuor baccarum juniperi* violentæ coctioni & inſpiſſationi committuntur.



L RESTI-

RESTITUTA
CLASSIS SECUNDA,
Sirupos purgantes complectens.

Cùm Sirupos hos raró absque commixtione aliarum rerum liquidarum adhiberi, & cathartica propter diuturnam coctionem; in viribus suis haud parùm diminui, statuat Zvelferus, eorum loco *Infusa purgantia Pharmacop. Reg. pag. 31.* commendat, quorum exemplum decantatam illam *Dn. D. Mannagettæ Infusionem laxativam* ponit; cujus tamen descriptionem in *secundâ Pharmacopœiæ Regiæ editione* longè diversam ab illâ, quæ in *primâ ejusdem editione* legitur, exhibet; dum & ratione doseos ingredientium, & ratione ipsius præparationis plurimùm discrepant, sic ut Lectorem dubium relinquat, quam illarum pro genuinâ Autoris compositione habere debeat. Ast licet in iis discutiendis multa, quæ censoriam virgulam requirerent, & Zvelfero objici possent, se offerant; nihilominus, dum meum institutum ad defendendos *hujus secundæ classis* Sirupos me vocat, ea missa facio, & alij occasioni reservo.

Ejusdem *Infusi*, sub nomine *aquæ laxativæ Wolfgangus Höferus lib. 8. Herc. med. cap. 2.* meminit; compositionem tamen, ab utrâque Zvelferi discrepantem, profert.

Eodem sub titulò in *Ampelographiâ Excell. Dn. D. Phil. Jac. Sachsij pag. 607.* eodem ferè modo, cum primâ illâ Zvelferi descriptione, proposita occurrit. Quæ ipsa etiam ab intimo quodam Amico, *dilectissimo meo Genitori, Dn. D. Lucæ Schröckio, Physico Augustano benè merito* olim communicata, inque Officinas nostras introducta, nunc frequentissimo apud Nos est in usu. Hanc ultimam autem genuinam esse, autor *Nob. Dn. D. Mannagetta, Anno M. DC. LVIII.* cum *AUGUSTISSIMO LEOPOLDO*, tunc in *CÆSAREM* noviter electo, *AUGUSTAM* transiens, præfato meo Patri testatus fuit.

De omnibus verò catharticis, quòd qualibet diuturnâ coctione eorum virtus diminuatur, utrùm dici queat, dubito. Zvelfero quidem facem inter alios prætulit *Anton. Gunth. Billichius, lib. 2. cap. 2. paradox. chimic.* purgantia coctione & extractione contabescere, statuens, atque ob id crudis multò majorem efficaciam tribuens.

Aliud *Joh. Hartmannus in praxi chimiatr.* velle videtur, dum id, quod ex *helleboro* exhalat, ejus fœtorem & venenositatem vocat.

Sit autem, uti existimat Zvelferus, idcirco tamen non debuisset tot Siruporum, Electuariorum, Pilularum, Extractorum purgantium, per coctionem parandorum, descriptionem tradere, & ita sciens volens cathartica in viribus suis haud parùm diminuere. Sed mitto hæc, & Sirupos Augustanorum perlustrare, adgredior, quorum primus qui est, nempe

SIRUPUS FLORUM ACACIÆ *pag. 54.* nullam animadversionem, quæ responsionem efflagitaret, adnexam habet.

SIRUPI DE CARTHAMO *pag. eàdem* animadversiones prolixo admodum præambulo exorditur, antequam ad rem ipsam se conferat; & 1. Aquam ab ingredientium virtute satis superque imbutam aliis speciebus purgantibus, pro vi earum catharticâ extrahendâ, unde postea Sirupus virtutem & efficaciam purgandi sortiatur, malè adfundi, putat; cùm, secundùm ipsius judicium, vel parùm admodum, vel prorsus nihil extrahat. Zvelferi equidem judicio hæc vera sunt; ast non aliorum, quibus moderatum judicium, præ istiusmodi impotenti, natura concessit.

Quomodo Zvelferus, aquam à speciebus illis per decoctionem satis jam imbutam esse, adserere potest, ita ut ea postmodum nihil ampliùs ab aliis extrahere queat, cùm Augustani quantitatem aquæ non determinaverint; vi etiam purgandi Sirupum hunc præditum esse, experiantur?

2. Crassum errorem vocat, subtilium aromaticarum partium (quæ hîc non desiderantur) jacturam, ita ut de iis nil quidquam Sirupo accedat. Non autem video, cur eas hoc in Sirupo tantopere desideret, cùm purgandi nulla ipsis insit potentia; imò in sequentibus eadem planè à medicamentis catharticis exulare velit.

Sed mitto hæc, & ipsius *veram ac genuinam* (ceu quidem putat) *præparationem* evolvam, quæ utrùm ab illis duobus erroribus, in Augustanorum præparatione damnatis, immunis sit, hæc ejus resolutio manifestat:

1. Decoctum illud primi ordinis, specierum virtute imprægnatum, nihil ampliùs à secundi ordinis, sive purgantibus speciebus extrahere posse, Zvelferus statuit. Ipse autem primas illas species, adfusis *aquæ libris quinque* destillationi ad remanentiam *trium circiter librarum* committit, cum quibus

tribus libris, virtute nominatarum ſpecierum imbutis, purgantium vim per decoctionem extrahere, conatur. Non quidem derogatum velim quidquam, quòd poſt peractam decoctionem, ſpeciebus purgantibus relictis *libras illas duas aquæ deſtillatæ* pro meliori extractione ſuperfundat. Hoc tantùm dico, Zvelferum cum iſtâ aquâ, à deſtillatione relictâ, vires purgantium extrahere, fruſtrà, ſecundùm proprium axioma, laborare.

Addit quidem, decoctum hoc per clarificationem tenue, ſicque extractioni magis adcommodatum evaſiſſe, quàm ſi craſſum & non clarificatum foret. Verùm etiamſi tenuius ſit redditum per clarificationem, nihilominus hoc modo ad ulteriorem extractionem aptum ampliùs haud eſt, dum aqua virtute ſimplicium jam ſaturata eſt; unde plus extrahere non poterit, niſi ex parte virtute iſtâ imbibitâ iterum privetur; quod per clarificationem obtineri, ſi quis regerat; eo ipſo virtutes omnes ingredientium non conſervari, ſed anxiè prius extractas & aquæ communicatas, magnâ ex parte iterum annihilari, ſciat. Sequeretur etiam ex hoc adſerto, liquorem omnem, dummodo tenuis ſit, extrahendi vi pollere; cujus tamen contrarium è multis Zvelferi locis, v. g. *pag. 435. animadverſ. Eſſentiæ ambræ Mindereri*, probari poteſt.

2. Subtiles aromaticarum ſpecierum partes per deſtillationem quidem conſervat, ſed craſsè admodum mox denuo deperdit, dum utramque infuſionem, ſcilicet per decoctum clarificatum, & aquam deſtillatam, cum ſpeciebus catharticis celebratam, additâ *ſacchari librâ unâ*, in Sirupi conſiſtentiam percoquit; in qua coctione, ex propriâ Zvelferi doctrinâ, non poteſt non omnis aqua illa deſtillata in auras aufugere.

In SIRUPO DE CICHORIO CUM RHABARBARO NICOLAI FLORENTINI *pag. 56.* nihil ſingulare animadvertendum ſe offert.

SIRUPUS verò DIASEREOS ANDERNACI *pag. 57.* plures involvere difficultates, Zvelfero dicitur, ob exiguam præcipuè aquæ quantitatem, qua ingens ſpecierum ingredientium copia vix ſufficienter humectari, nedum decoqui, multò minùs extrahi poſſit. Cujus objectionis ſupra in *Sirupo acetoſo compoſito Meſues* jam mentio facta, demonſtratumq; fuit, Zvelferum multò magis in hoc impegiſſe, in quo Auguſtanos erraſſe, ſibi imaginatur; quæ ideo repetere nolo, ſed Lectorem illuc remitto.

Cur autem Zvelferus, Auguſtanos in aquæ quantitate determinandâ erraſſe, tam audacter ſcribere præſumſerit, cauſam ſufficientem non video; cùm eam planè non expreſſerint, ſed obiter ſaltem, ſpecies *in aquâ ad tertias decoquendas* eſſe, innuerint.

Si tamen divinare licet, existimarem, Zvelferum hoc modo secum ratiocinatum fuisse : *Omnia in aqua ad tertias ut decoquantur, & in hujus decocti ritè colati librâ & semisse, species purgantes macerentur*, volunt Augustani. Ergo *aquæ* quantitas coctioni destinata *librarum quatuor cum dimidiâ* erit; cùm hæ *libræ quatuor & dimidia ad tertias decoctæ, libram unam & semissem* relinquant. Ast dubium hoc addita vocula : *seorsim*, solvit; nimirum *in decocti ritè colati librâ unâ & semisse seorsim maceretur rhabarbarum*; in aliâ *librâ unâ cum dimidiâ* ejusdem decocti *agaricus trochiscatus seorsim maceretur*; &c. & sic demum Infusa ista cum *saccharo* &c. *modicè*, sive leni igne in Sirupum coquantur.

Ex hisce nunc etiam adparet falsa Zvelferi conclusio; parùm scilicet efficacem hunc Sirupum in officinis prostare. Esse eum autem efficacem, & Augustani, & qui eo methodicè usi fuerunt, sciunt. Ipse quoque ejus autor *Andernacus com. 2. dial. 7. de veteri & novâ medicinâ*, de eo *cochl.* j. *vel* ℥ß. pueris bile suffusis, vel obstructionem & duritiem viscerum expertis, aut lumbricis infestatis, salubriter se exhibuisse, testatur.

Quæ autem subdit de sanioribus Pharmacopœis, qui majorem aquæ quantitatem ad decoctionem illam requirant, & tamen rem ex debito non peragant, interprete opus habent; cùm ipse, *cur ex debito rem non peragant*, haud edoceat.

Alios in Sirupo hoc errores prægrandes brevitatis causâ se omittere, scribit. Mirum, quòd prægrandes errores silentio transeat, minutulos autem prolixis animadversionibus persequatur. Cùm verò prægrandes illi errores lateant, de iis judicare nequeo. Sæpe tamen parturire montes, & natum fuisse ridiculum quid, observatur.

In SIRUPO DOMESTICO, SEU DE SPINA INFECTORIA, SIVE CERVINA *pag. 59.* unicum hoc Zvelfero displicet, quòd species aromaticæ perfectè jam cocto Sirupo addantur, ubi earum virtus ob Sirupi crassitiem extrahi ampliùs nequeat. Ast nulla hîc difficultas, aromata *in fine coctionis*, ubi Sirupus adhuc calet & extrahendi potentiâ satis pollet, injiciuntur; quo de in *Sirupo de cortic. citri*, & *de menthâ maj. Mes.* actum jam fuit.

Contra SIRUPUM EMETICUM ANGELI SALÆ *pag. 60.* I. Ratione additorum aromatum cumprimis insurgit, quibus *malè & inutiliter vitrum antimonij* corrigi, adserit, utpote *quæ nullo modo directè vim ejus emeticam infringere, sed solummodo ventriculum roborare valeant, quò minùs ille adeò violenter ab eo afficiatur, ac quasi firmior reddatur, ejus conamini resistendo.* Ast hoc modo naturæ & medicamenti conatum inverti; cùm enim

enim per vomitum evacuare debeat, frustrà vim ejus emeticam infringi; naturam autem ab unâ parte pro expulsione noxæ stimulari, ab alterâ compedibus quasi stringi. Cur aromata addantur, an pro *vitri antimonij*, & qualinam correctione, prout Augustanis imputat Zvelferus, vel aliâ de causâ, certi quid statuere, non audeo. Verùm nec malè & inutiliter ea addi, facilè defendi potest. Imò optimè & insigni cum commodo hoc fieri, certum est. Ventriculum enim dum roborant, eum tantò aptiorem reddunt, ut validiori conamine *antimonio*, adversâ suâ naturâ in ventriculum agenti, resistere, idque fortiùs à se expellere possit; unde vomitus citiùs, fortiùs & faciliùs absolvitur. Nam debilis ventriculus, qualem ad vomitum Zvelferus meliorem judicare videtur, à copiosâ vitiosorum humorum colluvie obrutus, non tam potens est, ut *antimonio* sufficienter resistere possit, nisi ipsi suppetiæ per roborantia ferantur. Ideo aromata, cum emeticis propinata, nullo modo naturæ, aut medicamenti conatum invertunt, sed potius adjuvant, naturamque non solùm non interturbant aut ambiguam reddunt, sed confortant, & ad expulsionem noxæ eo ipso magis stimulant.

Eleganter hoc expressit *illustra medicinæ decus, Guernerus Rolfincius Ord. & meth. medic. special. comment. lib. 5. sect. 8. cap. 6: Addi possunt vomitivis ambra, moschus, vel oleum cinamomi, ut hac ratione spiritus vitalis roboretur, quò fortiùs in hostem insurgere queat, & sic commodè cum aliis vehiculis exhiberi.*

Condonarem Zvelfero frivolam hanc objectionem & inanem discursum, cùm hic ipsius scientiam medicamenta præparandi superet; nisi & ipse vomitoriis aromatica medicamenta in *Pharmacopœiâ Regiâ* conjunxisset; quibus itaque egregia illa commendatio pariter adplicari potest; videlicet *quòd malè & inutiliter addantur, naturæ & medicamenti conatum invertant, naturam in suis operibus interturbent, ambiguamq; faciant &c.* Consulantur *pag. 32. & 33. Pharmacop. Reg.* ubi *Sirupo emetico correcto elæosaccharum cinnamomi*, & *Sirupo emetico secundo* præter *idem elæosaccharum*, etiam *essentiam citri saccharinam* addit. Imò dum Zvelferus sciens naturæ & medicamenti conatum per aromatica invertit, naturamque interturbavit, contra conscientiam & fidem medicam egit. Palato equidem ægroti gratificari, gratiosum decet Medicum; ita tamen, ne indè effectus medicamenti interturbetur, morbusque non ritè propellatur.

In *Append. animadvers. pag. 11.* quidem protestatur, se non correctionis, sed saporis tantùm & odoris gratiâ, *elæosacchara Sirupo emetico Augustanorum correcto* addidisse. Quod si ita sit, *elæosacchora* tamen cùm careant auribus, nec an odoris, vel correctionis, alteriusve causâ addantur, intelligant,

gant, multò minùs *ad nutum & voluntatem cujusvis cervicosi imperantis*, verba cito Zvelferi *pag. 32. append. animad.* (*qui suo imperio naturam audientem cupit, ut eædem res nunc* propinatæ ventriculum roborent, & ab expulsione *antimonij* retrahant, nunc saporis & odoris causâ saltem exhibitæ, ejusdem conatum in expellendo *antimonio* non inhibeant) se adcommodare sciant; virtutes illas, quas possident, exserunt, & ventriculum roborando, actionem *antimonij*, ex sententiâ Zvelferi, impediunt.

Subjungit *in animadversionib.* Zvelferus: *si quis ventriculum intenderet roborare, longè consultiùs foret, id facere, posteaquam ille saburrâ humoris excrementitij exoneratus esset, quàm in illo ipso actu, dum eâdem saburrâ gravatum ipsum alleviare studet.* Utique si quis debilitatum ventriculum roborare intendat, consultum est, post vomitum peractum illud exsequi; non tamen indè sequitur, ipsis emeticis roborantia malè conjungi. Illud faciendum; hoc non omittendum est.

Pergit porrò: *Antimonij vim si quis verè infringere velit, aromatum adjectione id non tentet, sed ope solius Nitri correctionem ejus instituat.* Utrùm soli *nitro* debeatur vis *antimonium* infringendi, disquirere, non est hujus loci? Notum verò est omnibus, vel levem operationum chimicarum scientiam nactis, quod *antimonij vis emetica* per *nitrum* vel diminuatur, vel planè auferatur, prout aut intensiori, aut remissiori ignis gradui, cum multo, vel pauco *nitro*, commissum fuit. Quam emeticæ virtutis per *nitrum* diminutionem si quis cum Zvelfero veram correctionem adpellet, non video, an totaliter differat ab illo Augustanorum, (uti Zvelfero quidem audit) per aromata *antimonium* corrigendi modo; ut non de eâdem prædicari possit, quòd medicamenti antimonialis operantis conatum invertat, efficiatque ut natura ad expulsionem noxæ quidem stimuletur, ob debilem tamen vim emeticam, eidem remora fiat.

II. Zvelferus in hoc Sirupo monet, *quòd ex anaticâ proportione liquoris & sacchari, sine coctione* (*ut illi*, scilicet Augustani, *indigitant*) *Sirupus confici nequeat*, nisi *aliqua portio liquoris exhalet*, & cum eâ *multum de essentiâ aromatum additorum.* In priori objectione Zvelferus à veritate quodammodo deflectit, falsò Augustanis imputans, quòd Sirupum hunc *ex anaticâ liquoris & sacchari proportione sine coctione* conficiant. Aliud enim illud in fine additum: *Fiat Sirupus secundùm artem*, demonstrat. Si necessaria consistentia ex illâ permistione liquoris & *sacchari* non exsurgat, Pharmacopœus, artis peritus, eandem impertiet.

Alterum monitum de jacturâ essentiæ aromatum, verum est, si aliquam essentiæ ejusdem particulam, non omnem intelligas; præcipuè cùm minimè

minimè opus ſit, ut hic Sirupus diu multumque coquatur, cùm etiam liquidiori in conſiſtentiâ ob *aromata & acetum roſatum* ſervari tutò poſſit; imò longè meliùs, quàm ille in *Pharmacop. Reg. pag. 32. Sirupus emeticus primus*, è *librâ unâ & dimidiâ vini antimoniati, & librâ unâ ſacchari* in liquidiorem conſiſtentiam coctus; ubi inſignem *vini* ſpirituum jacturam fieri, Lector Benevolus pariter obſervet; prout quoque *pag. 11. Append. animadverſ.* ubi *correcta Sirupi emetici Salæ præparatio* traditur, *roſarum*, *croci*, *Zedoariæ & ſeminis angelicæ* partes tenuiores per coctionem in aërem abeunt. In qua correctâ præparatione, ipſum *aceto roſato acetum deſtillatum* præferre, video, tùm quòd illud virtute *roſarum* imbutum extrahere ampliùs, cumprimis mineralia, comodè nequeat, tùm crudum ſit. Aſt dubium adhuc cùm ſit: (quo de ſupra) an *crudum deſtillato aceto* ſit præferendum; *acetum* etiam *roſatum* non quidem extrahere, ſed diſſolvere *vitrum antimonij*, deprehendatur, cur hoc rejiciendum ſit, non video; præcipuè cùm ipſe Zvelferus *acetum deſtillatum, vitro antimonij ſaturatè imbutum*, aliis ſpeciebus reaffundat, ut ex illis virtutem aliquam eliciat. Alia quæ ibidem notat, partim jam ventilata fuêre, partim in ſequentibus diſcutientur.

SIRUPUS DE EPITHYMO MESUES pag. 61. licet obſoletus ſit, cùm tamen hoſtiliter admodum reformetur, ventilationem depoſcit. 1. Vix inter Sirupos purgantes, ob pauciſſimas ſpecies catharticas, ut ponatur, eum mereri, objicit. Licet paucitas ſpecierum purgantium in hoc Sirupo negari nequeat, lenientium tamen numerus eò copioſior eſt, quæ majori in doſi exhibita, vicem purgantium ſubeunt. Unde *ſupra laudatus Guerner. Rolfincius lib. de purgantib. vegetab. ſect. 4. art. 1. cap. 3.* doſin hujus Sirupi *unciarum duarum, vel trium, pro leniente; ad quatuor ſi intendatur, pro purgante* inſervire, ſcribit.

2. à tam inconcinnè conſarcinato Sirupo virtutes pſoram, lepram, cancrum, elephantiaſin curandi ſperari non poſſe, cùm tales morbi incurabiles à Medicis cenſeantur. Inconcinnum hoc judicium non levem in arte medicâ ignorantiam ſapit; cujus fundamenta ex *Angeli Salæ libro de variis Chimic. & Galenic. errorib.* Zvelferus conſarcinaſſe videtur; *ibi* enim *tract. 2.* de *Sirupo epithymi Meſ.* talia profert: *quæ de Sirupo hoc prædicantur, mera inſomnia eſſe, reputo. Quæ ſi vera ſunt, quî ſit igitur, quòd tot noſocomia leproſorum plena non ſtudes emundare, cùm opus hoc foret miſericordiæ inſignis?* Verùm, nemo unquam ſoli huic Sirupo morbos illos debellandi potentiam adſcripſit; ſed in illis exſtirpandis ſtrenuam eum conferre operam, v. g. vitioſam materiam, morborum illorum fomitem, educendo, negari nequit; hinc alia idonea medicamenta ſi in uſum ſimul vocentur, de quibus Practicorum libri

libri agunt, quandoque curari hos morbos, non eſt dubium. Prout Zvelferi *confectio anisi ſolutiva emetica, Pharmac. Reg. pag. 58.* delineata, morbos chronicos, febres quartanas, melancholiam hypochondriacam, icteritiam &c. raro ſola debellabit, niſi & congrua alia remedia conjungantur.

Morbos autem ab Auguſtanis recenſitos incurabiles à Medicis cenſeri, tam ſimpliciter cum Zvelfero adfirmare nequeo. De qua materiâ multa in medium adduci poſſent, niſi uberrimè hoc ab aliis actum jam eſſet, nec ſemper deſperatæ ſalutis tales ægros à Medicis cenſeri deprehendique, vel modicè in ſcriptis eorum verſato pateret; præterea loci hujus non ſit, de ſimilibus agere, utpote ad præparationem medicamentorum cùm propriè non ſpectent.

Parciùs fortè objeciſſet hæc Zvelferus, ſi *epitaphij Paracelſi*, quod ex *Jo. Bapt. Helmontij tr. de magnet. vuln. curat. §. 52.* adducit, recordatus fuiſſet, cui publico monumento, authoritate *Illuſtriſsimi & Reverendiſsimi Antiſtitis Salsburgenſis* munito, amplam fidem *part. 1. cap. 1. mantiſs. ſpagyr.* tribuit, ubi contra *Incomparabilem P. Athanaſium Kircherum*, Chryſopœiam propugnans, arma induit; in illo verò epitaphio ars etiam *Paracelſi* lepram curandi poſteris commendatur.

Pro commento autem habeat laudem Sirupi hujus, qui velit; videat tamen, ne & idem de plurimis Zvelferi compoſitionibus decernatur.

3. In ipſam ingredientium qualitatem acerbiſſimè invehitur Zvelferus; & purgantia, corroborantia &c. radices, herbas, flores, fructus, ſemina &c. ſine ordine & ratione mixtim conglomerata, exclamat; cauſam tamen, & in quo contra rationem quid peccatum fuerit, non ſubjungit. Eodem modo, multas Zvelferi compoſitiones ex ingredientibus ſine ordine & ratione mixtis, conglomeratas eſſe in *Pharmacopœiâ Regiâ*, dici poteſt; v. g. *Sirupus hydragogus pag. 35.* è radicibus, corticibus, medullâ, gummi, ſalibus, cymis, herbis, ſeminibus, elæoſaccharis; ex præparantibus, purgantibus, cardiacis, hepaticis, ſpleneticis, diureticis; dulcibus, acidis, ſalſis, acribus &c. conglomeratus notatur. An ergo ſummæ inſcitiæ & ignorantiæ, ob ejusdem compoſitionem, Zvelferus argui debet? an ἀμεθόδως efformatum eum eſſe, dicendum eſt?

SIRUPI DE FUMARIA COMPOSITI MESUES pag. eâdem animadverſiones, præter ſcommata & inanem ſtrepitum nihil, quod non diſcuſſum jam fuerit, continent.

SIRUPUS DE FLORIBUS PERSICORUM pag. 62. intactus abire permittitur.

In SIRUPO DE POLYPODIO *pag. eâdem, authorem acumen ingenij sui ostentare conari*, ratione *frequentium & iteratarum infusionum*, quas *ridiculas potius esse, quàm quòd singularem aliquam sapiant ἀκρίβειαν*, scribit. Cùm *ineptum* sit, *decoctis crassis, recentibus speciebus reaffusis, novam rerum moliri extractionem.* Toties repetito suo risu Zvelferus se ipsum aliorum risui exponit, & ineptâ suâ circa iteratas infusiones animadversione, quæ singularem non sapit ἀκρίβειαν, nullo modo aliquod ingenij acumen ostentat.

An decoctum crassum dici debent *aquæ libræ sex*, vires *libræ unius polypodij* continentes? an illæ *libræ sex* tàm saturæ sunt à *polypodio*, ut ex *unciâ unâ calami aromatici & drachmis tribus seminis fœniculi* extrahere ampliùs nil valeant? an hac ratione viribus *polypodij, calami aromatici & seminis fœniculi* pollens *aqua* unà cum *infusionis rosarum & succorum libris tribus* è *myrobalanorum unciis quatuor & dimidiâ*, nec non *passularum unciis tribus*; tandemque ad consumtionem tertiæ partis, sive *librarum trium*, decocti liquores, *foliorum Senæ unciis sex* vim elicere nequeunt? Si quis elici neget, is præter rei evidentiam Zvelferum etiam contradicentem habet, utpote qui in primâ suâ mutatâ præparatione *polypodium, myrobalanos & passulas aquæ libris sex & succorum librâ unâ cum dimidiâ* extrahit; in secundâ verò decoctum hoc clarificatum *foliis Senæ* extrahendis adfundit, ubi si quid extrahitur, cur non idem in Augustanorum modo sperare liceat? Interea si non omnis vis *foliorum senæ* extrahatur, parùm tamen intactum relinquetur.

Præposterè quoque & parùm perspectè *semen fœniculi & calamum aromaticum* in fine primæ decoctionis addi, objicit; quorum nempe vis aromatica in sequentibus coctionibus exhalet. Odorem eorum abire, verum est, sed non omnis vis deperditur. Præposterè autem & parùm perspectè Zvelferus *polypodium, myrobalanos & passulas minores* destillationi committit, cùm ex illis nil quidquam per destillationem, ceu inferiùs adserit, elevetur; si verò spirituosi quid fundant, illud ipsum per triplicem coctionem iterum in auras pellatur.

Multa alia in correcto illo Zvelferi Sirupo castiganda forent, quæ tamen hac vice omitto.

SIRUPUS E POMIS REGIS SAPOR pag. 63. nullâ singulari animadversione notatur.

In SIRUPO DE RHABARBARO SOLUTIVO *pag. 64.* consultum arbitratur, ut 1. aquæ infusioni & decoctioni dicatæ quantitas augeatur, quò tota vis purgatrix *rhabarbari & foliorum senæ* eliciatur. Ast adsignatæ *libræ tres* sufficere videntur hujus Sirupi ingredientibus, quæ *libram*

bram dimidiam vix excedunt, ſic ut *unciæ uni ſpecierum, libra dimidia aquæ* dicata ſit, quæ vim earum ſufficienter extrahere valet; aliàs aliquot à Zvelfero deſcriptæ compoſitiones eandem imperfectæ extractionis cenſuram incurrerent, v. g. in *Infuſ. laxativ. Mannagettæ ſuprà citatâ unciis duabus & drachmis duabus cum ſemiſſe ſpecierum, unciæ ſedecim aquæ* deſtinantur, ubi ſi ad *unciam unam ſpecierum*, Auguſtanorum exemplo, *libram dimidiam aquæ* recipiamus, illæ Zvelferi *unciæ duæ & drachmæ duæ cum ſemiſſe, aquæ uncias tredecim, ac drachmas ſeptem* requirunt, ſupereruntque hoc modo à dictis *aquæ unciis ſedecim*, tantùm *unciæ duæ & drachma una*, quæ tamen quantitas tanti momenti haud eſt, cùm ejus *drachma una* vix *drachmam unam ſpecierum* reſpiciat. Clariùs id in *Clareto hydragogo Pharmac. Reg. pag. 41.* patet, ubi *ſpecierum unciis ſeptem drachmisq́ ſex, vini deſtillati* & ſpecierum aromaticarum ex *unciis quinque* deſumtis ſubtilibus particulis impraegnati, *libræ tres*, & ita *unciæ uni ſpecierum* nec quidem *unciæ quinque vini* deſtinantur.

2. *Aquas deſtillatas* pro dictarum ſpecierum extractione omittendas eſſe, putat, *cùm quidquid in ſe continent ſpirituoſi & efficacis, ſub coctura & inſpiſſatione Sirupi, penitùs exhalet.* Magnam ejus partem evaporare, verum eſt; attamen non, ut ipſe autumat, omne; quia à *libris tribus aquarum* invalidâ coctione ad minimum *unciæ decem liquoris* cum *ſacchari unciis ſedecim* remanent. Cæterùm *aquarum deſtillatarum* cocturâ evaporantium exempla *Pharmacopœiæ Regiæ claſsis quinta* ſuppeditat.

3. Ut aromatizatio per *olea cinnamomi & Zingiberis*, Sirupo jam perfectè cocto addenda, fiat, exigit; quod cuilibet obſervare, vel omittere, per me integrum eſt.

SIRUPUM ROSATUM SOLUTIVUM SIMPLICEM, SIVE MUCHARUM *pag. eâdem* etiamſi præſcriptâ Auguſtanorum methodo ſatis commodè parari poſſe, Zvelferus concedat; laborum tamen & ſumtuum inſigne compendium fieri poſſe, exiſtimat, ſi octo Infuſionum loco, tres ſaltem quatuorve cum ſufficiente quantitate aquæ inſtituerentur; cùm aqua ſemel rerum aliarum virtute imbuta, *ulteriori extractioni ampliùs inſervire nequeat.* Verùm non ſolius extractionis gratiâ Infuſionem factam eſſe, propriè dici poteſt, ſed ut *roſæ recentes*, addito liquore, eò commodiùs quoque per expreſſionem ſuccum ſuum fundere queant.

Et quæſo, dicat mihi quis, à quanam re illæ *libræ ducentæ aquæ*, nec non *ſuccus roſarum* (quæ nimirum *recentes* & ſucco turgidæ ſumuntur) per trinam vel quadrinam infuſionem atque expreſſionem prolectus, imbutus ſit, ut ulteriori extractioni ampliùs inſervire nequeat? Si dicas, *roſarum* virtute illum liquorem eſſe imbutum, tali modo nullus ſuccus, ex quacunque herbâ,

flore, aut radice expressus sit, aliquam extractionem perficiet, cùm virtutem vegetabilis sui, è quo prolectus fuit, in se contineat, non aliter atque hîc *succus rosarum*, cui tamen tanta insuper *aquæ* quantitas accessit. Concedit autem Zvelferus succis extrahendi potentiam; aliàs eos in *Pharmacopœiâ Regiâ* toties hunc in finem non adduceret. Malè ergo & inconsideratè soli *rosarum succo* vis illa derogabitur.

Mox autem effati prioris oblitus, ex octies repetitis istis infusionibus aliquid aquæ accedere, tacitè ipse concedit; dum, quò frequentiùs *rosæ* infunduntur, eò majori amaritudine infusionem inquinari, tradit. Si itaque illa amaritudo à reiteratis infusionibus semper accrescit, an aliunde liquor superinfusus amaritudinem istam, quàm à *rosis* recenter infusis, accipit?

Præterea *Sirupus rosarum solutivus Pharmacopœiæ Regiæ pag. 39.* contra autorem suum pariter militat; in quo nimirum cum *libris quindecim aquæ*, *libras septendecim rosarum rubrarum recentium* extrahere, conatur. Si enim in Augustanorum quatuor primis infusionibus determinatæ *libræ ducentæ aquæ* sufficienter jam à *libris centum & nonaginta rosarum* (tot scilicet in dictis quatuor infusionibus adhibentur; videlicet in primâ ℔LV.; in secundâ ℔L.; in tertiâ ℔XLV.; in quartâ ℔XL.) imbutæ sunt, ita ut aqua hæc *ulteriori extractioni ampliùs inservire nequeat*, frustrà in citato suo Sirupo Zvelferus *libras septendecim rosarum* cum *libris quindecim aquæ* extrahere laborat; cùm ultra *libras quatuordecim, & uncias tres*, juxta proprium Zvelferi fundamentum, extrahere haud possint. Sin sufficiens in Zvelferi Sirupo extractio fit, Augustanorum quoque quinta, & ex parte sexta etiam infusio necessariò admitti debet, & ita aqua post quatuor infusiones *ulteriori extractioni ampliùs inservire potest.*

Addit quidem *l. c. Pharmac. Reg. librâ unâ aquæ libram integram rosarum* sufficienter extrahi non posse; illum tamen defectum nonnihil supplere fortem illam expressionem, qua etiam succus rosarum proprius unà eliciatur. Quo ipso sanè magnum Augustanis robur subministrat, qui singulis infusionibus expressionem, preli ope absolvendam, adjungunt.

Pergit dein Zvelferus: *neque efficacior evaderet Sirupus, si ad normam & methodum sciolorum quorundam, in Animadversionibus ipsorum locatam, conficeretur, qui nimirum centum & viginti libras rosarum vigesies, cum aquæ libris triginta duabus infundere, & demum additis sacchari libris duodecim in Sirupum percoquere jubent, cum ingenti sanè rosarum profusione &c.* Odiosum illud *sciolorum* nomen rectiùs omittere potuisset, qui fortè convenientiùs eo epitheto mactari posset. Iste autem modus non est Augustanorum, & nec probatur, nec improbatur, (imò improbari, ob supra adductam ratio-

nem

nem, nequit) sed nudè tantùm recensetur, multò minùs ab Augustanis eodem, quo à Zvelfero, proponitur modo; Augustani enim scribunt: *quidam aquæ libris triginta duabus vigesies infundunt sex rosarum libras:* Zvelferus autem, *centum & viginti libras rosarum vigesies cum aquæ libris triginta duabus infundi*, adserit; Ex quo potius sequeretur, non *centum & viginti*, sed *duo millia & quadringentas rosarum libras* infusioni destinari.

Ipse autem è longè minori quantitate *rosarum* vim catharticam elici posse, contendit. Id quod non negatur; ast illa vis cathartica non parem efficaciam cum illâ, quæ è majori *rosarum* quantitate elicitur, possidet.

Ulterius objicit Zvelferus, si non adeo *rosarum* vim purgantem, sed refrigerantem intensiorem reiteratis tot infusionibus extorquere quis nitatur, eum longè errare; cùm, quò frequentiùs *rosæ* infunduntur, eò magis amarescat infusio, amaritudo autem non frigoris, sed caloris sit soboles; insuper à Sirupo hoc, per toties reiteratas infusiones parato, calores febriles intensiores redditos &c. observatum fuisse. Utrùm crebris istis infusionibus vis cathartica vel refrigerans potius intensior quæratur, alij judicent; Vim tamen catharticam præcipuè & primò expeti, (idem *Joh. Freitagius* innuere vult *lib. 3. auror. medicor. cap. 8.*) existimo; unde etiam locum inter alvum solventes Sirupos obtinet, & à nostris quoque Medicis eum in finem præscribi solet. Vis autem refrigerandi per accidens ferè tantùm ipsi competit; quatenus scilicet vi suâ solvente, & amaritudine aperit, abstergit, biliososque humores educit, & sic calidorum morborum causam tollit, atque consequenter corpus calore exagitatum refrigerat.

Sic & *cichorium*, quod calidum esse, ex omnium ferè Medicorum, ac ipsiusmet Zvelferi fundamento patet, refrigerare tamen, communiter perhibetur, de quo consul. *Sennerti paralip. 14. ad Institut. lib. 5.* Ex hoc capite Lector Candidus iterum Zvelferi ἀντιλογίαν deprehendit, dum in præsenti *Sirupo rosato* facultatem refrigerandi medicamentis amaris adimit; econtra de suo *Sirupo cichorij simplici Pharmacop. Reg. pag. 11.* eum hepatis & ventriculi calidam intemperiem contemperare, febricitantibusque auxiliari, adfirmat.

Calores autem febriles an ab hujusmodi *Sirupo rosato* intensiores redditi, ac ex simplici tertianâ intermittente duplex facta fuerit, equidem nescio. Ut jam non inquiram, cui egregiæ illæ observationes obtigerint, dubium mihi maximè videtur; an, ubi in febricitante, qui Sirupo hoc usus fuerat, calor magis magisque invaluit &c. hoc Sirupo debitè, i. e. in dosi, tempore &c, conveniente, propinato, & non potius ab audaci & empiricâ manu

manu exhibito, adſcribi debeat? atque annon aliis ἀμεθόδως adhibitis medicamentis, ægroto immorigero, adſtantibus officium non facientibus, (confer. *Hippocr. 1. aph. 1.*) aliis ſupervenientibus ſymptomatibus &c. adſcribi debeat? Sæpe ſæpius enim contrarius in medicamento adprobatiſſimo effectus deprehenditur; ſi quid à Medico, ægroto, adſtantibus &c. ſiniſtri commiſſum, vel recti omiſſum fuerit; namque in curatione morborum omnia hæc nunquam temerè ſeparari debent.

Occurrit mihi hîc illa inter *Amatum Luſitanum*, & *Petrum Andream Matthiolum* de *roſis moſchatis, ſive Damaſcenis* agitata controverſia; quorum ille *lib. 1. in Dioſcor. roſas* prædictas non minori dejectoriâ vi pollere, quàm *ſcammonium*; imò exitioſiſſimum medicamentum eſſe, tradidit; idque exemplo cujusdam mulieris, quæ ex *ſaccharo* cum *roſis* illis parato, faucium & linguæ deſquamationem, & ventriculi eroſionem incurrerit. *Matthiolus* verò in *apologiâ adverſus Amatum*, cùm ſine incommodo *roſas* has ſumi, expertum haberet, inconſtanti ſuo judicio deluſum eſſe *Luſitanum*, regeſſit; utpote *qui hujusce medicamenti facultatis penitùs ignarus, ſymptomatis illius cauſam in illud perperam rejecerit. Cùm potius credendum ſit, id ab acrium ſalſorumq; ſuccorum defluxu proveniſſe, qui fortè fortuna eo tempore, quo roſaceum illud ſaccharum mulier illa ſumſit, à capite in eas partes labi cœpit.*

Ludovicus Septalius animadverſ. libr. 3. §. 49. Sirupum noſtrum roſatum non inter lenientia, ſed fortiora cathartica referri debere, cenſet; cùm ſæpenumero maximam humorum copiam ab eo ſumto evacuatam viderit. Quod *Rolfincius* eatenus concedit, quatenus v. g. *ſcammonium* ipſi additum fuerit, quod nonnunquam pro laboris & infuſionum compendio, à pharmacopœis fieri, ſcribit. Vid. ejus *ordo & method. medic. ſpecial. comment.* nec non *tract. de purgantib. vegetabilib.*

Ex quibus patet, Sirupum hunc, quem ſine incommodo, etiam in febribus, ſæpius propinatum fuiſſe, conſtat, minùs ſalutaris medicamenti notam incurrere poſſe; ſi fortè fortuna in ejus exhibitione aliquod ſymptoma ſuperveniat, aut ingraveſcat; ſi eidem alia minùs commoda addantur medicamenta, &c. quibus tunc potius iſtud ſymptoma, quàm *Sirupo roſato*, adſcribi debeat.

Si verò Zvelferi valet concluſio: *Amara calorem febrilem intendunt potius, quàm imminuunt. Sirupus roſarum ſolutivus ſimplex eſt amarus. Ergo calorem febrilem intendit potius, quàm imminuit*; Proh! quanta ſtrages magnæ febrifugorum medicamentorum parti imminet? Nec video, qua ratione *Sirupus de centaurio minori antifebrilis* Zvelferi *Pharmacop. Reg. pag. 11.* (ut de

(ut de *Sirupo cichorij* nil dicam) se vindicare possit, quò minùs ab ejusdem usu calores febriles non tantùm non diminuantur & infringantur, sed etiam intensiores reddantur, qui tamen *ad febres tertianas & quartanas abigendas præstans* esse, deprædicatur.

SIRUPUS ROSATUS SOLUTIVUS COMPOSITUS HELLEBORATUS MONTANI *pag. 66.* triplici animadversione notatur.

1. Ratione *myrobalanorum*, quos malè *oleo amygdal. dulcium* fricari adserit; cùm illud impediat, quò minùs aqua adfusa se *myrobalanis* insinuare, eorundemque substantiam penitus permeare queat; causam verò additi *olei* existimat, ne pulvis subtilior inter triturandum avolet. Quidquid causæ fricationis subsit; inanis tamen metus est, ne *aquæ* in *myrobalanos* ingressus per eandem prohibeatur. Simplici quidem infusioni eo modo præparati *myrobalani* si submittantur, difficulter extrahi, sive ab *aquâ* attingi, possunt, si *oleum* undique omnes eorum particulas investiat; sed in decoctione *olei* quædam separatio fit, & ita liber ingressus *aquæ* permittitur.

2. *Infusionem rosarum* ad extrahendum inefficacem proclamat. Hæc autem cùm nihil aliud sit, quàm *succus rosarum dilutus*, non video, quomodo virtute extrahendi destitutus dici queat, præcipuè quia & Zvelferus vegetabilium succos, ad extractiones sæpius adhibet, de quo *in præcedd.* abundè actum jam fuit.

Intueatur quis saltem *Sirupi hujus rosati*, ceu ille vocat, dextram præparationem; in qua si perfectam aut ullam extractionem fieri, Zvelferiani solidis fundamentis innixi negabunt, tunc demum Augustanorum Sirupum præsentem corrigant; interea nemo illorum eos, qui Augustanorum modum amplectuntur, *si mente constet, judicet*, aut condemnet.

3. *Radicum hellebori nigri* excorticationem risu excipit; de qua ut quilibet sibi persuasum habeat, exigit, quòd autor, si unquam eam tentasset, adeo inutilem & indignum laborem Pharmacopœis non imposuisset. Hoc in loco inutilem vocat laborem, inferiùs autem planè impossibilem; de qua tamen materiâ *Classis XX. cap. de hellebori præparatione*, occasionem locumq; tractandi subministrabit; ubi hæc indigna tanto Pharmacopœo animadversio examini subjicietur, omnibusque patefiet, quòd Zvelferus, si unquam *hellebori* decorticationem ritè tentasset, eam inutilem & impossibilem haud proclamasset.

Quod mutatam ipsius præparationem attinet, multa in eâ prolixis animadversionibus digna adduci possent; v. g. quòd specierum extractionem cum *mucharo rosarum*, ceu jam monui, instituat, quod tamen inefficax ad

hunc

hunc usum vocat; & quidem cum dicti *muchari libris duodecim, specierum libras tres, uncias quatuor, & drachmas duas vel quatuor* extrahere conetur; sic ut *muchari unciis tribus cum dimidiâ* parum ultra *unciam unam specierum* adsignetur, quam tamen, imò majorem liquoris quantitatem tali specierum ponderi extrahendo non sufficere, contra Augustanos propugnat.

Animadverti quoque posset in destillationem *muchari rosarum*, quæ inutilis censeri debet tum ratione ipsius *muchari*, tum specierum, à quibus abstrahitur; odor enim qui ab illo elevatur, laxandi virtute hîc expetitâ caret; ab his verò parum penetrantis virtutis elicitur; quod autem per destillationem spirituosi prodiit, per subsequentem coctionem totum, si aliis in locis Zvelfero fides habenda est, iterum in auras mittitur.

Curiositas insuper nimia dici posset, quòd à primâ infusione *caryophyllorum unciæ uni drachmas sex vel unciam dimidiam* detrahat, & non, integrâ illâ *unciâ* omissâ, *elæosacchari caryophyllorum* quantitatem augeat, vel *elæosaccharo* omisso, *unciam* integram infundat, & cum reliquis destillatam, vel cum *sacchari* destinato pondere coquat, vel spirituosiorem ejus partem leni igne separando, confecto jam Sirupo, quod aliàs observat, adjungat. Sed indicâsse hæc tantùm, sufficit.

SIRUPUS ROSATUS COMPOSITUS SINE HELLEBORO, & SIRUPUS ROSATUS LAXATIVUS CUM AMBUBEIA DICTUS *pag. 67.* nec non SIRUPUS ROSATUS SOLUTIVUS QUERCETANI *pag. 68.* cum præcedenti, quoad animadversiones & mutatam præparationem coincidunt.

In SIRUPO SPLENETICO D. D. VERBEZII *pag. eâdem* animadvertit: 1. Præscriptas *uncias novendecim succorum* non sufficere denominatarum specierum infusioni & extractioni, sed necesse esse, ut peractâ illâ cum succis extractione, per aquam etiam reliqua virtus eliciatur. Quanquam succi majorem & meliorem specierum partem extrahant, superstitem tamen paucam, additâ aquâ vel alio liquore, elicere, Augustani non prohibent.

2. *Saccharum canthum violatum* Sirupi precium augendi causâ addi, auguratur. Hanc mentem *Verbezij* fuisse, Zvelferi insolens, non veritatis amans calamus, adserit. Neque Sirupi precium in tantum adaugere valet, cùm idem ferè incommodum à substituto in ejus locum *Sirupo violato*, Zvelfero impendeat. Si enim *saccharum canthum violaceum* nihil aliud est, quàm pars *Sirupi violati* (uti Zvelferus innuit) progressu temporis in crystallos concrescens, & à *sacchraro* in majori, quàm opus erat, quantitate addito provenit; sumtus nec ratione partium, è quibus constituitur, nec præparationis tantopere augentur.

Hoc

Hoc verò *saccharum* an ubivis obvium non sit, nec in omnibus pharmacopoliis prostet, equidem nescio. In quibusdam fortè fortuna saltem reperiri, non negabo.

Cæterùm nostra non tantùm Pharmacopolia Augustana, sed & Aromatariorum, aliorumque tabernæ magnâ in copiâ *saccharum canthum, violaceo colore splendens* possident, nec adeo sumtuoso precio ibidem divenditur; ita ut ob ejusdem penuriam nullum impedimentum adsit, quò minùs in officinis Sirupus hic parari possit; prout nostris in officinis semper paratus prostat.

Sacchari canthi violati è *succo violarum* parandi modum *Casp. Bauhinus lib. 1. de remed. formulis cap. 19.* describit.

3. *Cremorem tartari* rectiùs ipsi infusioni & decoctioni, non perfectè demum elaborato Sirupo, addi, econtra *spiritum vitrioli* planè omitti, & ejus guttulas aliquot, ubi Sirupus à Medico præscribitur, instillari debere, contendit. Quam utramque animadversionem adprobare nequeo. *Cremorem* enim *tartari* quod concernit, eum infusioni & decoctioni addi quidem posse, concedo; ast cur minùs rectè Sirupo perfectè elaborato immittatur, nullam causam video.

Sic verò animadvertere oportuit Zvelferum, cui nihil rectum, nisi quod ipse scribit, videtur; hinc *Pharmacop. Reg. pag. 31.* in *Infusione laxativâ Mannagettâ*, post absolutam infusionem, *cremoris tartari drachmas tres* addit, & *pag. 55. Electuario communi*, post duplicem coctionem, *ejusdem unciam unam* demum admiscet.

Quamvis Augustani non perfectè elaborato Sirupo, uti falsò tradit Zvelferus, sed circa finem coctionis *cremorem tartari* inspergant.

Spiritus autem *vitrioli* cur infusioni & decoctioni subtrahi debeat, ignoro; cùm ad meliorem ingredientium extractionem symbolum suum conferat. Et licet aliquot ejus guttulæ Sirupo, dum à Medico præscribitur, pro variâ intentione, superaddi possint; propterea tamen ab ipsâ præparatione planè excludi non debet. Pari aliàs jure à Zvelferi *Sirupo rosato simplici Pharmacop. Reg. pag. 20.* exulare deberet; cùm & ibidem, dum à Medico ordinatur, aliquot ejus guttulæ semper addi possint, prout plures vel pauciores necessariæ esse videbuntur. Sic & in *Sirupo splenetico Pharmacop. Reg. pag. 21. Spiritus salis* malè ipsam compositionem ingrederetur; quia ejus *guttulæ aliquot extra Sirupi confectionem, quoties ille à Medico præscriberetur, ad lubitum addi possent, prout nimirùm magis vel minùs, sive intensiùs aut remissiùs, obstructiones viscerum reserare, est animus.* De aromatizatione per *elæosacchara* idem effari liceret, nimirum quòd tum demum addi deberent,

ubi medicamenta talia aromatizanda adhibentur, prout nempe magis vel minùs odorata & sapida ea reddere, animus foret.

In SIRUPO LENITIVO DE TRIBUS *pag. 69.* tot absurdos iterum committi errores, scribit, ut vix sciat, cui primùm occurrendum sit; imprimis sese offerre eundem jam toties refutatum errorem de *muchar o rosarum*, quod abundè *rosarum* virtutibus imbutum, ulteriori infusioni & extractioni inservire prorsus non posse. Cui absurdo Zvelferi errori supra jam occurri, & *infusioni rosarum* vim extrahendi denegari haud posse, comprobavi. In specie autem *muchari* adsignatam quantitatem pro tot in Sirupo hoc enumeratarum specierum humectatione, nedum perfectâ extractione & trinâ coctione haud sufficere, objicit, cùm omnes illæ species siccæ sint, quæ vel *ambas facilè muchari libras*, utut fortiter ope torcularis, post singulas infusiones & ebullitiones exprimantur, absorbeant. Quod Zvelferi effatum quàm absurdum iterum sit, indè patet, quòd non omnes species simul, sed separatim, tribus scilicet vicibus, infundantur; & prima quidem infusio cum *libris duabus muchari* & *librâ dimidiâ foliorum senæ* fiat; quam *libram dimidiam foliorum*, integras *duas muchari libras* absorbere, ita ut fortissimâ etiam expressione vix quidquam de iis iterum eliciatur, nemo sani judicij adfirmabit. Ponamus autem, in *primâ* hac infusione, cum *foliis senæ* remanere *uncias tres muchari*; & totidem in *secundâ*, pariter cum *librâ dimidiâ foliorum senæ* factâ; nec non *libram dimidiam* in *tertiâ* infusione, cum *undecim unciis specierum* institutâ; nihilominus integra *libra muchari* post exantlatam triplicem infusionem & expressionem prodibit. Quod verò cum speciebus superioris infusionis remanet, in subsequente novâ, cum aquâ aliisque speciebus, cocturâ elicitur. Interea multùm virtutis in speciebus prædictis remanere, quod largiorem aquæ infusionem deposceret, non nego; cui defectui solertia periti Pharmacopœi facilè succurrere, novit; ubi perfecta extractio strictè requiritur.

Præterea infusio & levis ebullitio in rorido Balnei calore, inque cucurbitâ alembico cæco munitâ, & circumlinitis ritè fugis, quàm absurda sit, quemvis facilè cernere, Zvelferus judicat. Sed in quonam absurditas illa consistat, dum non docet, de eâ quoque certi quid decernere, nequeo.

Pergit dein in absurda pronus Zvelferus, & aromatizationem, maximè secundæ infusionis absurdam vocat, cùm si fortè aliquid ab aromatum viribus primæ decoctioni communicaretur, illud in secundâ vel tertiâ evanescat. Utique conceditur, partem majorem subtilium particularum ex aromatibus illis evanescere; ast omnes eorum vires hoc modo deperdi, falsum est; quan-

quam

quam & ipse Zvelferus monitum hoc suum parùm observet in correctâ, quam dat, Sirupi præsentis præparatione, de qua mox dicetur.

Tandem quærit, cur sola remanentia *foliorum senæ à superiore infusione*, cum nonnullis aliis speciebus, *novâ affusâ aquâ* coqui debeat, & non etiam simul remanentia secundæ & tertiæ infusionis? Scire hîc debuisset Zvelferus, per *remanentiam foliorum senæ infusionis superioris*, non illas primæ infusionis, sed tertiæ proximè antecedentis intelligi; in qua nimirum cùm, præ reliquis duabus prioribus, minùs perfecta extractio facta fuerit, & *rhabarbarum* quoque atque *agaricus* ponantur, eam *aquâ fontanâ* additâ exactiùs absolvere, scopus fuit. Sola autem *folia senæ*, quia major eorum, respectu adjunctorum simplicium, est quantitas, denominantur.

Falsum verò est, quòd, *novâ affusâ aquâ*, remanentiam illam &c. coqui debere, Augustani præcipiant, cùm antea non *aquam*, sed *succum rosarum* adhibuerint; ac ita vocula illa: *novâ*, rectiùs omitti potuisset.

Nunc quid genuini Sirupi hujus præparatio genuina, à Zvelfero sic dicta & edocta, contineat, leviter attingam.

1. *Specierum siccarum libras duas, unciam unam, drachmas sex & dimidiam* cum *liquoris libris quinque* infundit, quæ tamen liquoris quantitas, juxta Zvelferi monitum, vix humectandis, non dicam infundendis, coquendis, & colandis illis speciebus sufficit.

2. Dictarum specierum extractionem etiam cum *mucharo rosarum* molitur; quod tamen, secundùm Zvelferi doctrinam, ad extractionem inefficax censeri debet.

3. *Zingiberis, caryophyllorum & spicæ indicæ* subtiles partes per infusionem extractas, iterum, ob coctiones subsequentes, in auras mittit, sicque omnes eorum vires, ex proprio quidem fundamento, deperdit.

4. Illis *drachmis duabus caryophyllorum*, ab Augustanis positis, *drachmam dimidiam* detrahit; cujus parsimoniæ causam, exemplum Zvelferi, in *animadversionib. Sirupi de pomis ad confect. alchermes*, sequendo, non immeritò quis ex ipso quæreret.

5. *Cinnamomum & citri cortices* infusioni atque decoctioni subtrahit, nullâ fortè aliâ de causâ, quàm ut eorum spirituosam partem servet; quod tamen pariter in *Zingiberis unciis duabus, & caryophyllorum drachmâ unâ cum dimidiâ* observare debuisset.

6. *Spiritus vitrioli drachmam unam* perfectè jam parato Sirupo addit, ne Sirupus æruginoso sapore à torculari inter exprimendum, & à vase æneo inter coquendum imbuatur. Ast inanis Zvelferum metus torquet. Exigua

enim illa *spiritus vitrioli* dosis, in tantâ liquoris quantitate diffusa, tam potens ampliùs haud est, ut notabilem aliquam æruginis extractionem instituere possit; expressio insuper specierum non necessariò in torculari æneo fieri debet; quod si æneum sit, stanno tamen obductum esse solet.

Coctio, si quis ab ærugine metus subsit, in vase terreo fieri potest. Nam commodè satis huc refertur, quod Augustani *cap. 4. prolegom.* de Sirupis acidis scribunt, eosdem in vasis figulinis vitreatis aut lapideis coqui, despumari, ac reponi debere, præcipientes.

7. *Spiritum vitrioli* ab hac compositione planè excludere debuisset; cùm, uti ipse in *præced. Sirupo* animadvertit, ejus guttulæ aliquot, quoties à Medico Sirupus hic præscribitur, ad libitum addi possint; prout nimirum magis vel minùs obstructiones reserare &c. animus est.

SIRUPO VIOLATO SOLUTIVO, MELLI ROSATO LAXATIVO, & MELLI VIOLATO SOLUTIVO *pag. 71. animadversiones Sirupi rosati solutivi* destinantur, ad quas Lectorem, manuducente Zvelfero, remitto.

OXYMEL HELLEBORATUM MAIUS JULIANI *pag. ead.* se offert, quod *panaceam ipsamq; Divûm adjutricem manum* (sic Zvelferus cavillatur) *diceres, si vera essent, quæ de immensis ejus virtutibus, in tot tantisq; profligandis morborum monstris, plenis buccis prædicat Gesnerus. Et proh! quàm beati essent Medici, si talis medicina illis suppeteret, quâ solâ & unicâ tot conjuratos nostræ naturæ hostes (quos morbos nuncupamus) promiscuè prosternere & debellare possent; nimirùm Dij essent & Numine pleni.* Ast corruere tantam ejus dignitatem, subjungit, si inconcinna ipsius præparatio & compositio consideretur, quam *frequenter sine ullo juvamine, nonnunquam etiam cum detrimento adhibitam* fuisse, experientia testetur. Hæreo, quid de perverso hoc judicio statuere debeam. Magni momenti sunt, quibus *Gesnerum*, & consequenter Augustanos, hocce *Gesneri oxymel* adprobantes, onerat. Sed parùm æstimandus est is, qui eos invadit. De fide autem *Gesneri* nemo dubitabit, nisi qui ipse fide dignus haberi nunquam velit.

Ast vera esse, quæ de viribus medicamenti hujus prædicat, experientiâ edoctus, *Gesnerus* adserit, dum in fine sequentia addit: *hæc omnia nos experiundo observavimus; plura autem Medici industrij ipso usu. Utor & frequentissimè, & magno cum successu, possemq; historias multas recitare.* Idem in *epist. ad Joh. Bauhinum pag. 106.* scribit: *pergo eo felicissimè uti;* & *pag. 135.* aliquot exemplis illud ipsum confirmat.

Fuisse

Fuiſſe tamen ſæpius absque juvamine, imò cum detrimento propinatum *Oxymel* hoc, facilè inducor, ut credam; ſi ab imperitâ Medicaſtrorum manu exhibitum fuerit; quo modo ſaluberrima quævis medicamenta multoties proſtituuntur; dum ſeſe inſtar gladij in manu furioſi habent. Cui verò illa, quam deprædicat, experientia debeatur, meritò indicare debuiſſet; aſt vereor, ne illa in cerebro Zvelferi enata fuerit.


Cæterùm non *ſolâ & unicâ illâ medicinâ promiſcuè* morbos à *Geſnero* indicatos proſterni ac debellari, unquam *Geſneri*, vel Auguſtanorum mens fuit. Sed cum judicio medico exhibita, adjunctis ſimul aliis convenientibus remediis, quorum efficacia amicabili fœdere conſpiret, non tantùm recenſitos, ſed alios quoque morbos proſternere, & debellare valebit. Ut ita *Oxymel* hoc *panaceæ* ſpecioſo titulo in tali ſenſu meritò exornare liceret; quo tamen nomine, aliquibus thraſonico nimis viſo, abſtinere *Geſnerus* maluit. *Panaceæ* autem titulum una & altera *Mantiſſæ ſpagyricæ* Zvelferi compoſitio in fronte gerit; cùm tamen univerſalia omnium morborum remedia pariter haudquaquam exiſtant.

Porrò *Oxymel* præſens *Divûm adjutricem manum* adpellare, quis prohibebit? *Sive enim dixeris, pharmaca nihil eſſe ſola per ſe ipſa, rectè dices; nihil enim ſunt, niſi utentem eis rectè fuerint adepta. Sive rurſus pharmaca, veluti Deorum manus eſſe, dixeris, etiam hoc rectè dices; juvant enim maximè, ſi is, qui eis utitur, in rationali methodo fuerit exercitatus, & cum hoc naturâ prudens. Galenus 6. de compoſ. medic. ſec. loc. cap. 3.*

Qua verò de causâ *inconcinna compoſitio & præparatio* dicatur, cùm non exprimat Zvelferus, de eâ quidquam proferre, ſupervacaneum eſſet; quare etiam concinniori ejus & efficaciori, ceu ſibi quidem pollicetur, præparationi diſcutiendæ (licet maximè poſſem) hac vice ſuperſedeo, atque huic claſſi finem impono.



RESTI-



RESTITUTA
CLASSIS TERTIA,
Pharmaca & Electuaria lenientia exponens.

CIrca FLOREM SEU PULPAM CASSIÆ *pag. 74.* CASSIAM EXTRACTAM, PULPAM PRUNORUM, & PULPAM TAMARINDORUM *pag. 75.* vix quidquam correctione dignum occurrere, in *facchari* tamen admiſtione facilè errorem committi poſſe, exiſtimat, ſi vel major, vel minor ejus quantitas addatur. Illo modo *pulpas* vires ſuas nativas non niſi in duplâ vel triplâ doſi exerere valere; hoc verò facillimè corrumpi; prout in *Pulpâ prunorum* ab Auguſtanis *libris decem pulpæ, tres libras ſacchari* deſtinari, ſtatuit. Aſt non video, quid hîc ab Auguſtanis commiſſum fuerit. In *Caſsiæ* enim *pulpâ,* quam ſine *ſaccharo* conficiunt, recentem ſemper eam educere, ubi neceſſitas poſtulat, præcipiunt.

In *Caſsiâ extractâ ſacchari* quidem pondus majus eſt pondere *pulpæ caſsiæ*; ſed cùm potiſſimùm in enematibus adhibeatur, ejus doſis aucta non admodum ingrata eſſe poteſt. Cum *ſaccharo Thomæo* hanc parare etiam licet, uti ad exemplum aliorum monet Zvelferus. Auguſtani in genere tantùm *ſaccharum* nominant. Magna tamen vis laxandi medicamento huic exin, præ *vulgari albo*, accedere haud poteſt. Quia tamen ventrem magis laxat, meritò in *Pharmacopœiâ Regiâ* omnibus Electuariis ſolventibus, pro majori eorum vi laxativâ impetrandâ, Zvelferus in uſum trahere debuiſſet.

Pulpa prunorum licet cum minori *ſacchari* quantitate conficiatur, ætatem tamen ſatis diu ferre, experientia comprobat; & providus Pharmacopœus, tantam ejus quantitatem breviori tempore non diſpenſari in uſum publicum poſſe, ſtatuens, minori eam quantitate præparare, ipſe non intermittet.

Pulpa tamarindorum ut eodem cum *Caſsiæ pulpâ* modo extrahatur, Auguſtani volunt, ſicque etiam, quoties uſus ejus exigitur, recenter extrahi debere, dubio procul innuunt; quanquam pulpa hæc per ſe acida tam promtè haud corrumpi queat.

In

In *DIACASSIAM CUM MANNA INCERTI AUTORIS pag. 76.* nec non alia Electuaria minùs commodè Conſervas recipi, objicit Zvelferus; cùm in propriâ ſuâ conſiſtentiâ raro admodum, in Germaniâ imprimis, ob magnam & nauſeoſam doſin, exhibeantur; unde potius in liquoribus, pro potione conficiendâ, aut pro enematibus, diſſolvantur; verùm nec potionibus, nec clyſteribus Conſervas commodè inſervire, putat; quia flores adeo ſubtiliter contundi haud poſſint, ut potiunculis miſti, flocculos non præbeant, aut in clyſteribus cannulæ orificium non obſtruant. Paucis circa hæc me expediam. Nonnulli periti Pharmacopœi Conſervas Electuariis addendas, prius per ſetaceum transmittere ſolent, & ita flocculos florum ſeparant. Alij Electuaria talia potionibus deſtinata, poſt eorum cum liquore commiſtionem pariter per ſetaceum trajiciunt; id quod etiam in enematibus debitè obſervant.

De *ſaccharo penidio*, quod juxta cum *cantho* huic compoſitioni adhibetur, in *Sirupo capillorum Veneris* actum fuit.

Cur *Sirupus* & *Conſerva florum violarum*, quibus nulla purgandi vis inſit, etiam addantur, Zvelferus capere non poteſt; quorum in locum *Sirupum violarum ſolutivum* rectiùs ſubſtitui, putat. Conceditur Zvelfero, nec *conſervæ*, nec *Sirupo violarum* vim purgandi propriè dictam ineſſe; aſt leniendi virtus denegari ipſis nequit; hîc vero non vis καθαρτική, ſed ἐκκοπρωτική deſideratur. Præterea non omnia, quæ medicamentum aliquod lenitivum ingrediuntur, ſolvendi facultate pollere debent, cùm & dirigentia, adjuvantia &c. locum inveniant; & ſi illa, quæ purgandi virtute deſtituuntur, ex compoſitionibus *Pharmacopœiæ Regiæ claſſis tertiæ* excludere vellem, prout in Auguſtanorum compoſitionibus hîc tentat Zvelferus, prolixâ reformatione opus foret.

Mannam ad conſiſtentiam cocto Electuario addere, præcipit. Non quidem repugno, ut *manna* ultimò addatur, ubi præſens confectio conſiſtentiam ſuam ferè obtinuit; aſt eam ad *conſiſtentiam cocto Electuario* demum adjungere, non licet, quia ſic debita Electuarij conſiſtentia non impetratur, nec *manna* tam facilè ſolvitur, & reliquis intimè admiſcetur.

ELECTUARIUM CATHOLICUM NICOLAI PRÆPOSITI *pag. 77.* illam parvi momenti de *ſacchari diverſis generibus*, huic compoſitioni additis, animadverſionem repetitam ſaltem continet.

In ELECTUARIO LENITIVO FLORENZOLÆ *pag. eàdem* duriores ſpecies non ſimul cum reliquis ſpeciebus & fructibus coquendas eſſe, monet; cùm fructus hi viſcidi ſint, & illâ ſuâ viſcoſitate aquam adfuſam *illicò* inquinent, ſicque ad extractionem reliquarum ſpecierum duriorum, uti

foliorum

foliorum Senæ, prorsus ineptam reddant. Concedo equidem, fructus illos pulposos esse, (an viscosi sint, hîc non disquiram) ast aquam adfusam *illicò* ab iis inquinari, ita ut ad duriorum specierum extractionem inepta reddatur, pernego. Quæ res nec coquis & viliori plebi ignota est; dum fructibus ejusmodi, v. g. *passulis atque prunis* aquam adfusam non solùm non illicò, sed nec per aliquot horas ab iis plenè imbui, sciunt; nisi continuata simul coctio accedat, quæ tandem pulpas eorum aquæ imprimere valet. Neque fructus ejusmodi prorsus ineptam aquam reddere ad extrahendas aliarum specierum virtutes, multiplex usus monstrat, dum *folia senæ cum prunis damascenis* decocta, alvum blandè solvere, vel mulierculæ testantur. Præterea fructus isti pulposi conjunctim unà cum speciebus durioribus coctioni comittuntur, sic ut aqua eas omnes quoq; conjunctim adgrediatur, nec prius fructibus extrahendis incumbat, antequam reliquas species pariter adgredi nitatur. Accedit quòd in aquæ sufficiente quantitate species omnes coqui debere, Augustani præcipiunt, scilicet quæ & fructibus, & cæteris speciebus extrahendis sufficiat.

Per me tamen quilibet, cui laborem multiplicare volupe est, separatim fructus, & itidem separatim reliqua ingredientia decoquat.

Quod de *Conservâ violarum* profert, cui nimirum *Sirupum florum violarum solutivum* substituendum esse, tum in hoc, tum sequenti ELECTUARIO LENITIVO DE MANNA NICOLAI ALEXANDRINI *pag. 78.* dictitat, in *præcedente Diacassiâ cum mannâ incerti Autoris*, examini subjectum fuit.

In ELECTUARIO DIAPRUNIS SIMPLICI *pag. eâd.* nihil notatu dignum occurrit.

DIAPRUNIS LENITIVUM, SEU DIADAMASCENUM NICOLAI *pag. 79.* nullam aliam animadversionem experitur, quàm quòd Zvelferus pulverum addendorum diminutionem seriò exoptet, dum illos efficere putat, ut Electuarium hoc ventri potius replendo & gravando inserviat, quàm ut illum à vitiosâ humorum saburrâ sublevare possit. Sed nugas iterum profert; cùm nec *drachma una* pulverum *unciam unam* Electuarij ingrediatur; quæ *drachma* quòd ventrem replere valeat, quis sanæ mentis adfirmare audeat? Nec Augustanos pulveres illos, quasi omnes educere humores peccantes possent, addidisse, quisquam, qui methodum componendi medicamenta intelligit, propugnabit.

HIERAM PICRAM SIMPLICEM GALENI *pag. 80.* ob admistionem *aloës*, (nec enim generalem illam de omnibus Augustanorum compositionibus cavillationem & falsissimum adsertum attingere, placet) amarum obtinere saporem, & si quid præstare debeat, in satis magnâ dosi exhibendam.

hibendam esse, scribit. *Hieram hancce* amaro sapore pollere, Augustani, & omnis Antiquitas probè novit; unde etiam ἱερὴ πικρὴ *sacra amara medicina* adpellatur, de quo videatur *Rolfincius de purgantib. vegetab. sect. 1. art. 2. cap. 37.*

Amaritudo tamen illa tanti momenti non esse videtur, ut Electuarium hoc in eâ formâ exhiberi nequeat.

Dulcia non meruit, qui non gustavit amara.

Non est dignus aloë, scribit *Mindererus aloëdarij cap. 10. qui aloën non novit, vel qui ob amarorem ejus citiorem mortis amaritudinem experiri cogitat; securior namque est aloës amaritudo in ore, quàm necis præcipitium non minus acerbum in ventre. Nec studet sanitati, qui amat dulcia; videturq; natura sub amaritudine multa proroganda valetudinis remedia abscondisse ac collocasse, ne quilibet ad stultam longævitatem adspirans ea lamberet.*

Nesciunt, scribit *Helmontius, quòd multis gustus aloës gratior sit, potu mellis.* Vid. *Pharmacopol. ac dispensat. modern. §. 30.*

Qui autem tantâ amaritudinis nauseâ tenentur, illis prudens Medicus alia, ejus loco, medicamenta propinare sciet. Nec enim horum causâ planè ex officinis exulare debet. Ut taceam, quòd ægri in enematibus, quibus nostro tempore maximâ ex parte dicatur, ipsius saporem amarum haud percipiant.

Elixir proprietatis Paracelsi insigni amarore præditum, nihilominus frequentissimè exhibetur; quod tamen ob illum saporem, unà cùm plurimis aliis medicamentis saluberrimis, pariter è foro medico exulare deberet.

Nec tam magnâ dosi, qualem sibi Zvelferus imaginatur, in Electuarij hujus exhibitione opus est, quippe neque ad integras *drachmas duas* una dosis adscendit; si *aloës*, quæ medicamenti hujus lenitivi (sic etiam à *Galeno 7. meth. med. cap. 11.* inter illa, quæ ultra primam regionem non adscendunt, numeratur) basis est, *scrupulum unum* pro unâ illâ dosi constituamus. Et Zvelferus Electuaria lenientia *Pharmacop. Reg. cl. 3.* non usque adeo grata, ad *unciam dimidiam*, imò *integram* usque propinat.

Quæ circa *ELECTUARIUM HIERÆ CUM AGARICO pag. eàdem* profert, præterquam quòd ad Augustanos directè non pertineant, & in *præced. Hieræ* præparatione ab ipsis ex parte tradita fuerint, partim minutula & nimis curiosè proposita, partim cuilibet Pharmacopœo notissima sunt.

ELECTUARII LENITIVI EX TAMARINDIS *pag. 81.* mirabilem componendi modum vel indignanti risum extorquere, ridiculè ludit Zvelferus; cùm I. *eo strictè observato, nec Electuarium, nec Sirupus, sed crassa quædam potio* efficiatur; quia à *mensurâ illâ sive libris quatuor vix unciæ aliquot* exhalent. Verùm illud: *Misce,* & : *F. Electuarium,* includit ac mon-

ſtrat ulteriorem coctionem, quam pro juſtâ Electuarij conſiſtentiâ adquirendâ peritus Pharmacopœus *ſ. a.* & *q. ſ.* abſolvit.

In *Appendice animadverſionum pag. 12.* Zvelferus errorem ſuum, circa hoc Electuarium commiſſum, excuſare nititur; cùm *menſuram Auguſtanam libras quatuor ponderis medicinalis*, deceptus *menſurâ Viennenſium*, continere, exiſtimaverit. Satis craſſus hic fuit error, in quem, ſi humanè & absque continuo illo protervè inſultandi ſtimulo, Auguſtanorum compoſitiones penſitare voluiſſet, minimè incidiſſet; cùm nec lixas, & obvium quemque è vulgo viatorem lateat, menſuras, ratione locorum, utplurimum inter ſe differre. Prius itaque inquirere in quantitatem *Menſuræ Auguſtanæ*, debuiſſet Zvelferus, antequam eam *librarum quatuor* audacter pronuntiaſſet; præcipuè cùm Auguſtani claris verbis illam indicent. Sic enim *Prolegom. cap. 9.* (quod *Caput* etiam à Zvelfero adprobatum fuit) ſcribunt: *libra civilis, ſeu publica tantundem pendit, quantum dimidia vini menſura Auguſtana, quæ capit uncias ſedecim, nam integra menſura noſtra bilibralis eſt, & pendit uncias triginta duas.* In *Sirupo de menthâ maj. Meſ. claſſ. 1. Vini antiqui menſuras duas noſtrates ſeu libras quatuor civiles*, ponunt. *Cl. 8. in Hydromelle purgante* hæc habent: ℞. *hydromellis menſuram unam ſeu uncias triginta duas*; nec non *Cl. 15. in Aquâ hirundinum uſitatâ: ℞. aq. lil. couvall. fl. ſambuc. pæon. tiliæ an. uncias triginta duas, ſeu menſuram civilem noſtratem.*

Aſt huic errori ſuo patrocinium parat his verbis: *aliàs quod ad rem attinet ipſam, uti nonnulli ſibi imaginantur, erratum non eſt tantoperè, quin potiùs ſic errando majores virtutes Electuario conciliatæ ſunt. Nam duæ libræ cum unciis ſeptem vini vix ac ne vix quidem ſufficient pro extractione virium trium unciarum foliorum ſenæ.* Quò magis ab errore ſe vendicare tentat, eò in plures ſe præcipitat; quorum in adductis verbis duo cumprimis ſe offerunt. Unus, dum *Auguſtanorum menſuram unam, librarum duarum cum unciis ſeptem* conſtituit; cùm *libras duas P. M. & uncias octo* eam continere, è præcitatis locis pateat. Alter verò error eſt; ubi *uncias tres foliorum Senæ* à *vini menſurâ unâ Auguſtanâ*, & conſequenter *unciam unam foliorum ſenæ ab unciis decem, drachmis quinque, ſcrupulo uno vini* ſufficienter extrahi, negat; & tamen in *Sirupi de polypodio animadverſ. foliorum ſenæ uncias ſex* à *libris quinque ac dimidiâ aquæ deſtillatæ*, & conſequenter *unciam unam* ab *unciis undecim, viribus omnibus penitùs exhauriri*, docuit. Conſul. *Examen Sirupi de rhabarbaro ſolutivi.*

II. Tantum etiam riſum Zvelfero extorſerunt hæc Auguſtanorum verba: ℞. *pulpæ tamarindorum exoſſatorum, paſſularum enucleatarum &c. Pulpas* enim illas neceſſariò *exoſſatas* & *enucleatas* eſſe debere, contendit; cùm aliàs non *pulpæ* eſſent dictorum fructuum, ſed *fructus ipſi, tamarindi* ſcilicet &

paſſulæ.

passula. Verùm Augustanos *pulpam tamarindorum exossatam*, & *pulpam passularum enucleatam* recipere, falsò arguit Zvelferus, dum *pulpam tamarindorum exossatorum*, ac *passularum enucleatarum* præscribunt.

Cæterùm *pulpam* è *tamarindis exossatis passulisq́ enucleatis*, vel è *tamarindis non exossatis* atque *passulis non enucleatis* confici posse, nemo dubitabit.

Quamvis & *pulpa tamarindorum non exossata*, & *passularum non enucleata* dari posset, si nimirum fructus illi fortè cum ossibus & nucleis contunderentur, antequam *pulpa* exin educeretur, quo ipso virtus aliqua & substantia ossium & nucleorum *pulpæ* communicaretur; & tamen medicamentum ita paratum pulpa, non ipsi fructus, *tamarindi* aut *passulæ*, adpellandum esset.

Sic tandem suavis Zvelferi risus in nænias desinit.

TRYPHERA PERSICA MESUES, AUT JOHANNIS DAMASCENI pag. eàdem plurimos crassos & absurdos errores continere Zvelfero dicitur, quibus tamen, cùm eos non patefaciat, emendandis aut defendendis operam meam locare haud possum. Quantùm tamen ex mutatâ ab ipso præparatione venari licet, *folliculis senæ* cumprimis & *myrobalanis* crassas suas animadversiones adglutinat; hos ineptè *oleo amygdalarum dulcium* fricari, illos omittendos & *folia senæ* substituenda esse, censet; quo ipso *folliculis senæ* vim laxativam dubiam reddere velle videtur.

Nec me latet, haud convenire inter se autores, utrùm *folliculi*, an *folia senæ* in purgando efficaciora sint; aliis pro his, aliis pro illis decertantibus; quorum arbitrum *Petr. Andr. Matthiolus lib. 3. in Diosc. cap. 70.* agit, *folliculos* duorum generum esse, statuens, unum in ipsâ plantâ arefactum, nigrum & evanidum semen continens, nullam ferè purgandi vim habens; alterum ante maturitatem collectum; *cui sanè*, ceu inquit, *ut jam millies periculum fecimus, non minor dejectoria vis inest, quàm foliis*. Statuat in hoc negotio, quod quisque voluerit; sufficit, *folliculos senæ*, semine ponderoso & vegeto præditos, purgandi vi pollere, ut ita superstitiosè illi ex omnibus compositionibus indiscriminatim planè excludendi haud sint.

Utrisque, *folliculis* nempe & *foliis*, si requisitæ bonitatis notas præ se ferant, sua laus & locus in officinis debetur; sin exoleta illa simplicia fuerint, non tantùm *folliculos*, sed & *folia* eliminare, convenit.

De *myrobalanis*, *oleo amygdalarum dulcium* fricandis, in *Sirupi ros. solut. comp. helleb. Mont. examine* actum fuit.

PASSULAS LAXATIVAS *pag. 83.* quas *Baldass. Timæus à* Guldenklee *lib. 3. epistol. medicar. 18.* comendat, comodè ad modum præscriptum parari posse, concedit; meliorem tamen præparationem substituere laborat; quam, cùm illa Augustanorum suo in valore relinquatur, pariter intactam transeo.



RESTITUTA CLASSIS QUARTA, De Electuariis solutivis mollibus agens.

OMissâ BENEDICTÆ SOLUTIVÆ NICOLAI *pag. 84.* animadversione, quæ nil singulare continet, ad

DIABALZEMER, SEU ELECTUARIUM SENATUM RENODÆI pag. eâdem accedo; in quo duorum errorum *Renodæum* accusat: 1. Quòd decoctum plurium specierum virtutibus jam satis superque imprægnatum, ac iisdem ferè incrassatum, adeoque ulteriori extractioni ineptum, speciebus purgantibus readfundere, easque hoc ipso extrahere, malesuadus præcipiat. Verum quidem est, decoctum plurium specierum virtutibus esse imbutum; ast satis superque imprægnatum, imò ferè incrassatum esse, ut extractioni ulteriori ineptum sit, probatione indiget.

Si quis verò tam notabile rerum catharticarum dispendium ex infusione illâ vereatur, is auctâ in primâ decoctione aquæ quantitate, vel institutâ harum specierum cum novâ aquâ decoctione, facilè huic malo occurrere potest; quod artis suæ peritus Pharmacopœus ipse ad unguem tenet.

2. Errorem locat in additâ *expressione unciæ dimidiæ rhabarbari, in aquâ chalybeatâ infusi*; cùm potius *rhabarbarum* ipsum pulverisatum, vel *Extractum ejus*, cum *aquâ chalybeatâ* factum, addi debere, statuat. Si enim infusio illa *unciæ dimidiæ rhabarbari*, in *aquæ chalybeatæ unciis aliquot* facta, Sirupo admisceatur, liquidum nimis evadere Sirupum, putat, ulteriori coctione pro debitâ consistentiâ Electuarij, additis unà reliquis speciebus siccis, impetrandâ, summopere indigentem; si verò infusio in paucâ *aquæ chalybeatæ* quantitate facta fuerit, *rhabarbari* vires integrè extractas haud esse, existimat. Ponamus autem, *libram dimidiam aquæ chalybeatæ* pro infusione dictæ *dimidiæ unciæ rhabarbari* destinari; illa utique pro debitâ extractione absolvendâ suffi-

sufficiet, si ipsum Zvelferum sequamur; cujus aliquot exempla superiùs jam producta fuerunt; v. g. in *Sirupo de polypodio, foliorum senæ unciis sex, liquoris libras quinque & dimidiam*, ac ita *unciæ dimidiæ foliorum senæ, uncias quinq & dimidiam liquoris* tantùm destinavit, à quibus *folia senæ* viribus omnibus exhauriri, adserit; sic in *Sirupo de rhabarbaro solutivo*, pro extrahendâ totâ vi *specierum*, quæ *libram dimidiam* circiter constituunt, *liquoris* (qui est *librarum trium*) quantitatem *paulùm* augendam esse, monet; quam itaque si non *paulùm* augeamus, sed duplicemus, sic ut sint *liquoris libræ sex*; *specierum uncia dimidia, liquoris libram dimidiam*, veluti in præsenti hac *rhabarbari* extractione, recipiet, & sic totaliter extrahetur.

Ponamus etiam, nihil ab hac *dimidiâ aquæ librâ* cum *rhabarbaro* remanere, sed eam totam exprimi; illa tamen non solùm Electuarij debitam formam in nimis liquidam haud mutabit, sed eandem ipsi potius conciliabit; cùm *saccharo supra consistentiam Sirupi*, sive in formam Electuarij mollis cocto, sicque ulteriori specierum siccarum additione vix indigo, *unciæ sex specierum siccarum* addantur, quæ ideo liquorem utique requirunt, à quo humectentur; quam intentionem prædicta *rhabarbari* infusio explet; utpote quæ nimis liquidam non impertietur ipsis consistentiam; præcipuè si cum Zvelfero *unciam unam specierum* ab *unciis tribus ac dimidiâ liquoris* vix humectari, dicere velimus, quo de vid. *Animadvers. Sir. diasereos Andernaci.*

Solent etiam talia medicamenta tractu temporis spissiora evadere, unde liquidiori in formâ eadem parare, nil prohibet.

Quòd si ab illâ *rhabarbari* infusione nimis liquidum redderetur Electuarium, aliqualem coctionem instituere, minimè prohibent Augustani; quin potius illo: *Fiat Electuarium*, præcipiunt.

Quare si quis *rhabarbarum* pulverisatum, vel in spissam formam extractione redactum, *saccharo* supra Sirupi consistentiam cocto, additis unà reliquis speciebus siccis, juxta Zvelferi monitum immiscere velit, ille nunquam Electuarij mollis consistentiam adquiret.

Atque ex his liquet Augustanorum *genuina hujus Electuarij præparatio*, cujus tamen usus jam eviluit.

In *DIACARTHAMO ARNOLDI DE VILLA NOVA pag. 85.* nihil desiderat, præter unicam Pharmacopœi diligentiam, ut *cydoniorum pulpam* &c. ritè dissolvat. Quod sedulus Pharmacopœus ipse, unà cum aliis pro debitâ formâ necessariis, observat.

Ex ELECTUARIO CARYOCOSTINO *pag. 86. vinum* rejicit, cùm illud in coctione iterum exhalare debeat. Verùm quidem est, exhalare debere ejus partem aliquam, sed non omnem; major enim ejus pars remanet.

ELE-

ELECTUARIUM DE CITRO SOLUTIVUM, & *ELECTUARIUM EPISCOPI, SEU ELESCOPH MESUES*, *pag. eàdem*, tradito ab Auguſtanis modo confici poſſe, concedit.

CONFECTIONI HAMECH MAIORI MESUES *pag.* *87.* nulla animadverſio directè opponitur, ſed ejus præparationem ad modum *Tryphera Perſicæ* à ſe edoctum, vel alterum, quem ſubjungit, fieri poſſe, Zvelferus innuit. Simili ratione varij excogitari poſſent parandi modi, qui tamen eodem recidant; prout crebra ejus præparatio Pharmacopœo ingenioſo novam ſubinde ἐγχείρησιν ſubminiſtrat.

De notâ, quam in fine addit; dum decoctorum, antequam *ſaccharo* permiſceantur, cum *albumine ovorum* clarificationem commendat, *quò minùs hac confectio adeò violenter agat, nec alvi tormina excitet, quod alioquin colocynthidi, ceu violentiſsimo cathartico, peculiare eſt*, quilibet quod velit, ſentiat; dummodo Auguſtanos in *Hierâ Logadij*, & *Pilulis diacolocynthidos* Pharmacopœos admonere, recordetur; ut, quotiescunque vocabulum *colocynthidis* in compoſitionibus occurrit, *trochiſcos alhandal* ſemper ſumant.

Sæpe etiam medicamenta cathartica violenter agentia & alvi tormina excitantia, ſi in minori doſi, & omnibus circumſtantiis ritè perpenſis, exhibeantur, ab illo incommodo immunia fiunt.

Cæterùm decoctionis tertiæ, quæ cum aliis ſpeciebus, absque *colocynthide* fit, clarificatio, ob metum, ne alvi tormina ob *colocynthidem* excitet, fruſtrà præcipitur.

Si autem uſus *colocynthidis* infuſæ atque decoctæ, absque ſubſequente clarificatione, tam periculoſus eſt, mirum videri nemini non poteſt; quòd ipſe Zvelferus *Pharmacop. Reg. pag. 75.* in *Extracti colocynthidis* præparatione, *pulpam ejus* in aquâ ſimplici coquat, & decoctum ſolâ colaturâ, nullâ de clarificatione cum *albumine ovi* mentione factâ, purificet.

INFUSUM HELLEBORI *pag. 88.* duas patitur animadverſiones; ob *radicum hellebori nigri* decorticationem, de qua in *cl. 20.* me dicturum, ſupra innui; alteram ratione doſeos ipſius Infuſi, quam Auguſtani *uncias tres* eſſe, determinant; Zvelferus autem eam adſignari non poſſe putat, niſi ſimul liquoris, cum quo infuſio fit, quantitas declaretur. Verùm ſi quis æquâ rationis lance Infuſum hoc perpendat, eum doſis liquoris latere nequit. *Radicum* enim *hellebori* doſis in Infuſo (prout *Schröderus* à Zvelfero commendatus, unà cum aliis Autoribus ſtatuit) à ℈j. ad ʒß. usque eſſe ſolet; hîc autem ab Auguſtanis media quaſi doſis, nimirùm ℈ij. *hellebori nigri præparati*, præſcribuntur. Ergo Infuſum hoc non plures, quam unicam doſin conti-

constituere poterit, quam dum *uncias tres* continere, innuunt, eo ipso liquoris *uncias tres* & paulò plus, quantùm scilicet post separatum iterum liquorem remanet, recipiendas esse, determinant.

DECOCTI HELLEBORI *pag. eàd.* loco, præcedens Infusum in usum trahere, vel species cum determinato quodam liquore solùm infundere, & absque coctione (ne aromatum fragrantia & subtiliores partes in coctione exhalent) digerere &c. præstare putat Zvelferus. Non solùm hoc, sed etiam diversis aliis modis decocti hujus species tractari possunt, ut in liquorem virtutem suam deponant. Ast neque adsignatus Augustanorum modus propterea repudiandus est. Licet in eo aromatum fragrantiam deperdi, sibi imaginetur Zvelferus, virtuti tamen ejus catharticæ exin nihil decedit.

Nec etiam tanta in decoctione illâ subtilium partium jactura timeri debet, cùm unâ vel alterâ ebullitione tota ista decoctio absolvatur; & si longior coctio instituere tur, aromata circa finem demum ejus injiciantur. Quæ tamen contra hoc adsertum, ratione aromatum, iterum objici possent, *Vinum Hippocraticum laxativum*, & *Aqua laxativa Pharmacop. Reg. pag. 41.* diluent.

Potest quoque ad evitandam subtiliorum partium exhalationem, in hoc nonnullisque aliis medicamentis coctio in vase cum alembico institui, ut id, quod prodit, decocto parato denuo conjungatur; prout talis modus, eundem in finem institutus, *Angelo Sala lib. 2. de erronb. Chim. & Galen.* aliisque notus jam fuit.

Sequentes HIERÆ, scilicet COMPOSITA NICOLAI, *LOGADII NICOLAI MYREPSI pag. 89.* & PACHII *pag. 90.* conjunctim censuræ à Zvelfero subjiciuntur.

I. Plures hisce Hieris inesse *specias egregias*, quas gutturi inferiori, (f. h.) cui ignobiliori usui *prima* & *secunda* potissimùm à plurimis destinentur, injicere, *nefas & absonum* putat. Ast absurda hæc sententia multis scatet difficultatibus.

Nam 1. non enematum tantùm gratiâ dictæ Hieræ parantur, sed etiam ut per os adsumantur; & licet plurimi illum priorem modum in usu solùm habeant, eorum tamen in gratiam, totam compositionem mutare, nulla cogit necessitas.

2. Quænam sint illæ *species egregiæ*, licet non exprimat, aromaticas tamen subintelligi, existimo; quæ cur in clysterum compositionem recipi nequeant, causam nullam video.

3. Si

3. Si *nefas est & absonum*, *egregias* tales *species* gutturi inferiori injicere; nescio, qua ratione Zvelferus excusari possit, dum *Sirupum mercurialem secundum Pharmacop. Reg. pag. 38.* precioso *caryophyllorum elæosacchar o, odoris & saporis gratiâ, nobilitatum, clysteribus haud ineptè admisceri*, tradit, quasi verò pars illa corporis, clysteribus excipiendis dicata, *odoris & saporis gratiam* dijudicare valeret. Sic quoque Lector Benevolus Zvelferi *Cassiam extractam pro clysteribus Pharmacop. Reg. pag. 45. Electuarium lenitivum pro iisdem pag. 46. Species decocti carminativi pag. 86.* &c. consideret; quæ omnia *egregiis speciebus* aromaticis *nobilitari*, observabit.

4. Non adeo ignobilis est enematum usus, quorum utpote virtus, in multis morbis maximum levamen promittens, usum eorum magnopere commendat & nobilitat. Sed dubio procul ideo usum eorum ignobilem vocat, quoniam tali parti adplicantur, cujus nomen exprimere, quòd honestas vetet, homines opinantur; quanquam illa pars officij dignitate, quam in corpore humano à *necessitate* optimè venamur, plurimis aliis minimè cedat.

II. Plures species additas fuisse, quæ longè meliùs omitterentur, in *Hierâ* cumprimis *Logadij*, quam etiam ob violentam, mordacem & exurentem qualitatem, ad interiores usus ferè ineptam ac inhabilem reddant. Quænam sint illæ species, cùm non exprimat Zvelferus, de iis etiam quid proferre, nec volo, nec possum; præcipuè quia illa *Logadij hiera* insuper in usu esse, jam desiit.

III. *Primæ Hieræ*, videlicet *Nicolai*, species, demto *melle*, commodiùs pilulis ex iis conficiendis, quàm Electuario inservire. Posse ex iis pilulas confici, equidem res est notissima, prout earum descriptionem Augustani in *Classe de pilulis* exhibent. Attamen propterea nil obstat, quò minùs etiam Electuarium indè commodè conficiatur.

Quem autem in finem pilulas exin parare opus est, si Hiera hæc, uti supra monuit Zvelferus, enematibus potissimùm destinatur? Nunquam enim pilularum formam pro clysteribus expetitam fuisse, memini; nisi fortè ejusmodi parvarum pilarum explosione, inimicos corpori humores fugari posse, persuasum sibi quis habeat.

Nec ex speciebus illis, demto *melle*, quisquam pilularem formam efformabit, nisi vel *mellis* ipsius partem, vel alium convenientem liquorem in auxilium vocaverit.

IV. Gummata aliasque res solubiles in hujusmodi Electuariis prius dissolvenda, sicque soluta reliquis speciebus miscenda esse, præcipit. Quod equi-

equidem, cui volupe id eſt, imitetur; nihil tamen medicamento decedit; ſi etiam non ſoluta, ſed pulveriſata reliquis ingredientibus exactè, & ſ. a. permiſceantur.

In *ELECTUARIO INDO MAIORI MESUES pag. 91.* in ſpecierum cum *oleo amygdalarum dulcium* fricationem præcipuè invehitur; de qua tamen ſupra jam mentio facta, & inſuper Electuarium hoc medicamentorum inuſitatorum numero ab Auguſtanis inſertum fuit.

Præ DIAPHOENICO MESUES *pag. 91.* DIAPHOENICUM FERNELII *pag. 92.* magis arridet Zvelfero, eò quòd in hoc *dactyli* absque *aceto* in pulpam redigantur; ipſe autem, cur *Meſue* id fecerit, cauſam nullam ſingularem videat. Sed mihi non diſplicet *Meſues dactylorum* cum *aceto* maceratio, eò quòd non videam, ob quam ſingularem cauſam cum *aceto* macerari haud debeant.

Niſi fortè dubium hoc è *Guil. Rondeletij pharmacopol. officinâ* hauſerit Zvelferus, ubi nimirum *Rondeletius acetum* à *dactylorum* maceratione, ob morbum colicum; cui etiam hoc Electuarium dicatur, excludit; *acetum* enim conſtringere, & morſu ſuo inteſtina dolentia lædere, exiſtimat. Aſt cùm colica non ab unâ causâ ſemper oriatur, ſed præcipuè humori craſſo & viſcido, qualis pituita vitrea Galenicorum eſt, ortum debeat, idcirco eò majori virtute *Diaphœnicon* hocce ab aceto imbuetur, cùm facultate incidente, in tali colicæ ſpecie maximè proficuâ, *acetum* gaudeat, imò nonnunquam plus præſtet, quàm alia medicamenta, carminantia & purgantia, quibus ſæpe ſæpius ejusmodi dolor, ob lentorem & viſciditatem plicis inteſtini coli validè impactorum humorum, cedere detrectat.

Sic quoque *Victor Trincavellius lib. 1. de compoſ. medic. cap. 16. palmulis* cum *aceto* in hoc medicamento maceratis, vim craſſiores humores attenuandi adſcribit. Sed quilibet hîc ſuo abundet ſenſu.

Deinde etiam Zvelfero diſplicet; quòd *fructus*, nempe *dactyli & amygdalæ*, nec non cætera precioſa ingredientia his Electuariis intermiſceantur; cùm vim purgantem directè non infringere, vel corrigere poſſint; ſed doſin ſaltem & precium augeant; ingrati etiam ſaporis, & odoris medicamentum efficiant. Quod *fructus* attinet, quem in finem addantur, equidem certi quid dicere nequeo; interea non absque ſingulari intentione factum hoc fuiſſe, credibile eſt.

Quòd verò medicamentum indè ingratum ſaporem odoremque contrahat, nemo, qui *dactylos & amygdalas dulces* unquam guſtavit aut odoratus fuit, dixerit,

P Nec

Nec ſequitur: *fructus* hi vim purgantem directè non infringunt vel corrigunt. Ergo medicamento ſolventi malè intermiſcentur. Aliàs multa Zvelferi medicamentorum talium ingredientia omittenda forent; uti *pruna Hungarica*, quæ in purgando corpore valdè inefficacia eſſe, & in largâ quantitate ſumta vix ſemel alvum movere, *pag. 46. Pharmac. Reg.* ſcribit; *pag. 51. Electuario magiſtrali purganti* fruſtrà *ſuccus rubi idæi* adderetur; *pag. 54.* malè *Rob ribium* & *ceraſorum* cum purgantibus miſcerentur; imò nulli purganti *ſaccharum*, & quidquid eſt ſpecierum alterantium, dejectoriâ facultate deſtitutarum, addere liceret; quia nullum eorum vim purgantem directè infringit vel corrigit.

Nec admodum diſſimile judicium eſto de *precioſis ingredientibus*, ſub quorum nomine aromata iterum indicari, exiſtimo; quæ ſive directè, ſive indirectè vim purgantium *corrigere* (ut *infringant* eam, nemo Auguſtanorum deſiderat) dicantur, à compoſitione catharticorum medicamentorum excludi non merentur.

Licet quoque doſin aliquo modo, preciumque augeant, tanti tamen momenti objectio hæc minimè eſt; ut ideo ſalutaris eorum uſus exeſſe debeat.

An verò & hæc ingrati ſaporis odoriſque medicamentum efficiant, reipsà cuilibet patet. Certè aromaticum & fragrantem talium odorem, ingratum nemo emunctæ naris indiſcriminatim vocabit; ſapor autem ingratus vix alius, niſi moderatè acris & vellicans ex aromatibus ſperari debet; quem tamen addita ſufficiens *mellis* quantitas demulcet.

Sit autem, quòd precioſa ingredientia catharticorum vim directè non infringant, vel corrigant; ſed doſin potius eorum preciumque augeant, ſaporem inſuper & odorem ingratum ipſis concilient; tali modo nec maxima *Pharmacopœiæ Regiæ* medicamentorum purgantium pars ab eodem incommodo libera erit.

De *Saccharo penidio examen animadverſionum Sirupi de capillis Veneris* repetatur.

DIAPRUNIS SOLUTIVUM NICOLAI pag. 92. intactum relinquitur.

ELECTUARIUM DE PSYLLIO MONTAGNANÆ *pag. eâd. ob conglomeratam & malè conſarcinatam ingredientium farraginem delicatum Electuarium* ironicè vocat. Sed nec *ingratum* eſſe *ferculum*, quiſquam, qui diligenter illud præparaverit guſtaveritque, dicet. Et libenter ſcirem, quam ob cauſam adeo ingratum evadat, ut tam inhumanâ animadverſione dignum judicari poſſet.

Ob

Ob *mucilaginem* quidem *psyllij* vituperium illud apud Zvelferum præcipuè incurrere videtur; & quia *embamma viscidum & mucilaginosum* esse, sibi imaginatur. Verùm mucilago ista ex *unciis tribus seminum psyllij* extracta non unita manet, sed cum *sacchari libris quatuor*, *pulparum librâ unâ*, *specierum librâ unâ*, *drachmis septem*, & *decocti* non parvâ quantitate disgregatur, atque per minima miscetur; sic ut parva ipsius quantitas, respectu reliquarum *librarum septem* &c. vix percipiatur; ut taceam, quòd ingratum, viscidum, & mucilaginosum medicamentum non efficiant, præcipuè si debita liquoris proportio relinquatur, nec plus justò ille decoquatur.

Omnes autem Medici sciunt, dari nonnunquam ægrotos, qui à medicamentis (non tantùm à similibus Electuariis) omnibus tantopere abhorreant, ut emori malint, quàm ullâ medicinâ, sive insulsâ, sive salsâ, odorâ, vel inodorâ, liquidâ, siccâ, crassâ &c. uti; quæ tamen culpa non Medico, sed ægroto imputanda erit.

Ut jam non dicam, quòd nec centesimum medicamentum illud *Asclepiadis* (non *Hippocratis*) de curatione *citò, tutò & jucundè* instituendâ adsequatur, absonumque planè foret, illud encomion medicamentis Zvelferi tribuere, utpote quod plurimis eorum minimè competit. Nec enim omne, quod dulce & suaveolens est, jucundum simpliciter dici debet.

Notatu autem digna est de his curationis conditionibus *Celsi* sententia, quam *lib. 3. cap. 4.* habet: *Asclepiades officium Medici esse dicit, ut tutò, ut celeriter, ut jucundè curet. Id notum est. Sed ferè periculosa esse nimiùm & festinatio & voluptas solet.*

Quam verò meliorem Electuarij hujus præparationem Zvelferus meditatur, parùm vel nihil ab Augustanorum modo eam discrepare, quilibet facilè observabit.

Cæterùm si Electuarium hoc ob ingratam aliquam qualitatem tam rigidam censuram meretur; quid cum Regiis illis medicamentis, odore abominabili præditis, *aquâ nephriticâ Pharmac. Reg. pag. 204.* & *Elixir alliato antipestilentiali pag. 208.* fiet? *Allium* enim propter fœtorem *ad haras & Judæos ablegandum remedium* aliquibus censetur. Et quamvis in peste singulari virtute excellere, nonnullis dicatur, insuetis tamen nocere, *Cl. Deodatus panth. hygiast. lib. 1. cap. 26.* tradit; imò ejus usum in peste fugiendum, *Hieronym. Mercurialis cap. 22. de pestilentiâ*, monet. Si quid verò præstat, rusticis potius & infimâ plebe, non Regibus & Magnatibus (quibus *pag. 210. Apolog. Tacken.* Zvelferus, & *pag. 19. Apolog. Schmuzian. Müllerus Pharmacopœiam Regiam* dicatam esse, innuunt; quanquam vicissim alibi contradictiones non leves observentur, de quibus tamen hîc agere, supersedeo)

 dignum

dignum medicamentum dici debet; ut adeo *Galenus 12. meth. med. cap. ult.* illud *theriacæ rusticorum* nomine benè exornaverit. *Virgilio* rusticorum cibus est, dum *2. eclogâ* canit:

rapido fessis messoribus æstu
allia, serpillumq́ herbas contundit olentes.

Horatius lib. epodon 3. allium nimiopere detestatur, & *Galenus lib. 6. Hippoc. de morb. vulg. com. 4. text. 9.* in Medicos *allium* redolentes invehitur, unde ægrotis tædiosi fiant. Non minùs ergo *allij* fœtor in ipsis medicamentis fugiendus erit.

ELECTUARII ROSATI MESUES pag. 94. præparationem vituperium non mereri, fatetur; animadversionem quoque Augustanorum ratione *Galiæ moschatæ* prolatam, non improbat. *Neque enim*, inquit, *stercora moscho, ambrâ & ligno aloës (utpote ex quibus Gallia moschata constat) condienda sunt.* Ast minùs fideliter animadversioni Augustanorum, *Galiæ moschatæ* causâ factæ, subscribit. Ipsi etenim non planè à medicamento hoc *Galiam* abesse volunt; sed *etiam sine eâ parari*, tantùm innuunt, *partim pro pauperibus, partim pro iis, qui Galiæ odorem non ferunt.* Ex quibus, *Galiam* non ob frivolam aliquam rationem, scilicet, ne stercora (sit venia verbo) odore grato condiantur, omitti, patet.

Si autem odorata illa à medicamentis ideo abesse debent, ne stercora odore eorum imbuantur, omnis ipsorum usus internus valeat; omnia *Pharmacopœiæ Regiæ* medicamenta interna, quæ *moschum, ambram & lignum aloës* recipiunt, reformentur; cùm si per os exhibeantur, impossibile sit, cavere, ne aliqua odorum illorum pars excrementis communicetur.

Cæterùm *Trochiscos de spodio, & de berberibus*, cùm valde imprudenter composita compositis cumulari, ipsi videatur, malè addi existimat, subjungens: *quasi verò species illæ, quæ prædictos Trochiscos ingrediuntur, æquè commodè huic confectioni in debitâ quantitate addi non potuissent, sed necessariò Trochisci addendi fuerint, qui alioquin raró vel nunquam à Medicis præscribuntur, deberent ideò prostare ratione solius hujus Electuarij; Proh! quàm stupidum hoc est!* Proh! quàm stupidum hoc est judicium! Si composita compositis imprudenter valde cumulantur, imprudentissimi nomen non effugiet Zvelferus, qui composita compositis in *Pharmacop. Reg.* aliquoties adauxit, dum *conservas, elæosacchara, essentias citri & rosar. saccharinas* &c. compositis addit; in *Emplastrum de fuligine pag. 294.* aliquot composita, *saponem Venetum, antidotum & sal theriacale*, recipit.

Quis verò unquam ex Augustanis, *necessariò* (uti quidem ipsis impudenter Zvelferus imputat) species has in trochiscorum formam prius redactas

ctas ſumendas eſſe, præcipit; econtra ſpecies ipſas in debitâ quantitate addere, prohibet?

Sine ullo erroris metu addi tamen poſſunt trochiſci; cùm ij in officinis non ſolius hujus Electuarij gratiâ, ſed alios etiam in uſus proſtent, ceu, adnexa dictorum Trochiſcorum præparationi, virtutum enarratio ſufficienter exprimit.

Poſito autem, trochiſcos hos rarò, vel nunquam à Medicis præſcribi; non tamen idcirco eorum corruptio, & ſubſequens Pharmacopœi atque ægri, ob fruſtrà factas impenſas, damnum pertimeſcendum eſt. Siquidem 1. in exiguâ quantitate parantur; *Trochiſcorum* quidem de *berberibus* pondus eſt *unciarum duarum*; *Trochiſci de ſpodio uncias quinque & dimidiam* vix tranſcendunt. 2. Si & hæc quantitas nimis magna ſit, ita ut trochiſci corruptionem incurrant, antequam omnes in uſum venerint; eò minori in quantitate, videlicet, dimidia, tertia, vel quarta &c. pars eorum tantùm præparetur. Pharmacopœus enim officinæ ſuæ curam ſedulam gerens, ipſe facilè divinare poteſt, qua quantitate eorum, pro neceſſariâ diſpenſatione, per unum & alterum annum indigeat. 3. Trochiſci diu ſatis incorrupti permanent, nec tam citò, uti liquidiora quædam medicamenta, vires ſuas amittunt. Imò trochiſci præſentes inter illos, qui ad 6. annos perſiſtere à *Schrödero* traduntur, commodè referri poſſunt.

Huic *incommodo* (rectiùs *non incommodo*) jam ut obviam eat, illarum compoſitionum, quas compoſita ingrediuntur, *reſolutionem*, *exactiſsimâ & diligentiſsimâ computatione*, promittit, ſingularum ſpecierum tale compoſitum, quod alteri compoſitioni ſuperadditur, conſtituentium debitam & requiſitam in hac compoſitione doſin exprimendo, initio facto ab Electuario præſenti; cui *ſpecies Trochiſcorum berberum* & *ſpodij debito & accuratiſsimè computato pondere* ſe addere, gloriatur. Verùm ô miſerum Arithmeticum, qui in computatione ſuâ ingredientium pondus ritè eruere non potuit, exceptis fortè *gummi arabico*, *ſeminibuſq; portulacæ*, *coriandri & ſumach*; quorum tamen non ſimpliciter ʒj. gr. ij. & ℈j. gr. vij. ſed ʒj. gr. ij. circiter, & ℈j. gr. vij. circiter ſunt, ſi *accuratiſsima computatio* inſtituatur! Nec tantùm in hoc, ſed ſequentibus pluribus aliis medicamentis *exactam* ſuam in calculando ſcientiam, & maximam diligentiam (ſcilicet) prodit, ſéque vel Arithmetices tyronibus deridendum exponit.

ELECTUARIUM E SUCCO ROSARUM NICOLAI *pag. 95.* nullum alium errorem præ ſe ferre, concedit, quàm quòd *camphoram per ſe pulveriſare*, Auguſtani jubeant, quam tamen *per ſe & ſine ullâ addi-*

additione in pulverem redigere impossibile sit; nisi cum pauculis *guttulis olei rosati* vel *ligni rhodij* teratur, & *spodium* quoque addatur, quo modo in subtilem pulverem redigi possit. Verùm minimè in hoc hallucinati fuerunt Augustani, dum *per se ac seorsim camphoram* pulverisare præceperunt; *camphoram* enim, non addito *dacrydio*, terendam esse innuitur; & ita *olei* alicujus, *seminis oleosi*, vel cujusdam *liquoris* convenientis additione artifici non interdicitur; quales diversos *camphoram* pulverisandi modos *Philibertus Guibertus in pharmacopol. familiar. & domest. tract. 1. cap. 29.* tradit; de qua materiâ etiam *Gothofred. Mœbius cap. 11. anatom. camph.* agit.

ELECTUARIUM DIASEBESTEN BARTOLOMÆI MONTAGNANÆ pag. eàd. ex *inconcinnà ingredientium congerie* emergentem *insulsam confectionem*, nec non *pulmentum* vocat; *insipidas* etiam *auctarij loco adjectas animadversiones omni ratione & judicio destitus*, atque *vel primo saltem intuitu illis, qui artem pharmaceuticam vix à limine salutarunt, ne dum in eadem aliquantùm exercitatis, risum movere*, cavillatur. Sed in quanam præparationis parte peccatum fuerit, cùm non edoceat, iniquam illam Zvelferi animadversionem examinare non licet; qui enim ab ipso subjungitur præparationis modus, illum Augustanorum non tollit; quia unum & idem medicamentum diversimode parari potest. Sed dum in usu esse hoc Electuarium desiit, ad ultimum potius accedo, nempe

DIASENAM NICOLAI *pag. 96.* in qua unicum hoc notat, quòd si *mel* quodammodo crassum sit, *saccharum* prius dissolvi; sin *mel* liquidius fuerit; *saccharum* vel pulverisatum, vel contusum admisceri debeat. Talia tamen monita, tanquam superflua, Pharmacopœi non immeritò rident, cùm ipsos debita Electuarij consistentia haud lateat, nec, qua ratione ea impetranda sit, nesciant.

Quæ in genere de *serico tosto* monet, cum Zvelfero in aliam occasionem reservo.



RESTI-

RESTITUTA
CLASSIS QUINTA,
Confectiones solutivas in formâ solidâ proponens.

ANISUM SOLUTIVUM *pag. 97.* unà cum *DIACARTHAMO SOLIDO*, & *CONFECTIONE ADVERSUS LUMBRICOS pag. 98.* posse quidem juxta modum ab Augustanis præscriptum parari; ast rationi non consonum esse, judicat Zvelferus, *species cordiales* purgantibus immiscere, cùm aliud quid non præstent, nisi quòd precium augeant, & quandoque saporis gratiam immutent & diminuant. Quæstio hæc, videlicet: utrùm cordialia purgantibus permiscenda sint, ad præparationem medicamentorum equidem non spectat; attamen ne tot errorum Augustani, & tota veneranda Antiquitas, major etiam recentiorum Medicorum pars rea fiat, breviter excuti meretur. Non autem video, cur illa cordialium cum purgantibus mistura rationi haud consona sit? Quod enim de precio indè aucto, nec non saporis grati immutatione profertur, tanti momenti haud est, ut salutarem illam conjunctionem evertere queat.

Nec Zvelferi medicamenta cathartica, cum cordialibus nobilitata, unquam hoc modo excusari poterunt, quibus utpote insigne precium, & nonnunquam saporis gratia immutatur; sic in *Rob de spinâ cervinâ pag. 29. Pharmacop. Reg. cinnamomum*, *caryophyllos*, *zingiber*; in *Sirupum de eâdem*, *pag. 32.* præter *elæosaccharum cinnamomi* vel *caryophyllorum*, *zingiber* & *mastichen* recipit; *Clareta* sua *laxativa pag. 40. 41.* cordialibus onerat; & ad ipsum *Anisum solutivum pag. 57. Pharmacop. Reg.* huic Augustanorum *Aniso solutivo* substitutum, *cinnamomum* & *nuces moschatas* adhibet.

Non unam autem ob causam cordialia ejusmodi, quæ alias simul partes quoque confortant, adduntur; sed partim ad robur parti conciliandum, partim saporis & odoris gratiam impetrandam &c. Sic *Hippocrates* odorata

rata purgantibus nonnunquam immiſcuit, v. g. *de rat. vict. in morb. acut. Si ſub transverſo ſepto*, inquit, *dolor ſit, ad claviculam verò ſignum non fuerit, emolliendus eſt venter, vel nigro veratro, vel peplio: veratro quidem vel daucum, vel ſeſeli, vel cuminum, vel aniſum, vel aliud quid odoriferum miſcendo.* Quem locum *Galenus lib. 1. de compoſ. medic. per gen. cap. 3.* ſic explicat: *hac dictione manifeſtè Hippocrates uſum quidem pharmaci purgantis eſſe oſtendit, ſed inſuavitatem ejus in potu, moramq́ in ventriculo condimentum requirere; multa ſiquidem quæ bibuntur pharmaca, tam ſunt aſſumentibus inſuavia, ut ſtomachum ſubvertant vomitumq́ protinus cieant; quædam licet paululùm in ventriculo manere poſſint, poſtea tamen evomantur, cùm pravas eructationes moverint.*

Videatur quoque ejus *com. 2. de rat. vict. acut. expoſ. 11.*

Eundem locum *lib. 8. de compoſ. medic. ſec. loc. cap. 3.* explicat, ſimulque ex *Aſclepiade*, interdum odoratas qualitates purgantibus eſſe conjungendas, demonſtrat; ſi pars aliqua corporis non ſolùm ab humoribus peccantibus adfligatur, ſed etiam imbecillior reddita fuerit. Cui itaque duplicato malo, duplicatum quoque remedium opponendum; quod nempe vitioſos humores educat & partis imbecillitati ſimul proſpiciat; ne illa pars, dum medicamentum purgans in materiam peccantem agit, ex eo ipſo magis ſimul debilitetur; cujus robur tantopere exolutum difficiliùs dein per corroborantia reſtituitur.

Galenus purgantia inter malefica medicamenta numerat, dum *2. com. de rat. vict. acut. expoſ. 12.* ſcribit: *Purgantium omnium medicamentorum natura, corporum quæ purgantur naturis contraria eſt, atque, ut quiſpiam dixerit, lethalis & deleteria.* Cui ſententiæ non Græci tantùm & Arabes, ſed & Paracelſiſtæ multi ſubſcribunt. Quod ſi ita eſt, cordialia certè optimo jure adduntur.

Et licet malignam talem qualitatem in nullis purgantibus reperiri, ſtatueretur; propterea tamen cordialia non planè fruſtrà ipſis conjungerentur. Nam dum ſpiritus vitales corroborant, ut eò validiores in hoſtem, ſive medicinam catharticam inſurgere poſſint, efficiunt, ſicque ex fortiori tali pugnâ purgatio meliùs ſuccedit. Alios quos præſtant uſus, ut taceam.

Deinde in *tribus his medicamentis ſpecies ſaccharo* nonnihil refrigerato immiſcendas eſſe, ne *dacrydium* conglobetur, notat. Nec id ipſum Auguſtani ignorarunt. Unde in *Hierâ picrâ Galeni ſpecies melli* non prius injiciendas eſſe, monent, antequam *ab igne fuerit remotum ac ferè refrigeratum; cùm alioquin aloë rurſus conglobetur & picis inſtar indurata coëat.* Sic in

Paſſulis

Paſſulis ſolutivis ſiccis, paulò poſt ſequentibus, *dacrydium* reliquis additur, cùm paulisper refrixerint. Id quod prudens ac peritus Pharmacopœus aliis quoque ſimilibus compoſitionibus facilè adplicare novit. De hac *dacrydij* conglobatione quoque *Lud. Septalius l. c.* §. *99*. agit.

DIACARTHAMUM SOLIDUM ob ſpecierum quantitatem, *ſacchari* pondus excedentem, difficile paratu eſſe, ori etiam & oculis ingratum eo modo evadere, *pag 98.* objicit; & quidem ex hoc fundamento, dum Auguſtani *ad normam Eleſcoph* parare hoc præcipiunt; in quo *uncias ſex ſpecierum libræ uni ſacchari* deſtinant. Auguſtanorum autem verba ita ſe habent: *Electuarium Epiſcopi ſeu Eleſcoph ſolidum fit juxta deſcriptionem Meſuæ, ſpeciebus addendo pro unciis ſex ſacchari libram unam.* Ubi τὸ: *pro unciis ſex*, Zvelferus malè ad *ſpecies* refert; cùm potius ad *ſaccharum* pertineat; ut ita ſenſus verborum ſit: *ſpeciebus addendo pro unciis ſex ſacchari, libram unam ſacchari*; ſcilicet illæ *unciæ ſex ſacchari*, à *Meſue* in *Eleſcoph molliori* (cujus etiam ſpecies pro *ſolido* inſerviunt) expreſſæ fuerunt.

Nec aliam ob cauſam, pondus *ſacchari* duplicatur, quàm ut confectionibus ſolidis parandis debita conſiſtentia hoc modo faciliùs concilietur. Unde præſens *Diacarthamum ſolidum*, ſi in illo præſcripta *ſacchari* quantitas duplicetur, non tantùm paratu facile, ſed & ori gratum evadit.

Mel roſatum, ſaccharum canthum & *pulpa* ſive *gelatina cydoniorum*, pro variâ cujuslibet medici voluntate, addi vel omitti poſſunt. Auguſtanis tamen olim, dum adhuc medicamento hoc utebantur, eadem addere, placuit, cùm hujus compoſitionis præparationi, ſi ex arte fiat, nil quidquam derogent.

Cæterùm quòd *ad uncias tres vel quatuor ſpecierum libra una ſacchari* ſumi debeat, licet eo modo labor confectiones tales ſolidas parandi facilitetur, usque adeo neceſſarium tamen haud eſt; aliàs in *Morſellis Pharmacop. Reg.* turpiter Zvelferus impegiſſet; nam *pag. 123. in Morſellis confortantibus virilibus* pro *ſpecierum unciis quatuor*, *ſacchari* vix *uncias ſex ac dimidiam*; *pag. 125. in Morſellis ſtomachicis ſpecierum unciis quatuor*, *ſacchari* ſolùm *libram dimidiam circiter* adhibet.

Porrò ſpecies adhuc intensè calenti *ſaccharo* immiſceri jubere Auguſtanos, tradit; unde facillimè contingat, ut Confectio ob *dacrydij* conglobationem deſtruatur. Sed iterum à vero, contradicendi libidine incitatus aberrat. Ne γρὺ enim in illâ Auguſtanorum præparatione de ſpeciebus *ſaccharo* intensè calenti immiſcendis quisquam reperiet, quin potius contrarium, uti ex præcedentis compoſitionis examine patet, deprehendet.

In fine harum animadversionum secundum specimen exactissimæ computationis, ratione *unciæ dimidiæ specierum diatragacanthi frigidi*, edit, dum pro qualibet *unciâ unâ* ingredientium, *drachmam dimidiam* sumendam esse, adserit. Verùm non *drachma semis*, sed *grana viginti octo cum dimidio circiter*, sumi debet. Id quod notatum tantùm volui, ut *exactissimum* Zvelferi calculum Lectori commendarem.

DIACYDONIUM SOLUTIVUM pag. 99. quod Augustanorum in officinis ampliùs necessariò prostare non debet, præscripto modo paratum lucidum ac transparens minimè fieri, objicit. Quod etiamsi ita se habeat, nihil tamen præsenti præparationi derogat, cùm pelluciditas hîc non expetatur, quia hæc sequenti demum adjudicatur, nimirum

DIACYDONIO SOLUTIVO PELLUCIDO *pag. 100.* in cujus præparatione nil quidquam reformatione indiget.

In ELECTUARIO EPISCOPI SEU ELESCOPH SOLIDO *pag. eàdem* improportionatam specierum quantitatem, respectu *sacchari* iterum accusat; cùm non opus sit enumeratis speciebus præter deputatas *sex uncias sacchari*, loco *mellis* triplam *sacchari* quantitatem addere, quia *specierum tres* circiter *unciæ* pro *librâ unâ sacchari* sufficiant. Ast Augustani *speciebus* neque *uncias sex sacchari*, neque triplam ejusdem, loco *mellis* quantitatem adsignant; sed uti in *Confectione Diacarthami solidi* mentionem feci, loco illarum *unciarum sex sacchari*, *libram unam* sumere præcipiunt, ut cum hac, in liquore aliquo solutâ, & specierum deputatarum *unciis tribus totidemq́ drachmis*, medicamentum hoc conficiatur.

HOLIPPÆ PURGANTES *pag. eàd.* & PASSULÆ SOLUTIVÆ SICCÆ D.D. EMANUELIS DIDYMI *pag. 101.* ab animadversione immunes dimittuntur.

DIAPHOENICI SOLIDI *pag. eàdem* præparationem, pro more suo, acerbè adgreditur, qua tamen animadversione suâ bonis meritò detestandum se præbet, ac quàm perversè non intellectas à se præparationes traducat, ostendit. Certè *si tyro medicinæ, aut alius aliquis, qui praxin medicam hodiernâ die primitùs inchoavit, compositionis* hujus præparationem impossibilem judicaret, *veniam vix mereretur. Sed quòd toties hæc compositio* adprobata, & à multis Pharmacopœis præparata, nunc à Zvelfero, sedecim annos pharmaceuticis laboribus unicè dedito, nihilominus paratu impossibilis proclamata sit, *id demum Ipsi ingenti dedecori est. Etenim eam paratu prorsus possibilem* esse, *quis* artificum *non videt?* Nemo certè id negat, nisi aut stupidum in præparandis medicamentis ingenium nactus fuerit, aut præparanti alteri nunquam adstiterit.

Falsissi-


Falſiſſimum autem eſt, *uncias undecim ſpecierum* ad *libram unam ſacchari* hic deſtinari; præcipuè ſi illas *uncias duas ſacchari canthi*, prout peritiores pharmacopœi id obſervant, reliquis *unciis duodecim* quis adjungat.

Concedo equidem difficiliorem præparationem eſſe, quàm ſi cum majori *ſacchari* pondere fieret; propterea tamen impoſſibilis non mox dicenda eſt. Ignavi laboris difficultate à præparatione abſtrahuntur; ignari eam impoſſibilem proclamant.

Sed ubi rerum teſtimonia adſunt, non opus eſt tot verbis. Proſtat Auguſtæ hoc *Diaphœnicum ſolidum*, juxta Auguſtanorum normam paratum; ſi diligentiam in conficiendo adhibeas, Auguſtanos ab errore immunes eſſe, comperies.

In reliquis tribus compoſitionibus, nimirum ELECTUARIO E SUCCO ROSARUM SOLIDO *pag. eâd.* DIATURBITH CUM RHABARBARO BARTHOL. MONTAGNANÆ, & ZINGIBERE SOLUTIVO *pag. 102.* nihil correctione dignum invenit.





RESTITUTA
CLASSIS SEXTA,
Pilulas exhibens.

PILulas generali animadversione deformaturus, insignem earum luxuriem & inutilem abundantiam in *hac Classe* adesse, scribit; quarum itaque numerum diminuendum esse contendit; ne, cùm vel rarissimè, vel nunquam à Medicis præscribantur, frustrà in officinis prostarent, præcipuè si in virtutibus maximâ ex parte conveniant; earum autem loco sex vel septem formulæ sufficiant.

Si Pilularum quantitatem, formulas *sex septemvé* superantem insigniter luxuriosam, inutiliterque abundantem vocare licet, nescio quo jure rigorosus Augustanorum Animadversor suam *Pharmacopœiæ Regiæ Classem sextam* à simili animadversione vindicare possit; cùm Pilularum ibidem descriptarum formulæ *numerum vigesimum* attingant. Augustanorum quidem descriptiones, quarum tamen nulla est, quæ non à Medicis nostris præscribatur, hunc numerum superant, *trigesimum* tamen haud complent. Illarum enim descriptiones, quæ minoribus literis expressæ conspiciuntur, iis nullo modo adnumerari debent; cùm ob temporis ita ferentis conditionem obsoletæ jam sint, nec ut parentur, Pharmacopœum obligant; de quo in *Sirupo acetoso compos. Mes.* uberiùs actum fuit.

Ut ita unicuique facilè pateat, Zvelferum nihil novi protulisse, sed Augustanos ipsos concedere, magnam Pilularum à se descriptarum partem vel rarissimè, vel nunquam à Medicis nostris præscribi; sicque frustrà eas in officinis prostare, non immeritò quis adserere queat.

Ponamus etiam, Augustanorum Pilulas maximâ ex parte in virtutibus convenire, non tamen video, cur in publicâ aliquâ officinâ pharmaceuticâ, quæ pluribus Medicis medicamenta suppeditat, prostare non debeant. Huic quippe Medico hæc; illi alia compositio magis arridet atque in usu est. Nam *quot capita, tot sensus.*

Nec

Nec eâdem ſemper chordâ oberrare, conducit, ne vulgo medicam artem proſtituamus; hicque etiam illud: *varietas delectat*, verum redditur.

Præterea ſæpe adparenter tantùm quid cum altero convenit; cùm, ſi æquâ rationis lance expendantur, multùm differant.

Sed & hanc abundantiam inutilem eſſe, ponamus, Zvelferi certè Pilulæ excuſari hoc modo minimè poterunt; cùm (ſi animadverſionibus ejus in illas factis habenda fides) magnâ ex parte in virtutibus conveniant. Sic multæ earum capiti, plures aliæ itidem ſtomacho, hypochondriacis &c. deſtinantur.

In PILULARUM DE AGARICO MESUES *pag. 103.* AGGREGATIVARUM MAIORUM & *MINORUM EIUSDEM pag. 104.* animadverſionibus in genere monet,

1. Ut *gummata*, quæ pleraſque Pilularum compoſitiones ingrediuntur, *vino* vel alio conveniente liquore prius diſſolvantur, ita tamen ne ſubtilior eorum ſubſtantia in auras avolet. Qui modus & ante Zvelferum à quibusdam traditus jam fuit; ſic *Joſ. Quercetanus pharmacop. dogmat. reſtit. lib. 1. cap. 14. gummata*, antequam in uſum Pilularum veniant, in *aceto roſato* vel *vino albo* prius diſſolvenda, & per ſetaceum trajicienda eſſe, docuit. Nec idem obſervare, Auguſtani prohibent. Aſt tam neceſſarium eſſe, ut modus hic obſervetur, ita ut, contrarium ſi fiat, error aliquis committatur, mihi quidem veriſimile haud videtur. Si enim gummata illa in pulverem ſubtilem redacta, & cum reliquis pulveriſatis ſpeciebus diligentiſſimè miſta, liquore conveniente irrorentur, atque in mortario optimè cum piſtillo ſubigantur, optima certè maſſa impetrabitur; in qua particulæ gummatum cum reliquarum ſpecierum particulis per minima miſtæ & unitæ erunt.

Sic ipſe Zvelferus traditam à ſe regulam in *Pharmacopœiâ Regiâ* haudquaquam ſemper obſervans, gummata & reſinas, v. g. *myrrham*, *olibanum*, *maſtichen*, *gummi animæ*, *reſinam ſtyracis calamitæ*, *abietis*, *ligni aloës* &c. non prius in liquore aliquo ſoluta, reliquis ſpeciebus pro Pilularum confectione requiſitis, adjungit.

2. Liquoris, cum quo maſſa Pilularum efformanda venit, certam quantitatem exactè determinari haud poſſe, ſcilicet prout ſucci plus, minusvé inſpiſſati ſunt, ita etiam eorum pondus variare, judicat. Verum equidem eſt, quòd liquoris quantitas exactè determinari nequeat; aſt cauſa, quam dat Zvelferus, ut id evincere queat, non ſufficit. In genere enim de liquore, i. e. de omni liquidâ materiâ, pro maſſæ efformatione requiſitâ loquitur; cauſam autem additurus, de ſolis ſuccis agit, quorum pondus, quatenus plus minusvè inſpiſſati ſunt, variare ſtatuit. Namque non ſolùm ſucci ratione conſi-

consistentiæ differunt, sed etiam mel, Sirupi &c. pariter pro Pilularum excipiente, uti succi, requisiti.

Licet etiam succorum quantitas in istiusmodi Pilularum officinalium descriptionibus aliquando determinetur, (quod tamen ab Augustanis in hac *Classe* factum nullibi reperio, atque ita Zvelferi animadversio inutilis hîc sit) & eadem vel pro effingendis in pilulas speciebus haud sufficiat, vel excedat, miser sanè esset artifex, qui defectui tali occurrere non ipse nosset, addendo nempe majorem succi, si deficiat, partem; vel si excedat, eundem calore leni evaporando. Sic multæ Zvelferi Pilularum descriptiones magnam succorum quantitatem recipiunt, qui tamen mediante evaporatione ad debitam consistentiam perducuntur.

Si verò liquoris, excipientis vice fungentis, certa quantitas exactè determinari nequit, cur *pag. 67. Pharmac. Reg. Spiritus Veneris*, loco excipientis ibi positi, quantitatem in *Pilulis odontalgicis* determinavit?

3. *Melichium* pro Pilulis efformandis aquas & succos indiscriminatim excludere, scribit; *Sirupos* autem, quos eorum loco unà cum *melle* substituit, nihil aliud efficere, quàm quòd species, quibus vel parùm, vel nihil aloës aut succorum inspissatorum, extractorumvé additum est, faciliùs in massam pilularum redigant. Ast leve hoc emolumentum vix resarcire posse damnum indè exsurgens; cùm *Sirupis* neque *aloë*, neque *gummata* exactè dissolvi queant, massa etiam Pilularum, & per consequens earum doses, in quantitate & pondere augeantur. Augustanos *Melichij* sententiam de excludendis aquis & succis à pilulis non adprobare, exinde patet, cùm Ipsi utrosque liquores, aquas nimirum & succos, aliquot Pilularum compositionibus adhibeant; uti *Pilulæ aggregativæ min. Mes.* &c. testantur. Sirupos autem non nisi magno cum damno & incommodo pro massâ pilulari effingendâ adhiberi, maximè adhuc in dubium vocari posse, videtur. Nam 1. utrùm *aloë* & *gummata* per eos solvantur, & num illâ solutione tantopere opus sit, disquiri posset. Primum quod concernit, quia duplex quasi Zvelfero est illa solutio: una in formam liquidam, qualis v. g. in *Pharmacop. Reg. pag. 64. Pilulis aloëphanginis* deprehenditur: altera in pultis formam, quæ *pag. 69. Pharmac. Reg. in Pilulis stomachicis* observatur; illa per Sirupos non intenditur, sed hæc; unde *aloën* & *gummata* pulverisata cum Sirupi alicujus f. q. in mortario mista & subacta pultis formam adquirere, notum est. Deinde in massâ pilularum tam strictè non requiritur, ut gummata verè dissolvantur, sed ut massa compacta evadat; id quod per Sirupos facilè obtinetur. Etiamsi enim non solvantur, nihilominus operationes suas perficiunt; neque

aliàs

aliàs tales pulveres quidquam præstarent; quod nemo sani judicij adserere potest.

2. Massæ Pilularum à *Sirupis* incrementum accedere, & per consequens doses etiam indè confectarum Pilularum excrescere, concedo. Ast hoc commune ipsi est cum aliis nonnullis, uti *mellibus*, cum quibus tamen aliquoties Zvelferus massas pilulares efformat, uti *Pharmacop. Reg. pag. 64. 70.* comprobat.

Quanquam illud augmentum tam magnum haud sit, ut vix granum unum vel alterum dosi uni hinc accedat, imprimis si *Sirupus aliquis liquidior*, qualem *Melichius* requirit, non *crassâ consistentiâ* præditus, qualem Zvelferus in *App. animadvers.* sibi fingit, adhibeatur.

Et licet, velut in *eâdem Appendice* monet, tales Pilularum massæ, scilicet cum Sirupis paratæ, facilè exsiccentur; opus tamen minimè est, easdem semper novâ Sirupi additione humectare, sicque eorum pondus subinde adaugere; sed sufficit, particulam solùm earum à Medico præscriptam, addito conveniente liquore, subigere, inque globulos redigere. Faciliùs verò massam exsiccatam, quàm Sirupo aliquo humectatam, corrumpi, sine ratione adserit Zvelferus; prout nec strictè requiritur, ut massæ semper in molliori consistentiâ prostent.

4. In resolutione *specierum Hieræ picræ Galeni* pro *Pilulis aggregativis minor.* artificium suum arithmeticum iterum prodit, dum *unciæ unius & dimidiæ* loco, *unciam unam & drachmas quinque* ponit.

In PILULARUM ALOEPHANGINARUM SEU AROMATICARUM MESUES *pag. 105.* animadversionibus prolixus satis est Zvelferus, & quidem I. aromatum nimiam copiam inibi contineri, objicit, quæ impedimento sit, quò minùs *aloë* vim suam laxativam exerere possit, nisi fortè in satis magnâ quantitate hæ Pilulæ adsumerentur; hanc tamen aromatum copiam non adeo vehementer improbare se, subjungit, *si corroborando ventriculo solùm, non verò alvo simul nonnihil subducendæ, hæ pilulæ Aloëphanginæ destinatæ sint.* Prolixa hæc animadversio nullius planè est momenti. Quis Augustanorum Pilulas has ad alvum subducendam ordinatas esse, dixit? cùm potius ad confortandum stomachum compositæ fuerint. Annon in *animadversione suâ, medicamentum hoc ab Autore potius ad corroborandum ventriculum & cerebrum, quàm alvum ducendam esse institutum*, monent? Ad quid ergo illa in aromata invectio, & de vi lenitivâ supervacanea admonitio? Annon Augustani aromatum satis magnam quantitatem cognoverunt? unde Pilulas has *Aromaticarum* nomen obtinuisse, scribunt, *eò quòd multis constent aromatibus.*

II. Per-

II. Perquam ſiniſtrè has Pilulas menſe Majo, Junio aut Julio, per inſolationem, & in ſole exſiccationem confici objicit, *eò quòd ſol necquicquam iis communicare, quin potius easdem ſubtilioribus ſuis virtutibus aromaticis omnimodè ſpoliare poſſit.* Solem etiamſi nihil Pilulis præſentibus communicare dicamus; quòd tamen propterea in ſole non digerere liceat, minimè ſequitur. Aliàs non tantùm inſolatio, ſed quælibet coctio, digeſtio &c. mediante carbonum calore facta, exulare deberet; cùm & per illum nil quidquam compoſitionibus communicetur. Videlicet non deſideratur, ut ſol, vel quilibet alius ignis, de ſubſtantiâ ſuâ compoſitis ejusmodi quid conferant, ſed ut calore ſuo, ſive excitativo, ſive inchoativo, pro variâ artificis intentione, διάκρισιν & σύγκρισιν, ſumma operationum pharmaceuticarum capita, promoveant.

Poſito etiam, ſolem aromatibus ſuam illam ſpirituoſam partem adimere; non tamen video, cur idcirco hoc in medicamento inſolatio rejicienda veniat? Quomodo enim ſol compoſitionem hanc ſubtilioribus virtutibus aromaticis ſpoliare poterit; ſi, ut paulò poſt Zvelferus ipſe innuit, in cocturâ, inſolationem iſtam præcedente, aromatum vis evaneſcat? Repugnat enim, aromatum vim ſpirituoſam coquendo evanuiſſe; &, aromata ſic cocta inſolando eandem deperdere.

Si verò inſolatio *ſiniſtrè præcipitur*, dum medicamentis nil communicat, ſed meliorem partem detrahit, Zvelferus infra *pag. 330. animadverſ.* ut præparatio *Oleorum ex balſamicis herbis, floribus & aromatibus, per quamlibet inſolationem* &c. fiat, *ſiniſtrè* concedit. Id quod pariter in *Pharmacop. Reg. pag. 260. ſiniſtrè* obſervavit.

Auguſtani tamen hiſce in Pilulis non ſimpliciter inſolationem nominarunt, ſed alium etiam calidum locum, dum ſcribunt: *agitentur continuè in ſole, vel loco calido*; & iterum: *exſiccetur ad ſolem, ſeu in loco calido.*

Imò Auguſtani hunc ipſum modum minimè ſequuntur, multò minùs ceu falsò Zvelferus arguit, præcipiunt. Unde in animadverſione additâ, *Pharmacopœos Auguſtanos aliam compoſitionis formulam*, cujus quoque deſcriptio ſubjicitur, *ſibi hactenus uſitatam, ſuo hortatu ſequi, monent.*

III. *Aloës Socotrinæ* lotionem vituperat; quia 1. illa per ſe ſatis pura eſt & pellucida. 2. nil virium ab aquâ ſimplici, quâ toties diſſolvi debet, accedere ipſi poteſt. 3. *aloë* potius hoc modo deſtruitur, non melioratur, more catharticorum vegetabilium omnium. Reſp. 1. Etiamſi *aloë ſocotrina* per ſe ſatis pura ac pellucida ſemper eſſet, non tamen idcirco, ejusmodi lotioni eam ſubjici haud debere, ſequitur; cùm non ſordium unicarum causâ, ſed alium etiam in finem lavetur, de quo mox dicetur.

Negatur

Negatur autem, *aloën* iſtam per ſe ſatis puram ſemper eſſe, & multò minùs pellucidam, cùm illorum qui eam ad nos mittunt, improbitate, ponderis, & conſequenter lucri augendi gratiâ, rarò pura venundetur; hinc lapillis, arenulis &c. refertam toties Pharmacopœi experiuntur; imò *libras quindecim aloës ſocotrinæ*, *libras tres* lapillorum & arenularum continuiſſe, mihi conſtat.

Sed & mox alibique palinodiam canit Zvelferus; dum ſi impura ſit aloë, & variis ſordibus inquinata, eam diſſolvi, colari & inſpiſſari poſſe, concedit. Sufficere tamen, unicâ ſi hoc vice fiat, non more Auguſtanorum toties repetatur. Sed ſufficit, Adverſarij teſtimonio comprobaſſe, quòd *Aloë ſocotrina* per ſe ſatis pura & pellucida ſemper minimè exiſtat.

Conceditur etiam, quòd *aloës* ſolutio, purificationis ſolius causâ inſtituta, unicâ vice abſolvi poſſit; ſic ut eandem, ſi illa prima debitè peracta fuerit, repetere, minimè opus ſit.

2. Licet ab aquâ ſimplici pluviali nil virium *aloë* accedat; lotio tamen ejus eapropter non mox vituperium meretur. Idem enim eſt, ac ſi *Crocum ſolis* & *Aurum fulminans* in *Mantiſſ. ſpagyr. Zvelf. pag. 320.* vituperare vellem, dum illis *crocis* aqua ſimplex ſæpius adfunditur, à qua tamen nil virium ipſis accedere poteſt. Quid autem aqua, cum qua toties *aloë* ſolvitur, præſtet, nunc edocebo.

3. *Aloën* repetitâ iſtâ diſſolutione deſtrui, dum Zvelferus ſtatuit, de virtute catharticâ id dubio procul intellectum vult. Quod facilè Zvelfero conceditur, ſi totalem facultatis ſolutivæ deſtructionem non intelligat. Si namque duplicem in *aloë* vim cum totâ Medicorum Scholâ agnoſcamus, ſolutivam nempe & roborantem; illa ex Veterum, & qui eos adhuc ſequuntur, mente, per repetitam cum aquâ lotionem infringitur, ſic ut ſuperſtes virtus roborans emineat.

Unde quoque in hac Pilularum compoſitione, quæ roborationi præcipuè inſervire debet, *aloë* non illota, ſed lota, ſive cujus vis cathartica *ex parte* deſtructa eſt, adhiberi præcipitur. Dico: *ex parte*, cùm non planè omnis tollatur. Hinc miror, Zvelferum totalem quaſi virtutis illius deſtructionem venditare. Quid enim eſt, quod cum aquâ ex *aloë* ſolvitur? certè non pars reſinoſa, uti Zvelferus ipſe prodidit. Ergo etiam poſt reiteratam aquæ adfuſionem *reſina aloës* ſupererit; quam purgationi non inutilem eſſe, contra *Schröderum ſeq. claſſ. animadverſ. in Extractum aloës*, adſtruit. Si igitur, *reſina aloës*, aliquot paſſa ablutiones, ad purgandum non inutilis eſt, quomodo, ejus vim catharticam deſtructam eſſe, dici poteſt?

IV. In aromatum decoctionem involat. Verum equidem eſt, in *primo*

præparandi modo majorem rerum balſamicarum volatilium jacturam fieri; aſt in *ſecundo*, qui Auguſtanis uſitatus eſt, minimè; cùm medietas ſaltem coquatur; reliqua verò aromatum pars pulveriſata virtutibusque ſuis integra addatur. Quanquam, etiamſi tota aromatum quantitas coqueretur, virtus tamen omnis Pilulis propterea denegari haud poſſit. Duplicem enim in aromatibus his facultatem optimè agnoſcit *Ludov. Septalius*, unam igneam in ſuperficie poſitam facilè exhalabilem; alteram terreſtrem, ſubadſtringentem & corroborantem in centro conſtitutam. Prioris non multùm habitâ ratione, *Meſuen* longâ ebullitione alteram extrahere & aquæ communicare conatum fuiſſe, benè determinat.

Lectori autem Benevolo harum Pilularum loco, illas Zvelferi *antipeſtilentiales Pharmacop. Reg. pag. 68.* traditas, ruminandas ſiſto, ubi egregiam ſpirituoſarum partium evaporationem deprehendet.

Nunc Ipſius *primum* præparandi modum pariter evolvere, inque errores ibi commiſſos animadvertere, libet.

1. Specierum aromaticarum loco, *olea deſtillata, quæ ex illis in officinis haberi poſſunt*, maſſæ ad *juſtam conſiſtentiam* redactæ immiſceri jubet. Sed maſſæ, juſtam habenti conſiſtentiam, liquorem novum ſuperaddere, minùs decet. Quia hoc pacto maſſa liquidior, quàm conveniebat, redditur. Verùm mitto hoc; cùm propter illud: *juſtam conſiſtentiam*, id tantùm adducere voluerim.

2. Aromatum, quorum *olea in officinis haberi poſſunt*, catalogo eximit *calamum aromaticum, abſinthium, roſas* &c. En! quàm parùm ſibi conſtat Zvelferus! Si enim *calami aromatici, abſinthij, roſarum olea* in officinis non haberi poſſunt; cur eadem hinc indè in *Animadverſionib.* nec non *Pharmacop. Reg.* præſcribit? Si e. g. *oleum calami aromatici pag. 63.* pro *Sirupo de polypodio* &c. & *oleum roſarum pag. 33.* pro *Sirupo de pomis* &c. in officinis haberi poſſunt; cur non & pro his Pilulis?

Oleum tamen *abſinthij*, priorum oblitus, mox iterum illorum numero adſcribit, quæ in officinis haberi poſſunt.

3. *Aloës aliarumq; ſpecierum libram unam, unciam unam & drachmas quinque*, cum *liquoris deſtillati unciis quinq; circiter*, & *oleorum drachmis tribus ac ſcrupulo uno, ſine ulteriori exſiccatione, ad debitam maſſæ conſiſtentiam redigere*, fruſtrà laborat; dum tanta liquoris quantitas cum illâ prænominatâ ſpecierum doſi, ſine inſtitutâ notabili liquoris ſive diminutione, ſive exhalatione, formam talem minimè largitur, ſed liquidiorem potius pulticulam efficit.

4. Illo à ſe propoſito modo necquicquam ingredientibus detrahi, nec tantâ aromatum quantitate, quæ impedimento eſſe poſſet, quò minùs alvum

laxare

laxare queat, *aloën* gravari, concludit. Verùm quod prius attinet, illud certè dubio non caret, videlicet an omnes aromaticæ ſubtiles partes in deſtillatione, cum *unciis quinq; vel ſex vini generoſi*, atque *ſpecierum unciis octo, drachmis duabus* inſtitutâ, eleventur, ita ut nihil ampliùs in his remaneat, quod per ſubſequentem cum aquâ decoctionem & omnimodam exhalationem amitti queat? *reſina ligni aloës*, cui vim confortantem *Pharmacop. Reg. pag. 224.* tribuit, per deſtillationem non elevatur, neque ab aquâ in coctione ſolvitur, & ita Pilulas has Zvelferi non ingreditur. Aromatum partes ſubtiliores aqueis permiſtæ, nec non partes craſſiores, quorum ſcilicet *olea* expetuntur, pariter abſunt, atque ita necquicquam ingredientibus detrahi, verum eſſe haud videtur. Ut de liquoris nimiâ quantitate in *priori* §. indicatâ nihil dicam.

Alterum autem adſertum magnam difficultatem Zvelfero parit. Sic enim infero: Si Auguſtanorum *Pilulæ aloëphanginæ* ob nimiam aromatum quantitatem alvum laxare nequeunt; multò minùs illæ Zvelferi mutatæ eam movere valebunt. Illud, quòd nimirum iſtæ Pilulæ Auguſtanorum modo paratæ, in alvo laxandâ ſegnes ob aromatum copiam ſint, unicuique Zvelferi animadverſionem intuenti, patet. Hoc pariter ex eâdem clarum evadit. Auguſtanos enim magnam aromaticarum partium diſpendium incurrere, ſupra jam à Zvelfero Ipſis objectum notavi. Has autem omnes ſervare, ſuiſque Pilulis procurare, Zvelferus laborat. Ergo.

Sed & hanc frivolam Zvelferi ſententiam, cùm vis purgandi propriè hîc non expetatur, miſſam facio.

In PILULIS SINE CURA DICTIS *pag. 106.* nil memoratu ſingulare carpitur.

PILULÆ DE ALOE LOTA INCERTI AUTORIS pag. 108. eatenus iniquam Zvelferi ſpongiam ſentiunt, quatenus *Aloën ſucco roſarum lotam* recipiunt, *quæ nil aliud eſt, quàm aloë ſucco roſarum diſſoluta & iterum exſiccata.* Unde ejus loco *aloën roſatam, ſive quæ ſæpius ſucco vel infuſione roſarum humectata vel diluta, iterumq; exſiccata fuerit*, ſubſtituendam judicat. Egregia animadverſio! Nempe: *Recipe aloën ter cum ſucco roſarum ſolutam iterumq; exſiccatam*; (ſiquidem *aloën* cum *ſucco roſarum* lotam eſſe *aloën* cum *ſucco roſarum* ſolutam & exſiccatam, ipſe Zvelferus modò conceſſit; nec diverſum Auguſtani volunt) vel ei *ſubſtitue aloën roſatam*, (quæ, uti proximè ſequens compoſitio monſtrat, eſt *aloë* ter cum *ſucco roſarum* humectata iterumque exſiccata) ſive *aloën* ſæpius *ſucco roſarum* humectatam & ſiccatam. Annon hoc eſt unam eandemque rem diverſis nominibus inſignire? Idem enim eſt, ac ſi diceret: *Recipe aloën roſatam; vel ei ſubſtitue aloën roſatam; ſive aloën roſatam.*

Deinde *improprium illud nomen : aloën lavare*, meritò abrogari posse, censet; cùm *aloë* propriè loquendo lavari nequeat; nisi succum subtiliorem abluere, & crassiores ejusdem partes retinere quis velit. En! & Criticum Zvelferus agit! Mirum! Hominem, modicè literis imbutum latinis, talia præsumere!

Höferi quippe judicium publicè prostat, *Zvelferum mutuatâ ab alio latinitate, à se autem conceptâ reformandi inurbanitate, Dispensatorij Augustani* examen edidisse. Vid. *Hercules Medicus Ejusdem (lib. 2. cap. 3.)* in *Diplomate Cæsareo*, operi præfixo; nec non *Jo. Guil. Mannagetta, Joh. Conrad. Wechleri*, & *Jo. Gregor. Glantz.* censurâ, insigniter commendatus.

Quid de latinitate Zvelferi *D. D. Geygerus fel. mem.* communicaverit, superiùs *Proœmium* edocuit.

Sed ut ad illud : *lavare* redeam, nemo Medicorum, etiam maximè Criticorum, quòd sciam, terminum hunc artis abrogare, hactenus præsumsit. Solus in hoc studiorum genere inexercitatus Zvelferus talia audet.

Si verò termini isti minùs proprij eliminari debent, proh! quantam reformationem Medicina subiret!

Nec certè ipsa Zvelferi opera immunia abirent. Si v. g. obscurissimam ipsius *Menstrui secreti* descriptionem, *pag. 449. animadvers.* unà cum clarâ ejusdem delineatione, *pag. 52. Append. animadvers.* contentâ, disquisitioni submitterem, & illam à Zvelfero tantopere laudatæ & adamatæ *Veneris ablutionem* cum hac *Aloës* ablutione conferrem; si illam Zvelferi *resinarum ablutionem* juxta traditam hîc normam examinarem; si de regio Zvelferi *Pharmacopœiæ novæ* nomine agerem. Sed mitto talia, cùm non de nominibus, sed præparationibus medicamentorum hîc sermo sit; & potius ad *Aloën lotam* revertor.

Ubi probè notare convenit; quòd Aloë non uno modo, nec unum in finem lavetur.

Ablutio illa considerari debet; quatenus vel *pura*, vel *impura* est *Aloës* substantia.

Aloës impuræ ablutio est vel *superficiaria*; si v. g. frusta *aloës Socotrinæ*, aliàs purissimæ, in superficie tamen luto aliisvé sordibus inquinata fuerint, & ab illis per simplicem cum aquâ loturam liberentur. Quæ utique nullam culpam meretur; & propriè *aloës* ablutio dici potest. Vel est *intimior*; ubi non solùm res heterogeneæ in superficie hærentes tolluntur, sed & reliquæ per totam *aloës* substantiam sparsæ, quales sunt : arenulæ, lapilli, festucæ &c. per incuriam, vel fraudem institorum additæ, separantur; si *Aloë* cum aquâ simplici pluviali &c. super ignem solvatur vel diluatur, & postmodum à fe-

cibus

cibus in colatorio remanentibus, pura *aloës* ſubſtantia per colaturam ſeparetur. De hac *Dioſcorides lib. 3. cap. 22.* agit, dum, *lavatur*, inquit, *ut quod eſt arenoſiſſimum, tanquam inutile ſubſidat, & læve ac pinguiſſimum adſumatur.*

Aloë pura, ſive quæ nullas talismodi impuritates continet, lavatur: ut

1. infringatur vis ipſius ſolutiva, dum unà cum aquâ acriores igneæq; prout eas vocant, partes eluuntur, remanentibus partibus ejusdem roborantibus. Et hæc frequentiſſima fuit apud Veteres *aloës* præparatio; de qua plurimis in locis egit *Galenus*, veluti *lib. 7. meth. med. cap. 11. aloë non elota valentiùs evacuat, elota purgat quidem minùs, ſed roborat ventriculum magis.*

Lib. 8. de compoſ. med. ſec. loc. cap. 2. noſſe operæ precium eſt, ad ventris ſubductionem illotam aloën aptiorem eſſe; multùm verò de medicamentoriâ vi deponere lotam.

Et *lib. 3. de ſimpl. med. facult. cap. 15. Si aloë adcuratè lavetur, aut debiliter, aut planè nihil ventrem ſubducit.* Tali modo elotam *aloën* compoſitionibus, roborationi potius, quàm purgationi inſervientibus, immiſcuerunt; cujus exemplum *Pilulæ Aloëphanginæ Meſues* ſuppeditarunt.

Et illud, quod poſt ejusmodi ablutionem remanet, eſt reſinoſa, ſive uti Zvelfero hîc dicitur, craſſior pars *aloës*. Etenim *aqua* ſive *ſimplex*, *fontana*, ſive *deſtillata*, *pluvialis*, *endiviæ*, *cichorij*, *acetoſæ*, *roſarum* &c. adhibeatur, partem *aloës* reſinoſam haud diſſolvit; ſed tantùm, uti nonnullis audit, aqueam, in qua potior vis ſolvens conſiſtit, adgreditur; quæ ſic ſoluta decantatur, atque novâ adfusâ aquâ labor eò usque continuatur, donec nihil ampliùs diſſolvi queat.

Unde non adeo inconcinnè *Schröderus*, ceu quidem putat Zvelferus, *Aloës* partem reſinoſam purgationi inutilem; aqueam autem idoneam eſſe, *Pharmac. med. chim. lib. 4. cl. 4. cap. 442.* exiſtimat, & eapropter, ſi virtus *aloës* purgans expetatur, neglectâ reſinosâ, aqueam, ſive in aquâ ſolubilem, à fecibus ſequeſtratam colligere, præcipit. Licet enim de virtute illâ laxativâ in reſinâ aliquid ſuperſit, vis tamen corroborans prævalet.

2. Ut magis intendatur vis ejus ſolutiva, de quo genere hîc ſermo eſt; dum *aloë*, v. g. cum *ſucco roſarum* aliquoties, uti *ter*, unde *Pilulæ de aloë roſatâ Auguſtanorum*; vel *novies*, unde *Patavinorum Pilulæ Aquapendentis* exſurgunt, infunditur, iterumque exſiccatur. Vel ſi cum *ſucco violarum* imprægnatur, ſicque decantatiſſimis *Pilulis angelicis* ſive *Francofurtenſibus* ortum dat; quas ideo *Joh. Schröderus*, *Medicus olim Francofurtenſium clariſſimus*, *lib. 2. cap. 73. Pharmacop.* duobus tantùm ingredientibus, ſcilicet *extracto propriè & impropriè dicto*, niti, ſcribit; econtra multorum ingredientium deſcriptiones genuinas eſſe, negans. Prout & *Dan. Sennertus paralipom. ad*

Inſtitut.

Institut. medic. lib. 5. part. 1. sect. 1. cap. 11. paralip. 17. experientissimos Medicos pro *Pilulis Angelicis* usurpare solere *Aloën violatam*, seu *Aloën purissimam succo violarum martialium* sæpius imbutam & iterum exsiccatam, testatur. Id quod ex aliis etiam Autoribus, & fide dignorum hominum relatione, clarum evadit.

Verum equidem est, impropriè nomen *Aloës lotæ* hoc modo paratæ *Aloë* imponi. Ast propterea ut mox abrogetur, necesse esse, indè non evincitur. Qui tamen à nomine *aloës* cum *succo rosarum* lotæ tantopere abhorret; ille *Aloën rosatam, cum succo rosarum insuccatam, imprægnatam, imbutam*, aut quocunque velit nomine, adpellet; dummodo in re ipsâ consentiat. Ista enim in medicinâ de nominibus curiosa & acerbior controversia, tanquam inepta, rectiùs omittitur.

Relictis PILULIS sequentibus DE ALOE ROSATA, atque *DE ALOE ET MASTICHE NICOLAI MYREPSI, pag. 108.* ad PILULAS DE AMMONIACO QUERCETANI *pag. 109.* accedit; in quibus, si *gummi ammoniacum* in *aceto*, & *myrrha* in *vino* dissolvatur, Sirupo pro massâ efformandâ, ulterius opus non esse, notat. Quod licet ita se habeat, si scilicet *aceti* & *vini* debita sumatur quantitas; cùm tamen Augustani *myrrham* in *vino* solvere, haud præcipiant, utique *Sirupum de stæchade*, vel *succo rosarum* pro effingendâ massâ adhibere, necesse erit, si *ammoniaco* nimium *aceti* non additum fuerit.

Notare etiam juvat, quod supra è Zvelfero adductum fuit, liquoris scilicet pro Pilulis effingendis quantitatem exactè haud determinari posse; unde si *aceti* & *vini* quantitas minor fuerit adhibita, reliquum *Sirupus de stæchade*, vel *succo rosarum* complere valet.

Licet autem *Myrrham* in *vino* dissolvere, non præcipiatur, nihil tamen exin his Pilulis quoad virtutes, & ipsam consistentiam decedit, si pulverisata tantùm reliquis permisceatur, ac probè cum iisdem subigatur; idque ipsius Zvelferi exemplo patet, qui in *Pharmacop. Reg.* Pilulis toties *myrrham pulverisatam*, non vino dilutam, adjungit.

In *Append. animadvers. Salia* quædam admisceri, notat, quæ si legitimè sine *sulphure*; aut *spiritu acido* parata sint, massam Pilularum semper humidam reddant; quod tamen incommodum pulvere aliquo, Pilulas exin formatas conspergendo, (ipsi enim massæ Pilularum nihil derogatur) ubi in usum trahuntur, præcaveri posse, facilè largior, qui etiam Pilulas has, aliasq; à Medicis præscriptas, *pulvere liquiritiæ, caryophyllorum, cinnamomi* &c. conspergendas esse, utplurimum præcipi, observo.

Folia

Foliis auri easdem obducere, ſtrictè non eſſe neceſſe, concedo; planè inconſultum verò dici debere, nego.

Admodum pauca tamen ſalium eſt quantitas, *ſcrupuli* nimirum *quatuor*, qui reliquorum ingredientium reſpectu *trigeſima quinta circiter* totius compoſiti *pars* exiſtunt. Unde in tanta quantitate dilatatæ particulæ ſalinæ, liquefactioni tam obnoxiæ ampliùs haud ſunt, præcipuè cùm ab addito *Aceto ſcillitico*, ad *gummi ammoniaci* diſſolutionem adhibito, quodammodo ſaturentur; atque inſuper *ſal abſinthij*, cujus *ſcrupuli duo* huc accedunt, ſi benè paratum fuerit, non tam facilè liqueſcere, è Zvelferi *animadverſionib. in ſalia vegetabilium* pateat.

In PILULIS ANGELICIS, SEU DE ALOE ET RHABARBARO *pag. eādem* malè *libras tres ſuccorum* cum *aloës librâ unâ* inſpiſſari, & ad ſiccitatem abſtrahi, animadvertit; cùm in iis ſuccis *rhabarbarum & agaricus* rectiùs extrahi potuiſſent, ſicque *vino* opus non fuiſſet; præcipuè quia illæ *quatuor unciæ vini*, *rhabarbari unciam unam*, *agaricíq; unciam dimidiam* ſufficienter extrahere nequeant. Non poſſum ſiniſtro huic judicio ſubſcribere, ſi ipſius Zvelferi ſententiam, quæ in *ſequenti Claſſe de Extractis* proſtat, ſequi animus eſt; cùm *agaricus* & *rhabarbarum* ſimplicia ſint nonnihil reſinoſa & ſulphurea, quibus extrahendis menſtruum analogum, ſive ſulphureum adhiberi debeat. In ſuccis autem iſtis aqueis qualitas illa ſulphurea non eminet, ſed potius in *vino*; unde huic, non illis extrahendi potior pars, ſi iterum Zvelferum conſulamus, debebitur.

Demus autem, *vini* adſignatam quantitatem pro omni virium *rhabarbari & agarici* extractione inſufficientem eſſe; parum tamen eſt, quod remanet; præcipuè cùm fortiſſima expreſſio, harum ſpecierum infuſionem ſubſequatur.

Contra hanc *vini* proſcriptionem Zvelferus ſibi objectum iri, veretur, *vinum* non ſolius extractionis gratia, ſed ut Pilulæ majoribus nobilioribusq; virtutibus imbuerentur, additum fuiſſe. Verùm neque hanc objectionem ſalva ratione admitti poſſe, mox regerit; quia illud *vinum* per evaporationem vel decoctionem abſtrahi, ſicque ejus ſpirituoſitas, in qua potiſſimæ *vini* virtutes reſident, exhalare debeat. Sed hujuſmodi objectiones plurimas quilibet ſibi fingere, iiſque chartam oblinire poteſt. Et cum Auguſtani non explicent, utrùm ſolius extractionis gratiâ, vel aliam etiam ob cauſam *vinum* additum velint, nihil certi determino.

Quilibet tamen ſibi perſuadeat, tantillum eſſe, quod ab iſtis *unciis quatuor vini* perditur, ſi *aloës libra una* cum *ſuccorum libris tribus* ad ſiccitatem abſtracta (ceu hîc Zvelferus loquitur) ſumatur; quin nihil planè deperdi, dici

dici posset, si illa correcta præparatio *Pilularum aloëphanginarum*, à Zvelfero tradita, & paulò superiùs examinata, genuina foret.

Quanquam *vinum* majoribus virtutibus Pilulas præsentes imbuere, dici queat, quatenus resinosam, uti modò innui, *rhabarbari* & *agarici* substantiam extrahendo, eandem Pilulis communicat.

In PILULARUM ARABICARUM NICOLAI, ARTHRITICARUM NICOLAI *pag. 110.* *ASSAIERET AVICENNÆ*, AUREARUM NICOLAI & *DE BDELLIO MAIORUM MESUES* *pag. 111.* animadversionibus Lectorem ad *Pilulas* prægressas *de agarico* & *aggregativas* remittit.

In *Aureis* tamen *Nicolai*, *tragacanthi mucilaginem* pro his aliisque Pilularum massis efformandis adcommodatam haud esse, notat; cùm promtè citoque nimis tales massæ indurescant; quare ejus loco *mel*, vel *infusionem rosarum* accipiendam esse, suadet. Conceditur, massam Pilularum cum *mucilagine tragacanthi* efformatam citius indurescere, quàm si cum *melle* vel *infusione rosarum* illa fiat; idcirco tamen mucilaginem hanc planè non adcommodatam esse, ideoque à Pilulis exulare debere, minimè sequitur.

Nec inferre licet: *mel rosatum* magis adcom̃odatum est pro massis Pilularum, quàm *mucilago tragacanthi*. Ergo hæc omnino non adcom̃odata est.

Sanius est *Poterij de* his *Pilulis aureis*, in *Pharmac. spagyr. lib. 3. sect. 3.* judicium, sic scribentis: *in officinis cum melle rosato compingitur massa, & meliùs, quam cum tragacanthâ in aquâ fœniculi maceratâ.*

Idem periculum omnes Pilularum massas, cum *succis* paratas, tandem manet, ut scilicet, aqueâ parte exhalante, indurescant; idcirco tamen succos nec ad *aurearum*, nec aliarum *Pilularum* efformationem adcommodatos esse, nemo sanæ mentis adfirmabit. Etenim licet massæ indurescant, facili tamen labore iterum emolliri possunt, præcipuè dum ea ejusmodi officinalium Pilularum massæ, ubi in usum traditur, & à Medico præscribitur, quantitas cum liquore adpropriato ut iterum diluatur, inque globosam formam effingatur, ferè semper in formulis præcipitur, vel ab ipso Pharmacopœo observatur.

PILULAS DE BENEDICTA *pag. 112.* & consimiles sine corpore, id est, *aloë*, aliisvé *succis inspissatis* aut *extractis*, solo *melle* efformari non posse, vel saltem difficillimè, putat; cumque species earum amarorem nullum habeant, haud difficulter in aliâ formâ propinari posse, monet. Miror, hominem tot annos in officinis pharmaceuticis versatum, talia proferre; cujus sanè frivolam objectionem ipsa αὐτοψία retundit, qua Pilulas hasce cum solo *melle* & speciebus non adeo difficulter parari posse, observatur.

Cæterùm

Cæterùm ſpecies *Benedictæ hujus* amarore ſingulari haud pollere, equidem non negabo; propterea tamen ex iis Pilulas fieri non debere, nulla eſt conſequentia. Aliàs ſpecies *Pilularum cordialium* & *cephalicarum*, *balſamicarum* ac *ſtomachicarum*, nec non *ſtomachicarum regiarum*, in *Pharmacopœiâ Regiâ* deſcriptarum, eodem jure in pilularem formam redigi non deberent; cùm amarorem ſingularem non obtineant, ſed aromaticum potius, non ingratum ſaporem poſſideant, ſicque haud difficulter in aliâ aliquâ formâ propinari poſſint, ſi neceſſitas earundem uſum efflagitet.

Majorem difficultatem involvunt PILULÆ DE CASTORIO AVICENNÆ *pag. eàd.* quia cum ſolâ *aquâ artemiſiæ*, non additâ *aloë* &c. efformantur. Unde maſſam neutiquam tenacem, ſed friabilem, vel pultis æmulam fieri, objicit. Verum eſt, non eandem tenacem cum reliquis Pilulis conſiſtentiam obtinere; ſed neque adeo impoſſibiles paratu ſunt; præcipuè ſi diligenti manu probè in mortario piſtentur.

Ut autem compactior maſſa fiat, *Hafnienſes tragacanthi mucilaginem* adhibent; cujus tantillum pro meliori maſſæ tenacitate adhibere nõ prohibeo.

In PILULIS COCHIIS, & HIERA PICRA RHASIS *pag. cit.* nec non *PILULIS DE COLOCYNTHIDE MESUES SEU JOAN. DAMASCENI pag. 113.* nihil notatu dignum invenio, niſi quòd Zvelferus *ſpecierum Hieræ picræ Rhaſis*, *Pilulas cochias ejusdem* ingredientium, determinatum pondus, quantitatem ipſarummet ſpecierum *exactè exæquare*, ſcribat. Sed in præfatis Pilulis *ſpecierum drachmæ decem*; in ipsâ autem Specierum deſcriptione *drachmæ decem & grana octo* præſcribuntur. Quod licet parvi momenti ſit, monere tamen volui, ut Lector illud: *exactè exæquat*, minùs exactè à Zvelfero additum intelligat.

PILULAS DE CYNOGLOSSO NICOLAI PRÆPOSITI, & CUM CASTORIO *pag. 113.* absque ſingulari animadverſione dimittit. Quam de gummatum diſſolutione profert, ſuperiùs jam enodavi.

De *opio* notat, illud, ne intensâ ſuâ vi narcoticâ noxam inferat, corrigi poſſe; ſi nempe in fruſtula conſciſſum ſuper laminam ferream torreatur; quò *opij* ſulphur narcoticum ſenſim exhalet, usque dum fumum emittere ceſſet. Hancque facilem & compendioſam, ſed genuinam opij præparationem vocat. Hæc correctio jam dudum Medicis innotuit, & ita nihil novi hîc edocet, ſed alienis plumis ſuperbit Zvelferus.

Nam præter Chimicorum plurimos, *Quercetanum*, *Billichium*, *Hartmannum* &c. ipſis etiam Veteribus hæc *opij toſtio* haud ignota fuit; prout ex *Dioſcoridis lib. 4. cap. 60. Galeno 3. de comp. med. ſec. loc. cap. 1. & 4. de comp. med. ſ. l. cap. 7.* patet; ubi *opij in vaſe fictili ſeu teſtaceo toſti* mentionem faciunt.

S Nec

Nec enim necesse est, ut præcisè *lamina ferrea*, à Zvelfero minoribus literis notata, adhibeatur, cùm & terrea huic operationi commodè inserviat. Sive enim in ferreo, sive terreo vase fiat, dummodo idem sequatur effectus, parùm referre, optimè monet *Billichius observat. ac paradox. chimiatr. lib. 2. cap. 2.*

Imò & in vitreo vase torreri opium potest, si magis artificiosè talis opij præparatio in M. B. instituatur.

Quid autem de tali *opij* præparatione statuam, in *sequenti Extractorum classe, Laudanum opiatum* de hac materiâ agendi ansam subministrabit.

Sequentes PILULÆ, nimirum *DE EUPATORIO MAIORES MESUES, DE EUPHORBIO MESUES pag. 114.* FOETIDÆ MAIORES EIUSDEM, DE FUMARIA AVICENNÆ, & DE HERMODACTYLIS MAIORES MESUES *pag. 115.* ab animadversione liberæ dimittuntur.

PILULARUM DE HIERA PICRA GALENI pag. 116. diversam quidem dat præparationem; quam, vel consimilem aliam, cui libet, sequi unicuique licitum est. Neque tamen illa ab Augustanis tradita, ullo modo reprobari idcirco potest.

Idem quoque de PILULIS DE HIERA CUM AGARICO *pag. eâdem* valet.

In reliquis PILULIS omnibus, usque ad illas DE SUCCINO CRATONIS, singulari notâ & correctione nil indigum notatur.

Sed PILULARUM DE TARTARO QUERCETANI, A D. D. DANIELE SENNERTO CORRECTARUM *pag. 122.* præparationem summopere efflagitare emendationem, Zvelferus sibi imaginatur; quam sequenti modo adgreditur, ita tamen, ut ratione ingredientium eam ad *Sennerti* mentem instituere se velle, polliceatur, re ipsâ verò non præstet. Quàm fideliter enim promissum hoc exsequatur, vel solus *pomorum succus* & *folliculi senæ* testantur.

1. Species prioris decocti cum sufficienti quantitate *aquæ simplicis* ad remanentiam *librarum duarum* Zvelferus coquit, & clarificat. In quo cum Augustanis exactè convenit.

2. Postquam in his *decocti libris duabus* species purgantes, nempe *folia senæ, turbethum, radices hellebori nigri* & *epithymum* digessit, decoxit & expressit, earum autem virtutem nondum penitus extractam esse, judicavit, cum aliâ aquâ simplici ulteriorem extractionem molitur. Augustani verò dictis *libris duabus decocti libram unam succi pomorum* adjungunt, & ita extractionem perfectiorem, quàm si solas illas *libras duas decocti* sumerent, absolvunt,

ſolvunt, parùm vel nihil virtutis in ſpeciebus remanente. (*Hafnienſes Medici*, ſi quid ſuperſit, perexiguum fore, cenſent.) Unde nec in hoc correctione indigent.

3. *Styracis unciam unam & dimidiam*, *macis*, *caryophyllorum*, *cinnamomi an. unciam dimidiam* cum *vini albi generoſi unciis quatuor* deſtillat. Non equidem nego, aliquam nominatarum ſpecierum ſpirituoſam partem hoc modo ſervari; verùm illæ *unciæ quatuor vini* an omnes iſtas ſubtiles particulas in ſe recipiant, non immeritò dubitari poſſet; ut ita ſuperſtites illæ in ſubſequenti coctione peſſum ire cogantur. Neque Auguſtani in ſua aromatum maceratione, & quatriduanâ in M. B. digeſtione; ſed in ſequenti demum cum *aloë* inſpiſſatione fragrantium partium jacturam faciunt. Prout idem quoque Zvelfero accidit. Nam licet in hac deſtillatione meliorem ſpirituum aromaticorum partem à fugâ retrahat, eos tamen maximâ ex parte in auras abigere, in fine præparationis cogitur; ſi juſtam maſſæ conſiſtentiam obtinere deſideret. Sicque res eodem ferè recidit.

4. Remanentiam à deſtillatione, adfusâ aquæ ſimplicis ſufficiente quantitate, adhuc parumper coquit, atque priori decocto adjungit. Mirari quis poſſet, quòd Zvelferus ſecundam hanc decoctionem ſine præviâ colaturâ, ſive ſeparatione *craſsiusculè contuſorum aromatum*, ſuperiori decocto addere præcipiat, quia talia *craſsiusculè contuſa aromata* Pilularum efformationi haud parùm obeſſe poſſunt.

5. Loco *aquæ*, *vinum album* in hac decoctione rectiùs ſumi, exiſtimat; cùm *ſtyrax vino* meliùs, quam *aquâ* ſolvatur. Negari equidem nequit, reſinoſam *ſtyracis* partem à *vino* meliùs, quàm *aquâ* diſſolvi; aſt cùm major *vini* ſpirituoſa ſubſtantia in decoctione avolet, minùs commodè *vinum* ſubſtituitur; & ideo *ſtyrax*, evaporato *vini ſpiritu*, vel à relicto phlegmate, quod inſtar aquæ ſe habet, iterum ſeparabitur; vel non: ſi ſeparatur, malè *vinum* illud additum fuit; ſin remaneat, idem cum *aquâ*, ſine *vini* deperditione, obtinere licet.

6. Præſtare putat, ſi illi *unciæ uni & dimidiæ ſtyracis*, *uncia una* detraheretur, & hujus loco *uncia dimidia*, vel *drachmæ ſex reſinæ ejusdem*, ſcilicet per expreſſionem, aut extractionem cum *ſpiritu vini* paratæ, de qua inferiùs in confectione *Theriacæ* agit, ad *aloën* adderentur. Aſt nec hoc ſingularem ἀκρίβειαν ſapit. Si enim tali modo parata *reſina ſtyracis* præſtantiorem reddit compoſitionem, malè ab *unciâ unâ & dimidiâ ſtyracis*, *uncia una* tantùm detrahitur; cùm potius omnem *ſtyracem* omittere, & ejus loco *reſinæ* pondus augere, præſtaſſet.

Quanquam nec *resina* illa tantas mereatur laudes, sive per expressionem, sive extractionem cum *spiritu vini* paretur, dum fragrantia *styracis* notabile damnum, ibi per institutam ebullitionem, hîc per destillationem, patitur.

7. *Myrrhæ unciam unam* cum dictis *unciis quatuor vini*, ab aromatibus abstracti, dissolvit, nec non in iisdem *aloën & cremorem tartari* diluit, additisque, Augustanorum ad exemplum, reliquis ingredientibus, massam Pilularum *justæ consistentiæ* efformat; quam dum per simplicem mistionem se obtinere, credit, nimiùm fallitur, quia potius extracti alicujus liquidioris, sive pulticulæ mollioris consistentiam eo modo adquirit, quæ in pilularem formam redigi minimè potest, nisi magna liquoris pars evaporet; ubi tamen non elementaris humiditas, sed aromaticarum specierum fragrantia, magno labore prius conservata, simul in auras pellitur.

8. Species, quæ has *Pilulas tartareas* ingrediuntur, nimirum *Diarrhodon Abbatis*, *Lætificantis Rhasis*, & *Trochiscorum de laccâ*, *adcuratissimo*, scilicet suo, calculo resolvit, & totius compositionis *Specierum diarrhodon* (prout in *Augustanorum Dispensatorio* describuntur) *trigesimam secundam partem* ingredientium circiter, nempe pro qualibet ℥j. *grana* xv. & pro qualibet ʒj. *grana* ij. addenda esse, monet. Verùm quia tota compositio *Specierum diarrhodon*, prout ab Augustanis traduntur, ʒxxxvij. *gr*. xj. continet; in his autem *Pilulis Quercetani* ʒj. earum præscribitur, non *trigesima secunda*, sed *trigesima septima* pars circiter sumenda erit; nec pro ℥j. *gr*. xv. aut pro ʒj. *gr*. ij. sed pro ℥j. *gr*. xiij., pro ʒj. *gr*. jß. circiter.

Sic & de *Speciebus Lætificantis Rhasis* non *sexagesima quarta*, sed *sexagesima prima* pars incirca, & pro ℥j. *gr*. viij. pro ʒj. *gr*. j. præter propter, non *gr*. vij. pro ℥j. addi debent.

Non minùs in *Trochiscis de laccâ* non pars *duodecima*, sed *decima quarta*, nec pro ʒj. *gr*. iv. sed *gr*. iv. *& pars tertia circiter grani unius* addenda sunt.

9. *Folliculis Senæ* non sine prægnante causâ *folia* ipsa se substituisse, scribit; cùm *folliculis* parùm admodum, vel nihil virtutis catharticæ insit. De quo dubio in *Trypherâ Persicâ* superiùs *pag. 79.* actum jam fuit, ut illud repetere opus non sit.

Ultimæ in ordine sunt *PILULÆ TURBITH AUREÆ MESUES pag. 124.* quas juxta modum præscriptum parari posse, concedit.

Cæterùm quæ in genere de reliquis Pilularum in *hac Classe* contentarum vitiis profert, sicco pede transeo, & usque dum illi errores harum, vel illarum Pilularum clariùs monstrentur, respondere differo.

RESTITUTA
CLASSIS SEPTIMA,
Extracta tradens.

EXTRACTUM AGARICI *pag. 125.* eo nomine animadversiones Zvelferi incurrit, dum 1. unicâ tantùm vice *spiritum vini ad eminentiam duorum vel trium digitorum* adfundi, qua ratione *agaricum* totâ suâ efficaciâ & resinosâ substantiâ neutiquam exui posse; quare bis, tervé illam *spiritus vini* adfusionem ad minimum repetendam esse, adserit. Verùm non videtur tantopere necessaria repetita ista super *agaricum spiritus vini* infusio, cùm *agaricum* non admodum, vel uti Zvelferus loquitur, *nonnihil resinosum* solummodo sit. Unde illa *spiritus vini* quantitas pro tam paucâ resinâ extrahendâ utique sufficiet, præcipuè cùm satis magnam resinæ alicujus, v. g. *gialappæ*, quantitatem à modico *spiritu vini* dissolvi, videamus.

Accedit etiam longior illa, per triduum nimirum, digestio, & expressio, quæ pro meliori solutarum particularum à terrestriori agarici corpore separatione facit.

Cui tamen exiguum illud, quod fortè cum fecibus remanet, pariter extrahere libet, etiamsi ter vel sexies *spiritum vini* adfundat, Augustanorum severiorem censuram non incurret.

2. Extractioni, colaturæ, & expressioni filtrationem liquoris frigefacti, vel tepidiusculi superaddere, necessum ducit, quò plurimæ partes terrestres & crassiores separentur. Si enim talis extractio *agarici* paulò calidior coletur, vel exprimatur, non adeo defecata transfluit; unde etiam in frigore denuo veluti concrescit. Verum equidem est, claram non impetrari solutionem, nisi ejus filtratio, postquam nonnihil frigefacta fuit, accedat. Ast hoc modo magnam resinæ partem in filtro remanere, deprehenditur; quam itaque minùs providè Zvelferus abjicit.

Præterea partes illas crassiores per expressionem ab *agarico* separatas, inutiles esse, probandum est.

In EXTRACTO SEU BALSAMO ALOES *pag. 126.* succum

cum resinosum esse *aloën*, qui solâ aquâ vix totaliter & verè dissolvi possit, scribit; quare *spiritum vini* ad ejusdem extractionem adhibendum suadet. Sed ipsi Augustani *spiritum vini rectificatum* adhibent.

Et quamvis *aquam endiviæ* vel *acetosæ* pariter hîc in usum venire posse, concedant, reprehensionem tamen haud merentur. Nam præterquam, quòd Ipsis in usu haud sit, aquas illas pro præsenti medicamento usurpare; unde minori literaturâ ista de aquis verba imprimi curarunt, Extractum, etiam hoc non tam corroborationi dicatur, quàm potius ut alvum lubricam reddat; quæ vis movendi ventrem majori ex parte illis *aloës* partibus inhæret, quæ ab aquâ promtè solvi possunt. Quanquam, uti supra quoque, innui, hoc ipso omnem laxandi facultatem *aloës* resinosæ parti dubiam reddere nolim.

Quin ipse Zvelferus aquea menstrua, uti succos, decocta, pro dissolutione *aloës* in *Pharmacop. Reg.* usurpat; uti *pag. 64. 65. 66. 67. 68.* luculenter id demonstrant.

In EXTRACTORUM SIMPLICIUM *pag. 127.* animadversionum frontispicio, *Paucos hodiè sedulos & peritos Pharmacopœos reperiri*, exclamat, & *numero vix totidem*,

quot Thebarum portæ, aut divitis ostia Nili.

Haud equidem instituti mei est, Pharmacopœos ab insigni hoc crimine vindicare; hocce tamen insigne facundiæ Zvelferianæ specimen esse, adfirmare ausim.

Si vos, ingenui Pharmacopœi, omnes adulari Zvelfero scivissetis, vix est dubium, quin omnes seduli & periti Pharmacopœi audivissetis, atque negligentium ac imperitorum pauci inventi fuissent, & *vix totidem*,

quot Thebarum portæ, aut divitis ostia Nili.

Pharmacopœis elogio isto mactatis, ad Augustanos Medicos revertitur, & Ipsorum *compositiones vix nuce cassâ dignas, præparationesq; nugacissimas* esse, maximè nugatur. Circa *Extracta* autem præstitisse putat, ut, *cùm in aliis præparationibus plus nimiò multoties se torserint Augustani, etiam in his, quæ sanè expertum & industrium Philosophum naturalem, qui quid & quantum in re quaque sit contentum vel reconditum, quidq; unumquodq; pati, & quid ferre recuset, optimè sciat, requirunt, paulò magis solertes se dedissent, nec ita negligenter cuncta Pharmacopœorum, aut eorundem ministrorum (qui frequentissimè nihil minùs sciunt, quàm quid unicuique rei affine sit & applicabile) discretioni reliquissent; memores, quòd medicamenta convenienti modo præparata Deorum manus sint, sinistrè verò elaborata sæpenumerò evadant toxica lethiferaq; venena.* Multa hîc censura indigerent, sed cùm generalia sint, nec ipsam parti-

particularem medicamentorum præparationem, quâ de ſermô eſſe debet, propriè concernant, obiter quædam attigiſſe, ſufficiat.

Exiſtimo autem, ſedulum & peritum Pharmacopœum, quales Auguſtani in ſuis officinis habere laborant, omnium optimè *experti & induſtrij Philoſophi naturalis*, qualem quidem hîc deſcribit Zvelferus, munus ſubire; utpote qui *quid* in hoc, vel illo vegetabili extrahendo, an nimirum reſina &c. ſit; & *quantum*, an magna vel pauca ejus quantitas contenta, vel recondita ſit; & conſequenter, an *ſpiritum vini, aquam* &c. ferat, optimè ſcit.

Ubi meritò locum invenit illud, quod Zvelferus *in fine Claſsis præced.* monuit, dum *aliud eſſe, medicamentum conſtruere: aliud, præparare*; illud Medicorum doctorum & expertorum eſſe: hoc verò Pharmacopœos in arte verſatos didiciſſe & exactè ſatis callere, convenire, docuit.

2. Injurius eſt in Auguſtanos Zvelferus, dum eos negligenter cuncta Pharmacopœorum, aut eorum miniſtrorum diſcretioni relinquere, nugatur. Quàm verum enim id ſit, ipſa Eorum *animadverſio in Extracta* (de quibus nunc agitur) demonſtrat, dum *aquas non ex omnibus medicamentis ſimplicibus vires elicere poſſe, ſed potiſsimùm ex herbis & radicibus non gummoſis aut reſinoſis, vel inſignem duritiem non habentibus*, notant; & ibi, veluti in *turbetho & mechoacannâ, ſpiritu vini* opus eſſe, clarè enunciant.

Nec indiſcriminatim miniſtris præparationes tales officinales committunt; cùm potius, ut ipſe Pharmacopœus præparationibus manum admoveat, vel dum fiunt, ſaltem præſens ſit, aut modum procedendi edoceat, velint.

Quanquam & ipſe Zvelferus multa Pharmacopœi judicio & ſolertiæ circa medicamentorum præparationem relinquat; ceu *pag. 164. 173. 194. 225. 243. animadverſ.*, & *Pharmacop. Reg.* multis in locis, cumprimis *pag. 26.* id teſtantur.

Pag. 185. apolog. contra Tackenium: Tam temerarius, inquit, *ego non ſum, ut doctiſsimos quoſque Viros inſcitiæ arguam, qui cum exercitatis Pharmacopœis ſuas præſcriptiones conſignant; illud vulgatum addendo: Fiat lege artis.* Sed hæc Zvelferi verba factis non reſpondent.

3. Medicamenta ritè præparata DEORUM manus eſſe; ſiniſtrè verò facta letifera ſæpius evadere, tam notum eſt, quàm quod notiſſimum.

Aſt non tantùm ritè præparata, ſed etiam debitè exhibita DEORUM manus ſunt; ac ſæpenumero medicamentum omnibus numeris perfectiſſimè paratum, ſi ab empiricâ, indoctâ, imprudentiq; manu (quæ rectæ rationi fortunam præponit) adhibeatur, letiferum evadit.

Quod

Quod in specie de *Extracto rhabarbari & foliorum Senæ* cum *spiritu vini* conficiendo profert, equidem tantopere non impugno; ea tamen etiam cum *aquis destillatis*, ad normam Augustanorum commodè parari, defendere sustineo; cùm & effectus eorum hoc modo paratorum satis unicuique pateat; ipse etiam Zvelferus eorundem simplicium virtutem multoties in *Pharmacopœiâ Regiâ* aquâ tantùm simplici elicere conetur. Vid. *pag. Pharmac. Reg. 31. 36. 37. 38.* &c. imò *ejusd. Pharm. Reg. pag. 79. Extractum rhabarbari* cum *aquâ cichorij*, vel *endiviæ* parari; sive *ejus essentiam cum aquâ aliquâ simpliciter destillatâ elici posse*, fateri cogitur.

Si quid verò resinosi habeant, quod aquæ extrahenti resistat; vel paucum & vix memoratu dignum esse illud, dicendum est, vel Zvelferum toties imperfectè simplicia ista duo extraxisse, concludetur.

Quod dein addit, omnia nempe purgantia à *spiritu vini* in sua virtute exaltari, maximè quæ resinosa sunt, non capio. Quippe *spiritus vini* iterum, dum extractum ad debitam consistentiam redigitur, abstrahitur, nil nisi pauco phlegmate remanente.

Ultimò frivolè menstruis aromata addi, objicit, quia partes eorum spirituosæ in decoctionibus & evaporationibus penitus avolent, nec quidquam virtuosi de illis remaneat. Sit ita, omnes spirituosas eorum partes avolare, nil quidquam tamen virtutis remanere, indè minimè sequitur; nisi quis rerum aromaticarum partes terrestriores inutilem & emortuam terram dicere amet; quod tamen falsum esse, ex hactenus dictis patet.

Nec sibi in hoc ullo modo contradicunt Augustani, (quod à Zvelfero fieri, tot exemplis jam evici) aut sui moniti, in *Extracto agarici* positi, immemores sunt. Etenim mala est consequentia Zvelferi, quam infert: Augustani unà cum purgantibus aromatica quædam simul extrahunt. Ergo *olea destillata* Extractis his jam paratis non addunt. Illud faciunt; hoc verò, ubi opus est, non omittunt, sicque & aromatum partibus spirituosis, sive volatilibus, & fixioribus Extracta illa sua nobilitant.

Quam subjungit gummatum divisionem, intactam relinquo, quæ pro variâ cujusque intentione varia fieri potest.

Quod attinet modum extrahendi simplicium resinas, à Zvelfero traditum, uti vulgaris is est, ita nil singulare in eodem quoque deprehenditur. Hoc tantùm est, quod moneam, posse quidem eâ ratione, quam proposuit, resinam à reliquo extracto separari, & vel cum *spiritu vini* solutam, vel *amygdalis* subactam iterum addi; necessarium tamen id esse, haud existimo. Quare, si cui libet, is omnia ad debitam extracti consistentiam simul evaporare permittat, postea, ut resina cum extracto non resinoso intimiùs cohæ-

reat,

reat, in mortario sedulò aliquandiu cum pistillo subigat, sicque particulas resinosas cum reliquis non resinosis optimè permisceat.

Nec duo illi à Zvelfero adsignati modi difficultate carent. Si enim cum *amygdalis* resina est subigenda, non unum incommodum suboritur, laborum nimirum multiplicatio, medicamenti totius, & consequenter cujuslibet doseos notabile augmentum, extracti facilior corruptio, &c. Namque resina 1. à reliquo extracto separari, 2. cum aquâ aliquoties elui, 3. in leni calore exsiccari, 4. pulverisari, 5. cum *amygdalis* contundi, 6. cum extracto non resinoso permisceri debet. Sicque dum resina cum *amygdalis* miscetur, in pondere notabiliter augetur; unde quoque doseos & molis medicamenti incrementum necessariò timendum est, quo ipso facilè ægroto nausea excitatur. *Amygdala* etiam addita cùm facilè, pulverisata imprimis, rancida evadant, extractum ut longiori tempore durare nequeat, efficiunt.

Notetur hîc resinæ cum aquâ frigidâ aliquoties lavandæ inutile & supervacaneum præceptum. Nam quod in loturâ illâ aufertur, non aliud quid est, quàm extracti non resinosi portio, quæ cùm similis sit reliquo extracto non resinoso, prius à resinâ separato, & consequenter utilitate non careat, frustrà cum aquâ eluitur; cumprimis quia post loturas cum dicto superstite extracto non resinoso resina elota iterum compingitur, atque ita denuo ab eo inquinatur.

Si verò resina cum *spiritu vini* solvatur (ut de laborum augmento nil dicam) atque extracto jam crasso & confecto addatur, si hoc frigefactum jam fuerit, liquidiorem, quàm extracto convenit, consistentiam largietur; sin calidum adhuc existat, *rectificatissimus spiritus vini* in auras pellitur.

Maximè etiam necessariam ἐγχείρησιν hîc omissam esse, observetur; dum resinam *spiritu vini* solutam extracto crasso addere, in minutiis persequendis aliàs prolixus, obiter præcipit; nisi enim diligens accedat agitatio, nulla perfecta resinæ cum cætero extracto permistio fiet, sed utrumque potiori ex parte disgregatum manebit.

Nec dubitandi de hoc ansam relinquit Zvelferus, qui ipse in *Pharmacopœiâ Regiâ*, illam resinarum cum extractis non resinosis simplicem permistionem, sufficientem esse, tacitè concedit; dum aliquoties *resinas styracis*, *abietis*, *ligni aloës* & *gummata resinosa*, nec *spiritu vini* soluta, nec *amygdalis* subacta, sed in suâ substantiâ aliis immiscet; prout illud *Classis Sexta Pilularum Pharmacop. Reg.* abundè evincit.

Reliqua, quæ longo ordine de *salium* per *spiritum vini* solutione enarrat, cùm Augustanos non tangant, illis, quibus ibi dica scribitur, examinanda

nanda relinquo; mihi ad reliquorum Extractorum examen Zvelferum sequi, animus est.

In EXTRACTO AGARICI COMPOSITO *pag. 130.* notat: 1. infusionem bis tervé cum *spiritu vini* repetendam esse; 2. resinosum cum *spiritu vini* solvi & extracto inspissato adjungi debere; 3. aromata frustrà extractioni addi, eorum verò loco olea ipsorum destillata in fine rectiùs permisceri. Verùm quod attinet 1. triplicem infusionem, eam, qui volet, observet. Augustanos tamen omnem specierum virtutem cum istis *mensuris duabus spiritus vini* extrahere, negare nemo potest; quas vel unâ, vel separatis duabus, tribusvé vicibus adfundere, perinde est.

2. Utrùm resina necessariò cum *spiritu vini* solvi &c. debeat, ex *antecedentibus* patet.

3. Pariter in *Balsami aloëtici examine* discussum fuit.

In EXTRACTO CATHOLICO *pag. eàdem, Species diarrhodon* malè correctionis loco addi, dum eas similesque vix quidquam corrigere posse, superiùs abundè se demonstrâsse, putat. Verùm nec malè adduntur, nec eas quidquam corrigere posse, adhuc probandum est. Objectiones enim illatas esse frivolas, superiùs abundè à me demonstratum fuit.

Si tamen Medicus aliquis strictè illas addi desideret, Zvelferus suadet, ut dictarum *specierum diarrhodon* ingredientia recentia, nec in pulverem redacta, sed saltem crassiusculè contusa vel conquassata huic extractioni addantur, omissis tamen, quæ vel à *spiritu vini* non dissolvi, vel extrahi possunt, vel quorum essentia licet extrahatur, nihilominus in abstractione extracti avolat. Inter illa, quæ omitti debent, quia cum *spiritu vini* extrahi nequeant, *margaritas, saccharum canthum, tragacanthum, & gummi arabicum* numerat. Sed nimiùm se ipsum decipit.

Concedo equidem *spiritu vini rectificato* difficiliùs ista dissolvi; ast in illo, qui à phlegmate suo superfluo nondum liberatus est (qualis hîc indigitatur) planè nihil solvi, falsum est, id quod *sacchari*, cujus *drachma una & grana undecim* ferè huc accedunt, in tali spiritu solutio comprobat.

Tragacanthum autem, *gummi arabicum* & *margaritæ* tanti non sunt æstimanda, ut loco *specierum diarrhodon*, in officinis nostris *usitatarum*, ingredientia earum substituantur; cùm *tragacanthi & gummi arabici grana quatuor* tantùm *circiter*, & *margaritarum* parùm ultra *granum unum*, hanc *unciam dimidiam specierum diarrhodon*, ad præsens Extractum requisitam, ingrediantur; quorum in gratiam, totam compositionem, aliàs in officinis prostantem, recenter dispensare velle, ridiculum foret.

Altera

Altera classis, illorum simplicium, quorum essentia avolat, uti *cinnamomi, caryophyllorum, moschi, galiæ moschatæ, seminis anisi, fœniculi, camphoræ,* (hæc enim à Zvelfero adducuntur) si quis obiter eam intueatur, magni quid præ se fert; ast intimiùs perlustrata, nihil singulare continere, observatur. Nam *cinnamomi, caryophyllorum, galiæ moschatæ, seminis anisi & fœniculi* parum ultra *grana duo*, *camphoræ* ferè *granum dimidium & quarta pars grani unius*, *moschi* nec quidem *granum dimidium* huc accedunt. Quod uti perexiguum est; sic in hac compositione, tam pomposâ correctione vix indiget.

Licet autem illa minutula vis fragrans in auras abeat, tota tamen eorum essentia propterea non amittitur, parte utpote crassiore, suis quoque viribus præditâ, remanente.

2. *Aloën* per se sigillatim extrahendam esse, præcipit, ne virtutis catharticæ è reliquis speciebus extractionem impediat, quia *succum aloëticum*, qui in *spiritu vini* citò resolubilis est, ita statim eum imprægnare arbitratur, ut ad ulteriorem extractionem minùs habilis evadat. Sed dum *sufficientem quantitatem spiritus vini* sumere, Augustani præcipiunt, eo ipso hanc inutilem Zvelferi objectionem diluunt.

3. *Dacrydium* seorsim extrahere, consultum ducit, quia totum resinosum est, cujus extracta resina, extracto jam perfecto, pulverisata, aut *spiritu vini rectificatissimo* dissoluta addatur. De hoc in *antecedd.* actum jam fuit; quare id repetere nolo; unicum hocce notans, *dacrydij*, quod totum resinosum esse, pronunciat, resinam pulverisatam extracto addere dum permittit, eo ipso solutione istâ cum *spiritu vini*, aut cum *amygdalis* contusione, tantopere opus non esse, Zvelferum confirmare.

4. Quod de *agarici* resinâ iterum monet, quid valeat, hactenus dicta ostendunt.

5. Concedit, omnia simul extrahi posse, sed majori tunc *spiritus vini* quantitate opus esse, & extractum minoris efficaciæ fieri, *præsertim si imperitus Pharmacopœus (quia non omnes, quod cuique affine & ex artis usu applicabile est, cuivis adhibere norunt) præparationem tentet, nec resinam debitè separet, iterumq; vel cum spiritu vini solutam, vel pulverisatam extracto commisceat.* Sit ita, majori quantitate *spiritus vini* opus esse ad specierum conjunctarum extractionem, quàm si separatim extraherentur; utrùm verò tali modo minoris efficaciæ evadat Extractum, dubito; nec, cur hoc ita fieri debeat, ullam causam video.

Imperitus autem Pharmacopœus, sive modum Augustanorum, sive Zvelferi, in hujus Extracti præparatione sequatur, minoris efficaciæ medicamentum efficiet.

Majores difficultates in EXTRACTO DIACARTHAMI, SEU CNICOPHARMACO ANDERNACI *pag. 131.* obtrudere nobis conatur Zvelferus, & quidem: 1. *specierum diambræ unciam* unam additam improbat. Nam præterquam quòd ingens precium compositioni addant; 2. earum fragrantiam & essentiam aromaticam, dum abstractio ad justam consistentiam extracti fit, omnino exhalare debere, contendit. 2. Impedire eas, quò minus *spiritus vini* ab ipsis jam saturatè imbutus, à reliquis catharticis essentiam sufficienter extrahere queat; nisi quis ulteriorem extractionem, reiteratâ recentis *spiritus vini* affusione, tentet. Sed facilè difficultates hæ, Zvelfero magnæ visæ, enodari possunt.

Quod ingens precium spectat, nunquam satis mirari possum inconsideratam hanc toties repetitam objectionem; cùm Zvelferus in *Pharmacopœiâ suâ novâ* medicamenta tam ingenti precio, propter carissima ingredientia, multoties oneret; ut ideo huic Dispensatorio *Regij* titulum meritò præfigi curaverit, dum fortunæ tenuioris homines iisdem gaudere vix habeant facultatem.

Nec uncia illa tantum precium extracto addit; cùm *uncia una specierum diambræ incompletarum* octuaginta cruciferorum monetæ Augustanæ, sive parte $\frac{8}{9}$. imperialis, in *Pharmacopœiâ Augustanâ* æstimetur; nunc si unciam hanc in tot iterum portiones dividas, quot doses *Extractum cnicopharmacum* continet, proh! quàm ingens precium exsurget!

Negari autem nequit, in *spiritus vini* abstractione, magnam fragrantiæ & essentiæ aromaticæ partem simul abstrahi; omnem verò virtutem simul separari à speciebus prædictis, falsum est.

Tandem *spiritum vini* à *speciebus diambræ* tam saturatè imbutum esse, ut ad ulteriorem extractionem ineptus evaserit, pariter negatur.

Et qua fronte Zvelferus hoc, tanquam indubitatum, adserere audet; cùm tamen Augustani *spiritus vini* quantitatem non determinaverint, sed hanc non denotando, tantum sumendum esse, innuere voluerint, quantum pro extractione specierum catharticarum sufficit. Quare, si v. g. *Mensuræ duæ* sumantur, quis eas ab *unicâ specierum diambræ unciâ* tam saturatè imbui, defendere sustineat, ut ad ulteriorem extractionem ineptæ redditæ fuerint?

2. *Turbethum, Dacrydium, & Agaricum* præbere resinam, objicit; quæ nisi exactè à reliquo extracto prius separetur, & vel pulverisata, vel recenti *spiritu vini* soluta, perfectè inspissato extracto addatur, minùs efficax præbeat Extractum, duplex incommodum involvens; nimirum quòd in *liquoribus* totaliter solvi non possit, & nil ferè operetur. Quare resinas tales in mix-

turis

turis purgantibus, ficcis, & liquidis, prius *amygdalis dulcibus*, vel *femine melonum* fubigere fuadet, cùm fecus parùm vel nihil operentur. Denominatæ quidem fpecies refinam præbent; aft ideo vel pulverifatam hanc, vel *fpiritu vini* folutam extracto addi debere, non fequitur.

Si enim, uti fupra jam monui, refina ifta unà cum extracto ad fpiffitudinem evaporato, absque præcedente illius feparatione &c. cum piftillo probè contundatur & fubigatur, optimè mifcetur, & tale Extractum eundem effectum dat, quem, fi refina pulverifata, vel *fpiritu vini* foluta, addita fuiffet, præftaret.

Quare fi hoc ab Auguftanis tradito modo paratum Extractum duplici incommodo laborat, ab utroque certè Zvelferianâ methodo elaboratum, immune quoque haud erit, id eft, nec in liquoribus totaliter folvetur, nec quidquam ferè operabitur.

Minùs autem circumfpectè de *liquoribus* in genere loquitur. De aqueis res quidem clara eft; in quibus utique & Auguftanorum, & Zvelferi Extractum perfectè haud folvitur; aft de fpirituofis ardentibus idem adfirmare non licet.

Unde illæ *Effentiæ*, five *Spiritus vini purgantes* plus quàm noti habentur; & ipfe Zvelferus refinas iftas in *fpiritu vini* folvere, paulò ante docuit.

Porrò fi univerfaliter verum eft, quòd *fcammonij* & *gialappæ* refinæ, nifi cum *amygdalis dulcibus*, vel *femine melonum* contundantur, parùm aut nihil operentur, falfum effe debet, quod in *Pharmacop. Reg. pag. 54.* de ipfis traditur, dum eas nonnunquam *nimiùm* operari, adferitur.

Similes tamen refinas cum *amygdalis dulcibus*, *femine melonum*, vel alio aliquo corpore oleofo, ut *nucleis pineis* &c. pro difgregatione particularum refinofarum, fubigere, non prohibeo.

Coronidis loco *Pilulas mafstichinas Pharmacop. Reg. pag. 67.* Lectori perpendendas fifto; in quibus nec *agarici refina* à reliquo extracto feparatur, nec ideo pulverifata, vel *fpiritu vini* foluta, *amygdalis*, *feminibusvè melonum* fubacta, reliquo, pro Pilulis nominatis elaborata extracto, adjungitur; ficq; harum Pilularum præparatio cum modo, ab Auguftanis obfervato, coincidit; & nihilominus *Pilulæ utilifsimæ* audiunt.

3. *Mannam granatam* non ipfi extractioni committendam, fed confecto jam extracto demum addendam effe, ftatuit; quia eft *materia, quæ tota refolubilis eft.* Hac ratione *dacrydium* quoque, quod totum refinofum in *præced. Extracti animadverfionib.* vocavit, & per confequens totum refolubile eft, ab extractione excludere debuiffet.

Eandem etiam ob caufam *pag. 66. Pharmacop. Reg.* in *Pilulis antihypo-*

chondria-

chondriacis secundis, & *pag. 68.* in *Pilulis de rhabarbaro*, *cremorem tartari* extractioni committere non decuit, sed confecto jam extracto, sive massæ, demum addere illum, æquum fuisset; namque est *materia, quæ tota resolubilis est.*

Manna verò *granata* non semper tam pura est, ut nullas heterogeneas partes in se contineat; quam itaque extrahere, non simpliciter inconveniens erit.

In EXTRACTO CHOLAGOGO QUERCETANI *pag. 132.* nimiopere labi *Quercetanum*, animadvertit, dum *succum rosarum* extrahendis enumeratis speciebus singulis, absque discrimine destinat, cùm succi prorsus inhabiles sint ad extractionem rerum, quæ in se resinam continent, quale imprimis *dacrydium*, quod totum ferè nil nisi resinam, nec ullum, vel exiguum ab impuritatibus admixtis extractum præbere, scribit Zvelferus. Sed hanc ipsam quoque censuram ipse incurrit, dum multoties in *Pharmacopœiâ Regiâ, classe 2. 3. 4. 5. &c.* purgantia, uti *mechoacannam albam, turbethum, agaricum & gialappam*, cum *aquâ simplici* extrahit; quæ tamen eodem jure ad extractionem rerum, quæ resinam in se continent, inhabilis est.

Sic etiam *mechoacannæ albæ & nigræ* extractionem *pag. 61. Pharmacop. Reg.* in descriptione *Passularum major. purgant.* cum *succo pomorum* molitur.

Cæterùm resinosæ illæ particulæ licet totaliter à *succo rosarum* non dissolvantur, accedente tamen *justâ digestione*, ab eo diluuntur, & à corpore terrestriori liberantur; ita ut post absolutam digestionem, dum *omnia calidè exprimuntur*, ipsæ quoque resinæ simul cum reliquo extracto, in succo hærente, separentur.

Quæ de odoriferis, scilicet *cinnamomo*, illisque, quæ *Trochiscos de berberibus* ingrediuntur, frustrà & præposterè additis, garrit, jam discussa sunt.

Gummi quoque *arabicum* & *spodium* (quæ nimirum pariter in *dictis Trochiscis* continentur) minùs commodè huc venire, putat; cùm *gummi arabicum* nil nisi meram mucilaginem Extracto huic communicet, & necquicquam corrigat, sed potius vires & efficaciam ejusdem infringat atque obtundat. Communicat quidem *gummi arabicum* Extracto huic mucilaginem suam; sed illa tanta non est, ut indè quidquam Extracto in debitâ consistentiâ decedat; quia si computatio fiat, ejus *grana viginti duo cum dimidio* tantùm huc accedere, elucescit; quæ sanè quantitas, si cum reliquâ Extracti mole conferatur, perexigua est.

Utique autem aliquid in hoc medicamento corrigere potest. Nam si in resinis aliqua residet acrimonia, quæ temperari debet; cur non idem in *resinâ scammonij*, quæ non postrema *Extracti præsentis cholagogi* pars est, attendere liceat?

Illud

Illud è *Pharmacop. Reg. pag. 54.* elucescit; ubi *amygdalas, omnes resinas* quasi dissolvere, earundemque *acrimoniam contemperare*, perhibetur. Pariter itaque gummi arabicum mucilagineâ sua substantiâ acres *scammonij* partes obtundere, & ad temperatiorem statum perducere valet.

Præterea quia *humoribus serosis, calidis & biliosis*, hoc medicamentum destinatur, *gummi arabicum* eâ ipsâ vi suâ eosdem contemperat.

Unde vires & efficaciam Extracti hujus non infringit, sed exaltat.

Spodium verò ideo perperam hîc adhiberi, putat, cùm omni suâ virtute per calcinationem spoliatum sit. De hoc infra in *Eboris præparatione* dicendi occasio dabitur. Quare monitum saltem hîc volo; etiamsi *spodium* nihil virtut isin se contineret, ob hoc solum tamen totam Trochiscorum compositionem reformare velle, minùs prudentis hominis fore, cùm ejus tantùm *grana septem & dimidium, Quercetani Extractum cholagogum* ingrediantur.

In EXTRACTO DIACITRI D. D. HIERONYMI REUSNERI *pag. 133.* Oedipum sibi exoptat Zvelferus, qui explicet: 1. qua ratione *pulpa pomorum citri expressi* cum *sacchari æquali quantitate* coqui possit & debeat; & ad qualem consistentiam vel spissitudinem? *Pulpam* enim *citri* non ampliùs succulentam, sed parumper tantùm humidam, ideoque dissolutioni *sacchari*, & coctioni prorsus ineptam esse &c. existimat. Davum licet potius, non Oedipum me venditem, inextricabile tamen ænigma hocce, ceu quidem Zvelfero videtur, haud difficulter solvi & explicari posse, statuo.

Si igitur per illud: *Rec. Pulpæ pomorum citri expressi*, intelligatur: *Rec. succi pomorum citri expressi*, ænigmatis solutio patescit.

Pulpæ enim vocabulum non tantùm pro parte fructus fibrosâ, post expressionem residuâ; sed & carnosâ ac succulentâ, in expressione prodeunte, sumi debet.

2. Scire desiderat, qualem spiritum addere conveniat? Utrùm ex sequentibus, uti *scammonio* &c. extractum prius parare, & ab extracto spiritum destillare cum liquore, eundemque superiori extracto addere, præcipiatur? Fateor, obscuriora quodammodo esse Augustanorum verba circa hanc materiam, non tamen tantâ idcirco agitatione digna; cùm ipsa ratio & reliquorum Extractorum præparatio, essentiam specierum denominatarum, cum *spiritu vini* paratam, addendam esse, Pharmacopœo monstret.

Subesse autem vel scribæ, vel typographi erratum, credibile est. Quare in posterum legendum esse existimo: *adde liquorem ex sequentibus cum spiritu vini extractum.* Et ita obscura illa satis explicata esse, arbitror.

EXTRACTI GUMMI GAMANDRÆ D. D. HADRIANI A MYNSICHT *pag. 134.* animadversiones prolixo discursu adgreditur, & utrùm

& utrùm liquores acidi vera & legitima rerum catharticarum corrigentia esse possint, disquirit; tandemque cathartica in viribus suis ab acidis impediri vel destrui, concludit; econtra veram correctionem, si purum ab impuro separetur, vocat. Quare etiam hoc Extractum, utpote cui *spiritus vitrioli* accedit, explodit. Negari quidem nequit, si nimiâ in copiâ, & indiscriminatim cuilibet cathartico acida addantur, sæpe sæpius vires ejus diminui. Propterea tamen de quovis acido atque purgante medicamento idem adserere, non licet.

De solo *gummi gamandræ*, videlicet de quo propriè hoc in locò agitur, ut dicam, eidem haud inconvenienter illa per acidum correctio adhiberi potest.

Etiamsi crudum quidem, scribit *Schröderus, non citra commodum adhiberi queat, attamen cùm nauseabundam possideat qualitatem, operæ precium duxerunt, hanc obtundere*. Cujus modum dein per *spiritum vitrioli* subjungit.

Nota quippe est gummi hujus ventriculum subvertendi & vomitum ciendi potentia; qua repudiatâ, si unica per alvum dejectoria expetatur; an illam facultatem emeticam adimere, & eum in finem acida, v. g. *spiritum vitrioli*, in usum trahere, piaculum censeri debet?

Sic nonnulli *antimonium*, cujus vis emetica neminem latet, cum acidis, e. g. *succo berberum*, vel *spiritibus salis, vitrioli* &c. præparant, ut ita non ampliùs vomitum cieat, sed per inferiora potius expellat.

Ut nil dicam de acidorum vi, segnem medicamentorum purgantium virtutem nonnunquam excitante, ac diversimodè adjuvante; id quod in *cremore tartari* sufficienter patet.

Dantur ex medicamentis simplicibus aliqua, quæ in substantiâ, licet majori dosi propinata, etsi segnius operantur, si resolvantur, cumq; aliis permisceantur, in minori postea multò efficacius vires suas exsequuntur &c. Idem expectare poteris à foliis senæ infuso, dummodo liquori guttas aliquot spiritus vitrioli prius adfuderis. Etenim hîc ℥ iß. id idem præstare observabis, quod absque eâ præparatione ℥ iij. segniter satis expedient. Verba sunt *Joh. Theod. Schenckij syntagm. compon. & præscrib. medicam. part. 1. sect. 3. cap. 1.*

Si verò omnis catharticorum per acida correctio, potius eorum destructio dicenda est, nullâ ratione Zvelferus ab eodem crimine absolvi poterit, dum multoties catharticis suis acida admiscet.

Sic *cremorem tartari*, qui meritò inter acida refertur, in quamplurimis medicamentis suis admittit. Consulantur *Pharmacopœiæ Regiæ Classis 2. 8. & seqq.*

Floram

Florum antimonij uncias duas cum *cremoris tartari integrâ librâ, pag. 412.* in *Mantiſs. ſpagyr.* pro medicamento purgante præparat.

Spiritum vitrioli antimonij purgantem in *eâd. Mantiſs. pag. 380.* adducit.

Ad utrumq; Sirupum emeticum vegetabilem, *acetum deſtillatum roſatum* adhibet *pag. 33. Pharmacop. Reg.*

Pag. 38. in *Sirupo mercuriali ſecundo*, *radices hellebori nigri*, *aceto roſaceo præparatas*, ponit.

Pag. 96. Pulverem catharticum antimonialem primum ex *ſcammonio*, cum *ſpiritu ſulphuris* imprægnato, *antimonio* per *nitrum* præparato, & *cremore tartari* componit.

Animadverſ. pag. 409. colocynthidis correctionem per ſuccos acidos commendat. Et quæ hujusmodi plura alia adduci poſſent.

De puri ab impuro ſeparatione, quam legitimam correctionem vocat, plurima dici poſſent: ſed hac vice unicum hoc quæro: qua ratione *vitri antimonij* cum *nitro* calcinatio *pag. 76. append. animad.* legitima correctio dicatur, dum nulla ibi puri ab impuro fit ſeparatio?

Quam ſubjungit *duplicem Extracti gummi guttæ præparationem*, ſingulare quid continere eas, haud deprehendo.

Et quidem *priorem* quod attinet; illam per ſucci hujus cum *ſpiritu juniperi* vel *granorum ſambuci* ſolutionem inſtituere, præcipit. Quaſi verò gummi hoc à tali ſpiritu ſingularem aliquam virtutem mutuaretur, cùm totus iterum ab eo abſtrahatur, ſeparetúrque; & ſi fortè quidquam de eo ſupereſſet, quò & illud eluatur, reſinæ ablutionem ſuperaddit.

Ubi notetur, Zvelferum hîc etiam voce: *lavare*, iterum uti, quam tamen ab Auguſtanis, & reliquis, tum Antiquioribus, tum Recentioribus Medicis uſurpatam, eliminare ſtuduit; quid enim per illam ablutionem tollitur? certè, ut ipſius Zvelferi teſtimonio de *aloë lotâ* utar, non aliud, niſi *ſuccus ſubtilior abluitur, & craſſiores partes retinentur*; ſive ſeparatur & aufertur aquea *guttæ gamandræ* pars, retineturque tantùm reſinoſa. Prout autem illam aqueam partem in *aloë* non inutilem judicat; ſic quoque in *gummi gamandræ* eandem repudiare haud decet. Neque fecum nomine venire poteſt, quod per illam loturam ſeparatur; *feces* enim jam ſegregatas eſſe, præcedens gummi ſoluti filtratio indicat.

Porrò *ſimplicem hanc præparationem*, qua nihil aliud, niſi ſola *gummi guttæ* reſina obtinetur, *ſine ulteriori alterius rei admiſtione ad uſum medicum ſufficere*, ſtatuit. Aſt ſi reſinæ aliis oleoſis rebus haud permiſtæ, ſed per ſe exhibitæ, nihil vel parùm operantur, vel letalia inducunt ſymptomata, uti *Pharmacop.*

U

macop. Reg. pag. 54. habetur, hæc etiam reſina eidem periculo obnoxia erit, *ſi ſine ulteriori alterius rei admiſtione* in uſum veniat.

Poſterior præparatio, quam ad mentem *Mynſichti*, ſed concinniorem, ſuo quidem judicio, inſtituit, quid magis concinnum contineat, vix adparet; niſi quòd ordo præparationis aliter tradatur, & *gummi gamandræ* partibus ſubtilioribus, ſive aqueis, aut non reſinoſis, Extractum hocce exuatur.

In EXTRACTO HOLAGOGO ANDERNACI *pag. 135.* I. illam de *ſpeciebus Diambræ* objectionem repetit, *nec quicquam in catharticis fortioribus corrigere eas poſſe*, ait, *niſi fortè indirectè, prohibendo nimirum, ne ſpiritus vini à dictis ſpeciebus ſufficienter imbutus, ad ulteriorem ſpecierum catharticarum extractionem quodammodo debilis vel inhabilis reddatur &c.* Non immeritò quis, Zvelferi *animadverſiones in Extractum diacitri* imitatus, ſibi Oedipum expeteret, qui interpretetur acutoque ingenio diſſolvat, & explicet mentem Zvelferi, ænigmaticè hîc expoſitam. Videlicet præſupponit Zvelferus, *ſpiritus vini libras duas & dimidiam* ab *unciâ unâ cum ſemiſſe ſpecierum diambræ ſufficienter* imbutas eſſe; & hanc vim nominatarum ſpecierum, *ſpiritui vini* impreſſam, prohibere credit, ne hic ad ulteriorem extractionem inhabilis reddatur. Ex ſententiâ autem Zvelferi, quam ubique aliàs ſatis generaliter jactitat, *ſpiritus vini ſufficienter* ſemel imprægnatus nil quidquam ampliùs extrahere valet; ſi illud toties ipſi decantatum axioma: *nihil recipit ultra modum receptivitatis ſuæ*, intueamur. Nunc quæro: à quanam re *ſpiritus vini ſufficienter* imbutus eſt? Reſpondet Zvelferus: à *ſpeciebus diambræ.* Ergo ſpecies hæ, quæ omnia *ſpiritus vini* ſpatiola (*ſufficienter*) impleverunt, ut nullus aliis recipiendis ſuperſit locus, in causâ ſunt, quò minùs ſpiritus de aliarum rerum eſſentiâ extrahere quid, & in ſe recipere poſſit. Hoc dum ita ſe habet; quomodo igitur hæ ipſæ ſpecies prohibent, ne *ſpiritus vini* ad ulteriorem extractionem debilis vel inhabilis reddatur? Quare ſi Zvelferus fundamento, quod pro multis Auguſtanorum medicamentis cavillandis poſuit, hîc voluiſſet inſiſtere, longè aliter, nempe *ſpecies diambræ prohibere, ne ſpiritus vini ab iis ſufficienter imbutus ad ulteriorem ſpecierum catharticarum extractionem ſufficiens vel habilis ſit*, inferre debuiſſet.

Sed hanc ipſam Zvelferi mentem fuiſſe, ponamus, nihil tamen ſolidi contra præſens *Andernaci Extractum* eo modo evincitur. Et quidem: 1. *Spiritus vini libras duas & dimidiam*, ut de *aquâ cinnamomi* nil dicam, à *ſpecierum diambræ unciâ unâ & dimidiâ ſufficienter* imbutas eſſe, pernegatur. Quæ enim quæſo inter *unciam unam cum dimidiâ ſpecierum ſiccarum*, & *uncias triginta liquoris* eſt proportio? an tam magnam liquoris quantitatem à tam parvâ ſpecierum doſi ſufficienter imprægnari poſſe, ut ulteriori extra-

ctioni

ctioni minùs habilis reddatur, quisquam ſanæ mentis adfirmabit? Si tam parvum pondus tantam liquoris copiam pro ſufficiente extractione deſiderat; quantus adparatus ad *Extracta Pharmacopœiæ Regiæ*, cum ſufficiente quantitate *ſpiritus vini* paranda, requiritur? Unicum *Extractum hydragogum pag. 77. ibidem, ſpiritus vini libras ſexaginta* efflagitaret.

2. An ſpecies aromaticæ eum in finem purgantibus tantùm adduntur, ut horum violentiam infringant, & non alia etiam de causâ? Aſt diverſum edocent *Pharmacopœiæ Regiæ* cathartica, quæ *odoris & ſaporis gratiâ* aromatica recipiunt. De aliis quoque uſibus pleni ſunt Medicorum libri, quos hîc adducere, non eſt neceſſe.

II. In materiâ de dictis *ſpeciebus diambræ* Auguſtanos cavillari pergit, & Extractum hoc catharticum, ratione partium craſſiorum ac terreſtrium ſpecierum aromaticarum (cùm ſubtiliores unà cum *ſpiritu vini* iterum avolent) in quantitate ſuâ manifeſtè augeri, atque ob id ejus doſin quoque majorem reddi, objicit. Quare ut Auguſtani *animadverſiones ſuas ſuper Extractum agarici, & hellebori nigri* in mentem ſibi revocent, exigit. In hiſce itaque ſpecies prædictas elidere ſtudet; quia: 1. ab earum partibus craſſioribus quantitas Extracti, & conſequenter doſis manifeſtè augeatur. Utrumque verum eſſe, ſi ponamus, propterea tamen ſpecies has omittendas eſſe, non ſequitur.

Aliàs eodem, ac majori quidem jure, ſic licebit argumentari: Zvelferus *Pharmacop. Reg. pag. 74.* dum *Extracto aſari, ſacchari unciam unam*; & *pag. 78. Extracto mechoacannæ nigræ* atque *albæ*, *Eſſentiam aurantiorum ſaccharinam*, pondere *unciæ unius* addit, molem horum Extractorum auget; unde etiam poſtmodum doſis eorum augenda eſt. Ergo *ſaccharum* & *Eſſentia aurant. ſacchar.* ab iisdem rejiciantur.

Zvelferus *Extracti hydragogi Pharmacop. Reg. pag. 77.* aliorumque quantitatem cum *amygdalis dulcibus* manifeſtè adauget; quare doſes quoque eorum augentur. Ergo *amygdala* indè ejiciantur.

Zvelferus *Pharmac. Reg. pag. 80. Extractum magiſtrale lenitivum* ob additos *flores roſarum rubrarum*, *ſantalum rubrum*, *radices acetoſæ & cichorij ſylveſtris*, ut & *cortices aurantiorum*, quæ ſimul ℥iijß. conſtituunt, in quantitate & doſi manifeſtè auget. Ergo ſpecies enumeratæ omitti debent.

Licet verò *ſpecierum diambræ uncia una & dimidia* ſumantur; cùm tamen in ſubſtantiâ non adhibeantur, ſed quod *ſpiritus vini*, & *aqua cinnamomi* ab iisdem extraxerunt, non adeo multum id eſſe poteſt; præcipuè cùm inſuper Extracti hujus inter valida cathartica locum tenentis, exigua doſis, & conſequenter, pro ſingulâ tali doſi, perexigua ſpecierum extractarum

quantitas existat; secus ac in citatis medicamentis Zvelferi, ubi partim multò major specierum quantitas extrahitur, partim non aliqua ex *amygdalis*; vel *saccharo* extracta pars, sed ipsa *amygdalorum sacchariq́* substantia sumitur; imò in *præcitato mechoacannæ nigræ extracto* ad *gialappæ extracti spissioris* ʒiv. & *resinæ ejusdem* ʒij. non suffecit ʒj. vel ʒiß. *amygdal. dulc.* adhibuisse, sed insuper *Essentiæ aurant. saccharin.* ʒj. addita fuit, ut ita tota hæc compositio, ʒviij. vel ʒviijß. continens, nimiùm ab *amygdalis* & *saccharo* aucta conspiciatur.

2. Quia ab Ipsis Augustanis contrarium, in *animadversionibus suis Extracti agarici*, & *hellebori nigri*, innuatur, quas ut revolvant, exigit. Haud gravatim sequar Zvelferum, & quid ibidem notatum sit, in mentem revocabo. Nihil autem, quòd pro Zvelfero militare posset, reperio.

In *Extracto agarici* hoc Augustani notant: *Alij loco spiritus vini aquam anisi, cui oleum ademptum sit, usurpant; correctivi loco id forsan adhibentes. Verùm corrigitur ejus extractio pro re & conditione ægri, aut morbi, addendo in singulas doses guttulam unam olei macis, nucis moschatæ, fœniculi, caryophyllorum, aut alterius similis.* Quo ipso obviam objectioni ire volunt, quæ Ipsis scribi posset; quòd scilicet in suo Extracto, cum *spiritu vini* facto, nullum corrigens adhibeant, secus ac illi, qui *agaricum* cum *aquâ anisi* extrahunt, & correctionis loco *oleum anisi* adjungunt. Posse enim pro re natâ oleum aliquod singulis dosibus addi, sicque Extractum corrigi, respondent.

Hoc ipso tamen, ad totam Extracti quantitatem corrigentia haud addi posse, minimè volunt; sed ea necessariò semper conjungenda haud esse, saltem innuunt.

Sed posito, hanc, quam Zvelferus sibi fingit & adprobat, Augustanorum mentem esse, scilicet quòd corrigentia non ipsi Extracto, sed singulis ejus dosibus addi debeant, eo ipso sese Augustanorum censuræ subjicit, dignumq́ue reformatione agnoscit; dum purgantibus suis toties corrigentia (quæ an saporem, odorem, vel aliud quid corrigere debeant, hîc non disquiritur) Elæosacchara, Essentias oleosas saccharinas &c. admiscet, non verò singulis demum eorum dosibus ea adjungit.

In *Extracto* autem *hellebori nigri* sequentia verba Augustani ponunt: *Nonnulli ad extractum hoc parandum aquam anisi recipiunt, alij alia addunt corrigentia. Nos simplicissimo hoc persæpè contenti fuimus, quando Ellebori malitiam, aromatum pro ejus correctione sibi jungi solitorum admixtione augeri ac fortificari, purgantemq́ ejus exorbitantem vim ab ipsis intendi notavimus.* Quibus verbis non simpliciter se opponunt illis, qui correctionis gratiâ huic hel-

leborato

leborato medicamento aromata addunt; ſed ſe, qui doſi hactenus ipſis uſitatâ ulterius uti, certis de cauſis, volunt, *perſæpe* ſimplici illo Extracto contentos fuiſſe, ſolùm indicant, cùm vehementem illam *hellebori* vim catharticam, ab aromatibus intenſiorem redditam obſervaverint

Sive itaque *hellebori extractum* cum, vel ſine aromatibus quis exhibeat; nullibi errat; ſi enim ſine illis, tunc doſi ordinariâ contentus ſit; ſin cum aromatibus, eò minori doſi utatur.

Si tamen hoc Auguſtanorum monitum tam generale eſſe, exiſtimat, illudque adprobat; eò majori virtute illa cathartica, quæ aromata recipiunt, pollere, ideoque in minori doſi, quam præ majori magis gratam eſſe, judicat, exhiberi poſſe, recordari, nec *ſpecies diambræ* rejicere debuiſſet.

Quanquam illa Auguſtanorum animadverſio non ad quodvis aliud medicamentum purgans extendi debeat.

III. *Aquæ cinnamomi* additionem reformat, dum ſcribit: *quæſo dicat mihi quis, in quem uſum aqua cinnamomi addita ſit? debet enim ad extremam guttulam usque in abſtractione extracti ad debitam ſuam conſiſtentiam exhalare, ut adeò nil quicquam de virtute vel eſſentia Cinamomi aut aquæ ejusdem ſpirituoſæ & aromaticæ, cum extracto remaneat. Et quis tam ſtupidæ mentis eſt, qui aſſerere auſit, quòd aquæ Cinamomi ſemel deſtillatæ ſpirituoſa & aromatica eſſentia, reiteratâ deſtillatione, cum aliis ſpeciebus factâ, denuò non elevetur, ſed iisdem quaſi compacta remaneat?* Idem eſt, ac ſi quis è Zvelfero quæreret: quem in uſum ipſe pro ſuis Extractis parandis *ſpiritum vini*, & in ſpecie *Pharmacop. Reg. pag. 79.* pro *Extracto rhabarbari*, *aquam cichorij*, vel *endiviæ* adhibeat? Videlicet, extractionis gratiâ tales liquores in uſum veniunt.

Quamvis autem iterum exhalare, vel potius, uti Auguſtanorum verba volunt, abſtrahi (quò ita plures in uſus ſupereſſe queat) *aqua cinnamomi* debeat; ſufficit, ſi ſcopum, cui deſtinata fuit, obtinuerit, ſi nempe ſpecierum virtutem elicuerit; prout etiam *aqua endiviæ* &c. poſtquam ſufficienter extraxit, in *Pharmacopœia Regia Extracto rhabarbari* ſeparari iterum debet.

Unde nemo niſi ſtupidæ mentis ſtatuere audebit, quòd Auguſtani deſiderent, vel adſerant, aromaticam *aquæ cinnamomi* eſſentiam in abſtractione cum reſiduo extracto compactam ſive fixam remanere.

Prout pariter nemo Auguſtanorum, vel quiſpiam alius ſanæ mentis adfirmabit, Zvelferum velle, ut *aqua cichorij*, *endiviæ* vel *ſpiritus vini* reiteratâ deſtillatione non elevetur, ſed extractis, ad quæ adhibitus fuit, quaſi compactus remaneat.

Sic Zvelferi mentem fuiſſe, neutiquam dixerim, quòd *aquæ cinnamomi ſemel deſtillatæ ſpirituoſa & aromatica eſſentia, dum iterum igni* cum *ſaccharo* in *Phar-*

Pharmacopœia Regia Classe undecimâ aliquoties illam committit decoquendam, *denuo non elevetur*, vel in auras non dissipetur, *sed iisdem quasi compacta remaneat.*

Negatur autem, quòd *aqua cinnamomi ad extremam guttulam usque in abstractione Extracti ad debitam suam consistentiam exhalare debeat.* Extractum enim pro illâ suâ debitâ consistentiâ obtinendâ omnis liquoris abstractionem haud permittit, sed ejus partem necessariò sibi vindicat.

Nisi fortè Zvelferus *aquam cinnamomi spiritu vini* spirituosiorem judicet; sic ut aqua illa, *spiritu vini* interea cum substantiâ extractâ, tanquam compedibus ligato, primùm exstillet, quâ per alembicum egressâ, tunc demum *spiritu vini* potestas abeundi quoque concedatur. Hoc tamen falsum esse, nemo non novit.

Imo *aquam cinnamomi* difficiliùs, quam *spiritum vini*, in destillatione adscendere, extra controversiam est.

Alia, quæ Animadversiones Zvelferianæ suggerunt, ex jam dictis, quid ferre valeant, patet.

Mutatæ, quam Zvelferus dat, Extracti hujus præparationis examen cum *antecedd.* coincidit.

Speciosæ in *EXTRACTUM*, quod jam *pag. 136.* sequitur, MAROCOSTINUM MINDERERI, cujus laudes celebrant *Guil. Fabric. Hildanus centur. 6. observat. 29.* & *Gregor. Horstius lib. 3. consult. & epist. sect. 3.* animadversiones *magnifici aliquid*, verba à Zvelfero mutuor, *primâ fronte polliceri videntur, quas tamen si quis intimiùs perspexerit, & pensiculatè ruminaverit, apertè deprehendet, ipsas* parum *salis vel acuminis in se reconditas habere, tantoq; viro*, qualem se ipsum æstimat, *ex cujus cerebello profecta sunt, prorsus indignas esse.*

Et sanè, si Zvelferus *Beati Mindereri tractatum*, sub titulo : *Aloëdarium marocostinum*, de hoc Extracto editum, sine præconceptâ inhumanâ reformandi libidine evolvisset, mitiùs fortè cum *Minderero*, quem singulari odio, ab Ipso tamen nunquam læsus, persequutus fuit, egisset.

Is autem in fine dicti *aloëdarij* hoc suum scriptum facie magis tersâ purioreque in publicum prodire potuisse, vel debuisse, fatetur ; cùm ipsi non licuerit, vel in maximâ occupationum farragine tantum otij non fuerit, ut majus ipsi tempus impertiri potuisset.

Unde laborum suorum non laudem, sed veniam petiit ; quibus *si acer Momi morsus aculeos suos subfixerit, qui jam alioquin aliorum labores & rodere & radere paratus semper existit*, tale responsum Momo dat :

Mome favere decet prodesse volentibus.

Sed

Sed potius, quid culpam in Extracto hoc mereatur, inquiram.

1. In *aquas* tot diversas *destillatas* involat, quas, compositioni huic adsignatas, necquicquam, qua corrigendo, qua extrahendo, præstare posse ampliùs, quàm aquam aliquam simplicem, aut pluvialem destillatam, objicit; & hoc probat: 1. quia si spirituosi quid habent, illud in extracti ad debitam consistentiam inspissatione, penitus evaporare necesse est; 2. aquæ destillatæ simplices ad rerum resinosarum extractiones inhabiles sunt. Sed 1. iterum negatur, quòd omne spirituosum in illis contentum, evaporet; cùm pars aliqua extracto conjuncta remaneat; quæ licet magni momenti haud esse videatur, præstare tamen aliquid valet.

Illud autem, quod separatur, non simpliciter evaporare dici potest, sed *in Balneo* abstrahitur, sicque ad ulteriores usus conservatur.

Nec opus est, ut aquæ illæ destillatæ corrigentis vice fungantur; cùm & alia, uti excipientia, adjuvantia &c. in compositis medicamentis locum inveniant.

Sic ipse Zvelferus aquas destillatas aliquoties in compositiones suas recipit, quæ tamen vel majori ex parte, vel totæ evaporare tenentur, atque ita nil corrigendo præstare possunt.

Exemplum suggerit *Pharmac. Reg. pag. 129.* ubi *sacchari libra una* cum *aquâ rosarum* soluta, ad tabulati consistentiam coquitur, & postea, additis aliis speciebus, trochisci indè efformantur, qui cùm solidam habeant consistentiam, & inter medicamenta sicca numerentur, vix quidquam ampliùs de *aquâ rosarum* in ipsis superesse potest.

De *aquâ cichorij & endiviæ* in *fine examinis praeced. Extracti* sermo fuit.

Etiamsi verò tota ista aquarum substantia evaporaret, nihil tamen referret, dummodo scopum primarium, extractionem scilicet, obtinuerint; quo de pariter in *anteced. Extracto* jam actum fuit.

Negatur autem 2. *aquas destillatas* in hoc Extracto recensitas ad rerum resinosarum extractiones simpliciter inhabiles esse; videlicet si res illæ resinosæ, præter resinam, alias etiam aqueas partes contineant; ubi has tantùm ab *aquis destillatis* extrahi, non verò illas, faciliùs concederem. Ast enumeratæ in *Extracto Marocostino* species resinosæ alias etiam virtute insigni præditas partes habent, quas *aquæ destillatæ* promtè resolvunt, atque in se recipiunt.

Quamvis neque Zvelferus in hoc negotio ubique circumspectum se gesserit. Unde resinosarum rerum extractionem cum *aquâ* aliquoties molitur, ceu *agaricum, mechoacanna alba, turbethum* abundè testantur.

Agarici

Agarici exemplum *Pharmac. Reg. pag. 36. 40. 42. 45. 51. 53. 68*, *Mechoacannæ pag. 36. 44. 45. 46. 48. 51. 60. 67*, *Turbethi pag. 48. 51. 53.* suppeditant. Imò *pag. 44. 45. 51. 60. 67*. horum catharticorum decoctionem repetitâ aquæ adfusione continuandam esse, scribere audet, *quoad omnis virtus cathartica extracta sit*.

Nunc, si vis cathartica, v. g. *turbethi*, uti *Animadvers. pag. 127.* adstruit, in resinâ quoque consistit, & hanc extrahendi *aquæ simplici* nulla, uti multoties Augustanis objicit, inest potentia; qua fronte in citatis aliisque locis *omnem virtutem catharticam*, mediante *aquâ simplici*, extrahere pollicetur? Si hæc vis *aquæ simplici* inest, cur non etiam *destillatæ?*

Hinc si error ratione extractionis in hoc *Extracto Mindereri* commissus fuit, Augustani sanè faciliùs excusari merentur; quia Ipsi haudquaquam scribunt, res illas resinosas cum enumeratis aquis eò usque extrahendas esse, *quoad omnis virtus cathartica* &c. prolecta fuerit.

Nec certè *Mindererus* totalem virtutum extractionem factam esse, prout paulò postea dicetur, venditat.

2. *Gummi ammoniacum & myrrham*, licet *aceto* nonnihil diluantur, ab adfusis tamen aquis iterum præcipitari, & vix quidquam ab illis dissolvi, quod verè dissolutum dici mereatur, atque per chartam emporeticam transeat, regerit. Sit ita, quòd *myrrha* & *ammoniacum aceto* diluta, per aquas destillatas iterum præcipitentur; ast propterea non destruuntur; illudque quod præcipitatur, pars resinosa saltem erit; aquea autem, quæ certè non omnis expers est virtutis, ab aquis destillatis verè solvetur, per chartam emporeticam transibit, sicque *Extracto Marocostino* symbolum suum addet.

3. Pariter *aloën Socotrinam* in *Mucharo rosarum* solutam à *limonum succo* plurimùm præcipitari, objicit; sed absque fundamento; *succus* enim *rosarum* & *limonum* sibi invicem permisti *aloë* adfunduntur. Deberet igitur *succus rosarum aloën* adgredi, & interea *succus limonum* ab opere extractionis feriari, qui tunc demum, ubi *succus rosarum* extractionis munere jam defunctus fuit, vires illas præcipitandi exsereret; quod nemo fortè dixerit.

Ast si rem ita se habere ponamus, nihilominus pars *aloës* aquea ab aquis destillatis eodem modo, quo *ammoniacum & myrrha*, solvetur.

4. *Agaricum trochiscatum*, utpote resinosum, *succis herbarum*, & *lignum aloës, costumq́ verum aquis destillatis* perfectè extrahi non posse, scribit. Sit ita; sufficit, aliquam simplicium istorum partem extractam fuisse.

Aliàs, si tam insigne erratum est, in idem impegisse Zvelferum, ideoque ipsum prius reformandum esse, dicetur; prout paulò superiùs idem monstratum fuit.

Tenendum

Tenendum verò eſt, *Mindererum* probè ſciviſſe, in illâ primâ extractione non omnes ingredientium partes diſſolvi. Hinc aquam à primo extracto abſtractam relictis ſpeciebus adfundere, & id, quod in ipſis ſupereſt, levi etiam per linteum expreſſione inſtitutâ, per quam major reſinoſarum particularum pars ſimul exprimitur, ſeparare jubet. Quod, ne ipſius jactura fiat, vel cum priori extracto conjungi, vel *Mindereri* exemplo, ſeparatim adſervari, inque majori doſi, quàm primum extractum, quod potentius agit, pauperioribus diſtribui poterit.

5. Quid ex *ligni aloës gummoſi drachmis duabus*, *aquæ deſtillatæ* extrahere poſſint, quærit? Ne prolixus ſim, reſpondeo: illud extrahent, quod aqua iſta deſtillata in *Sirupo cephalico ſecundo Pharmacop. Reg. pag. 9.* ex *drachmis duabus ligni aloës ponderoſi* extrahere debet.

6. Quid *aqua cinnamomi* in *agarico* & *rhabarbaro* corrigere poſſit, dum penitus iterum exhalare debet, quærit? Ponamus, aquam hanc totam iterum exhalare debere, *Minderero* tamen tantam propterea litem movendam eſſe, non exiſtimo; cùm exigua ſit ejus doſis.

Viciſſim autem ſimilem inſtituo quæſtionem: quid *aqua cinnamomi* v. g. *pag. 122. Pharmacop. Reg.* in *Morſellorum cephalicorum*, & *pag. 123. confortantium virilium* deſcriptione, corrigere poteſt, dum ferè tota iterum exhalare debet?

7. Quomodo *marum* (debuiſſet etiam *crocum*, *coſtum* & *lignum aloës*, cùm eodem ſub titulò ponantur, adjungere) *ſucco citri* & *aquâ roſarum* diſſolvi poſſit, interrogat? herbam enim extractioni, non diſſolutioni aptam eſſe, ſtatuit. Criticum denuo agit Zvelferus, ſed eo ipſo parùm cautè, pro more ſuo, procedit. Si enim herba extractioni apta eſt, etiam diſſolutioni aptam eſſe dici poteſt.

Quia duo chimicarum operationum capita vulgò recenſentur, διάκρισις & σύγκρισις, *ſolutio* & *coagulatio*, atque ſub illâ, nimirum ſolutione, tanquam ſub genere, *extractio* etiam continetur.

Hinc ſi *marum*, cum Zvelfero, extractioni aptum eſſe dicam, neceſſariò ſolutioni quoque illud aptum pronunciare teneor.

Et quæſo, quid eſt extractio aliud, niſi partis reſinoſæ, alteriusve naturæ, à reliquis terreſtrioribus, à quibus quaſi vincta tenebatur, ſolutio?

Si autem Zvelferum vocem ſolutionis in ſpecialiori ſenſu accipere, quis regerat; ſcilicet ubi particulæ rei alicujus totaliter in liquore aliquo abſorbentur & ſolvuntur, prout exemplum illius *reſina gialappæ* in *ſpiritu vini*, *tragacanthum* in *aqua* ſolutum exhibet; econtra extractio dici debeat, quando

partes aliquæ heterogeneæ ſolutionem ſubterfugiunt, nec unà cum reliquis diſſolvuntur; Zvelfero facilè adſentior, herbas cum *ſucco citri* & *aquâ roſarum* vulgari illo modo extrahi, non verò diſſolvi poſſe.

Aliàs *dacrydium*, quod *totum reſinoſum* vocat, in *animadverſ. Extr. catholici pag. 131.* Zvelferus extractioni committit; quod tamen, quia *totum reſinoſum*, rectiùs ſolutioni, ſi præſentem ejus animadverſionem conſulamus, non extractioni aptum eſſe, dicitur.

Sed quid hîc per vocem: *diſſolvantur*, Auguſtani velint, omnium optimè ipſe *Mindererus* explicat; qui *cap. 1. ſui aloëdarij*, *marum* &c. in *aquâ roſarum* & *ſucco citri diluere*, item cum iis *madefacere*, præcipit; dum autem diluitur & madeſit, certo reſpectu, quod diſſolvatur, dici quoque poteſt.

Simile in *claſſe Pilularum* innuit Zvelferus, *v. g. pag. 108. aloën cum ſucco roſarum lotam* nil aliud eſſe, ſtatuit, *quàm aloën ſucco roſarum diſſolutam*, ſive *humectatam*, vel *dilutam*.

Et ſic nondum video, quòd hæc ompoſitio *quot ingredientia, tot craſſos & abſurdos errores comprehendat*, quin potius *animadverſiones* ei dicatas craſſas & abſurdas vocare, cogor.

Cui tamen alius *Extractam hoc Marocoſtinum* conficiendi modus arridet, eum per me obſervare poteſt. Mei enim inſtituti tantùm eſt, traditis Auguſtanorum compoſitionibus Zvelferi animadverſiones opponere, & quid in utrisque admitti poſſit, inquirere; nec dubito, quin hujus aliarumque compoſitionum meliores præparandi modi dari queant; quorum tamen perfectio, in ſummâ mundanarum rerum imperfectione, ſperare nunquam liceat.

Sed miſſo *Mindereri Aloëdario*, ad EXTRACTUM MELAMPODII, SEU ELLEBORI NIGRI EIUSDEM AUTORIS *pag. 138.* me confero, in quo nil correctione dignum Zvelferus invenit, niſi quòd ſubtilius & efficacius ut fiat, illud per præſcriptam cum *aquâ ſimplici* extractionem paratum, adhuc ſemel *ſpiritu vini rectificato* extrahere, præcipit. De hoc tamen meritò dubitatur.

Illud, quod ab iſtâ cum *ſpiritu vini* ſolutione indiſſolutum relinquitur, feculentarum partium nomine minùs commodè venire, ſtatuo, cùm & ipſi virtutem catharticam ineſſe, credibile ſit. Licet autem cum *ſpiritu vini* diſſolvi nequeat; idem propterea in corpore humano ipſi evenire, dicendum haud eſt; ventriculus enim hominis non *ſpiritus vini* æmulum menſtruum, ſed aqueum potius &c. poſſidet.

Eſto, per *ſpiritum vini* ſubtilius Extractum fieri, non tamen idcirco ſimul efficacius redditur; cùm magna particularum purgantium pars auferatur.

Hinc

Hinc probè notandum est, quod ipse Zvelferus *Pharmacop. Reg. pag. 76.* de hoc *hellebori Extracto* profert, dum scribit: *nec tamen negandum, prius cum aquâ simplici cocturâ paratum extractum multò potentiùs & violentiùs operari.* Ergo nova illa cum *spiritu vini* facta extractio labores sumtusque Pharmacopœorum auget, simulque inefficacius medicamentum efficit.

Quod de prolixâ & intricatâ *Quercetani* præparatione &c. addit, cùm Augustanos non tangat, sicco pede transeo.

Tandem *radices hellebori* decoctas vel extractas virtutibus suis privari potius, quàm exaltari, existimat. Unde iisdem contusis, pulverisatis, vel infusis plus præstari posse, concludit. *Radices hellebori* per decoctionem, vel extractionem virtutibus suis privari, quidem concedo; sed illud, quod ita ex ipsis elicitur, vel extrahitur, viribus privatum esse, falsum est.

Vires *hellebori* in hoc Extracto exaltare, Augustanis animus non fuit, sed tantùm easdem in corpore crasso ipsarum radicum dispersas, in minorem molem contrahere, & ita magis acceptas adsumentibus reddere.

Perire autem aliquam virtutis particulam in cocturâ & extractione, ut Zvelfero largiar; satis tamen efficax remanere Extractum, experientiâ docemur.

Ista verò particula si tanti momenti est, eamque conservare, si necessarium; Zvelferus duplici nomine reprehendi meretur, videlicet dum *radices hellebori* aliquoties coquit & extrahit, (v. g. *Pharmacop. Reg. pag. 33.* in *Sirupis emeticis vegetabilibus*; *pag. 55.* in *Electuario communi*; *pag. 67.* in *Pilulis panchymagogis*; *pag. 79.* in *Extractis panchymagogis* &c.) tum quoque sciens volensque hoc peragit.

In EXTRACTO DIAPOEONIAS D. D. MINDERERI *pag. 139. aromaticum odorem & saporem ferè totaliter adimi*, atque unà cum *spiritu vini* in auras evanescere, statuit Zvelferus, *relicto extracto spirituosâ & balsamicâ essentiâ penitùs orbato.* Tam paucis interjectis lineis sibi contradicit Zvelferus! Namque balsamicam & aromaticam ingredientium essentiam *ferè totaliter adimi* tradit, sicque voculâ illâ: *ferè*, aliquid, paucum licet, de eâ superesse, concedit; & nihilominus mox id, quod remanet, essentiâ illâ *penitùs orbatum* esse, objicit.

Licet itaque maximâ ex parte essentia spirituosa cum *spiritu vini* abstrahatur, eapropter tamen Extractum hoc virtutibus, quæ ei adscribuntur, non destituitur; cùm non omnis vis parti spirituosæ adscribi possit.

Quamvis libenter concedam, efficacius medicamentum fore, si unà cum Extracto spirituosæ quoque illæ partes conjungantur; quod pro Medici arbitrio, morbi necessitate, & ægri constitutione, facilè, ubi in usum trahitur,

obtinere licet; præcipuè quia spiritus ille dum ab Extracto abstrahitur, non in auras pellitur, sed destillatione revocatur; sic ut, necessitate exigente, illum etiam, Extractum in eo solvendo, vel alio modo propinando, adhibere liceat.

Verùm & ipse Zvelferus *Extracto suo antepileptico Pharmacop. Reg. pag. 80.* magnam balsamicæ essentiæ partem subtrahit. *Specierum* enim *unciæ septendecim cum dimidiâ* in eo ponuntur, quarum essentiam balsamicam (nam pariter singulæ propemodum aromaticum saporem & odorem possident) cum *unciis tribus circiter spiritus vini rectificati*, destillatione unâ tantummodo factâ, separare laborat; quam exiguam *spiritus vini* quantitatem tantæ specierum farragini minimè sufficere, nemo dubitabit; imprimis si hujus Augustanorum Extracti reformatam à Zvelfero præparationem conferat, ubi *specierum unciis quatuor & dimidiæ circiter, spiritus vini rectificati libram unam* adhibet, atque cùm unicâ destillatione omnem vim aromaticam haud separari, arbitretur, *spiritum vini* semel abstractum, secundâ etiam vice ab iisdem speciebus abstrahere, docet. Quare si omnem vim aromaticam in proprio suo Extracto obtinere velit, necessum erit, ut *spiritus vini* quantitate *ultra tres libras* auctâ, ac destillatione repetitâ, essentia indè conficiatur.

Cæterùm Extractorum artificiosam elaborationem traditurus *Philippus Müllerus lib. 4. miracul. chim. cap. 1.* species cum menstruo extrahit, spiritum, ab hac extractione primò prodeuntem fragrantissimum, separatim excipit, & reliquo ad spissitudinem mellis redacto conjungit, inque M. B. digerit.

EXTRACTUM PILULARUM ARTHRITICARUM, AUREARUM, COCHIARUM, FOETIDARUM, FUMARIÆ, & SINE QUIBUS *pag. 140.* explodit, & ut quilibet ipsarum Pilularum massis contentus sit, suadet; quatuor priorum præsertim, quarum compositiones multa ingrediuntur, quorum virtutes in abstractione Extractorum penitus exhalent. Verùm quod à virtutibus ingredientium exhalat, partim perpaucum est, & nihil, juxta ipsius Zvelferi sententiam, in catharticis corrigit, partim vi purgante, qua enumeratæ Pilulæ gaudent, destituitur. Unde illarum minùs necessariarum partium jacturam non tanti æstimare debuisset.

Accedit, Pilulas istas in Extracti formam redactas, minori dosi, (cujus aliàs studiosum se esse, Zvelferus videri vult) & sic majori cum jucunditate usurpari posse, quàm si in pilulari formâ exhiberentur.

Qui tamen ipsis Pilularum massis contentus esse vult, me non obstante, illud faciat; dummodo ridiculâ superstitione Extracta non rejiciat.

Addat etiam Extractis *olea destillata*, si è re fuerit.

Augustani & olea addere norunt, & vel Extracta, vel Pilulas præscribere; prout scilicet è re ægri esse, observant.

Nunc

Nunc LAUDANUM OPIATUM *pag. eàd.* ſe offert. In quo I. ſtupidiſſimum vocat, *Opium* in *Aceto roſaceo* macerare, rurſusque exſiccare; dein cum *ſpiritu vini rectificato* extrahere, & poſtquam per *octiduum* (Auguſtanos enim *quindecim dies* ponere, falsò ſtatuit Zvelferus) infuſum ſteterit, lento igne hunc iterum abſtrahere, tandemque cum *ſpiritu vini*, *Speciebus diambræ eſſentificato*, denuo ſolvere & exſiccare. Nam *opium* cum *Aceto roſaceo* verè & genuinè haud corrigi, *ſpiritum vini diambratum* autem nil *opio* communicare, aut corrigere, infert; quia totus iterum exhalare debet, relictâ ſaltem particulâ extracti inutili, doſin Laudani augente. Stupidiſſimum hoc judicium paulò adcuratiùs excutere, decet.

1. Acetum quod ſpectat, illud verè & genuinè *Opium* corrigere, negat. Dicat autem mihi quiſpiam, probetque, in quonam genuina illa correctio itaque conſiſtat? Zvelferus hîc, & præcipuè in *Pilularum de cynogloſſo animadverſ.* ſulphuris narcotici, ſive immoderatæ & nocivæ vis narcoticæ exhalationem, cum aliis nonnullis venditat. Quod an vera & genuina correctio dici queat, non ſine causâ dubitari poteſt.

Aſt ſi talis ſit, illa, quæ per *acetum*, ſive alios liquores acidos, uti *ſpiritum vitrioli*, *ſalis*, *ſuccos acidos* &c. correctio inſtituitur, quò minùs, vera & genuina audiat, nihil obſtat.

Nam 1. liquores iſti acidi vim narcoticam *opij* quodammodo infringunt, ipſo teſtante hoc Zvelfero in *animadverſ. Laudani præſentis.* Unde majori quoque in doſi tale *opium* exhiberi poſſe, nonnulli obſervant.

2. Dum *opium* in *aceto* ſolutum iterum inſpiſſatur; cum his *aceti* partibus avolantibus aliqua etiam fœtidi ſulphuris pars abripitur.

2. *Spiritus vini diambratus* dum totus exhalare debet, eo ipſo *opium* verè corrigi, ſi fundamento Zvelferi inniti libet, dicendum erit. Quia enim ſulphuris narcotici fœtidi exhalatione *opium* genuinè corrigitur; quis in hoc Auguſtanorum præparationis modo illud ipſum fieri, negare audeat? *Opium* etenim cum dicto *ſpiritu vini diambrato*, ut graveolentia *opij* expiret, per menſem digeſtioni ſubmittitur, ſæpius agitatur, ſenſimque inſpiſſatur.

Ac multò benignior ſecuriorque eſt, blanda hæc ſulphuris fœtidi, quàm violenta illa per toſtionem quæſita, evaporatio.

Sed hac ratione partem ſaltem ſpecierum craſſiorem, atque inutilem & *Laudani* doſin augentem cum *opio* relinqui, Zvelferus objicit. Utique pars craſſior remanet, quæ tamen neque inutilis planè eſt, neque *Laudani* doſin tantopere adauget.

Licet pars ſubtilior majori penetrandi vi polleat, craſſiorem tamen non omni utilitate carere, aliquoties oſtendi.

Quid?

Quid? quòd ipse Zvelferus in *correcto*, uti putat, *Laudano* magnam specierum aromaticarum partem balsamicam pariter exhalare permittit, nec aliud, nisi crassiorem earum partem, *Laudani* dosin augentem, relinquit.

In Augustanorum *Laudano*, quod *quadringentas & sexaginta doses circiter* habere, ponamus, singulam earum, *dimidium granum & quadragesima sexta pars grani unius* ingreditur; si dosis sit *quatuor granorum*, & ab *unciis duabus Specierum diambræ quartam partem, sive unciam dimidiam Laudano* in formâ extracti accessisse, statuamus. Quod incrementum tanti momenti esse, nemo prudens adfirmabit.

Zvelferus econtra veram & genuinam *opij* correctionem vocat, quam in *animadverf. Pilul. de cynoglosso* edocuit. Eam autem non Zvelferi inventum, & vix cuiquam Chimicorum hujus seculi incognitam esse, quis nescit?

Imò antiquis illis Medicis, *Galeno* &c. notam fuisse, *dictarum animadversionum in Pilulas prænominatas examen* ostendit.

Per hanc verò decantatam *opij* tostionem uti sulphuris narcotici, immodici, nocivi, fœtidi, & venenati exhalationem quærit Zvelferus; ita non immeritò adhuc disquiri potest: An sulphur illud tam nocivum, imò venenatum dici mereatur? An illud, quod tostione exhalat, sulphur solummodo nocivum sit; & non etiam salutare illud anodynum simul expellatur? An post tostionem de sulphure hoc maligno nihil ampliùs supersit?

Unde enim *opium* venenum hausit, cùm ex *papavere*, cujus succus est, illud haud acceperit; aliàs & *capita*, & *semina papaveris* eodem jure venenata dici, ac tostione corrigi deberent? Cujus tamen sententiæ Zvelferum non fuisse, indè colligo, quia *capita & semina papaveris* saltem cum aquâ decocta, vel in emulsionem redacta, uti *pag. 14. 18. 108. 109. &c. Pharmac. Reg.* videre est, sine ullâ aliâ correctione in medicamenta sua recipere, non dubitavit.

Omne igitur illud, quod crepat, venenum in *opij* imoderato & temerario usu consistere, suspicari quis posset; quo in sensu nec *vinum*, nec quodvis medicamentum cordiale & alexipharmacum, venenorum numero eximi debent.

Galenus 2. de vict. rat. in acut. com. 12. succum papaveris licet nobis adversum pronuntiet, & qui corpus perimere possit, ejus tamen portionem exiguam adsumentes, magnum percipere commodum, refert.

Idcirco *12. meth. med. cap. 1.* in Medicos, circa *papaveris succi* usum temerè vel timidè nimiùm agentes invehitur; dum ij ægrotis suis cum ejusmodi medicamentis nimiùm gratificantur, ac intempestivè imodiceque animosi sunt; vel eorum usum prorsus fugiendo, ægros doloribus jugulant.

Non sequitur: vis *opij* narcotica, est vehemens, Ergo venenata. Illa recto usu temperanda admittitur; hæc negatur.

Non

Non prosequar jam, quòd *opium* non tostum, sed Augustanorum modo præparatum, sine noxâ, & maximo cum fructu, à peritis Medicis exhiberi, observetur.

Imò crudi usum planè rejiciendum haud esse, constat; prout tali *crudo opio*, in exiguâ quantitate tutò nos uti posse, *Zacutus Lusitanus lib. 1. hist. Medic. princip. dub. 35.* scribit; eventuque felicissimo in pluribus se expertum fuisse, testatur, quòd vigiliis ac doloribus cum intensâ febri oppressi, solius incorrecti *opij* usu immunes evaserint.

Imo Zvelferus *Pharmacop. Reg. pag. 230.* sulphur *opij* narcoticum non semper veternum inducere, observatâ competenti dosi, statuit.

Et *pag. 266. Oleum* suum *hypnoticum* magnopere commendat, cujus tamen compositionem *opium thebaicum* crudum ingreditur; ac licet in usum saltem externum hîc veniat, nihilominus, si venenatum foret, eo quoque modo noceret; quia venenum illud in parte volatiliori consistere, quæ itaque resoluta per poros corpus ingredi potest, *opij*, pro veneni istius exhalatione, tostio comprobat.

Quis autem prohibebit, ne in commendatâ tostione cum sulphure, si quod inest, venenoso exhalante, particulæ simul salubres in auras abeant, sicque virtus *opij* salutaris infringatur?

Idcirco si diutius torreatur, vel ad nimiam siccitatem reducatur, vim ejus hypnoticam omnino exspirare, *Joh. Freitagius cap. 5. de opio*, contendit.

Petrus Poterius Pharmacop. spagyr. lib. 3. sect. 3. se, dum experiri voluit, an *Quercetani* de *opij* sulphuris narcotici & fœtidi blando calore exhalatione, sententia vera sit, comperisse fatetur, *medicamentum ex eo confectum minoris esse virtutis, & in sedandis doloribus eo, quod non est ustulatum, longè inferius.* Quare *opium spiritu vini* solutum & depuratum solùm usurpandum esse, suadet.

Dan. Sennertus lib. 1. med. pract. part. 2. cap. 1. quæst. 2. opij siccationem, vel levem tostionem, si, *de quo tamen certò constare prius debet*, quædam heterogeneæ partes ei insint, quarum aliæ aliis magis sint noxiæ, instituere, per se licere, ait; sed ita, ne illud sulphur narcoticum, cujus vis expetitur, dissipetur, & corpus inefficax relinquatur. Et mox, *Petræum Nosolog. harmon. tom. 1. diss. 5. quæst. 9.* post ignis etiam examen sulphur illud fœtidum & malignum quòd superfit, adserere, subjungit.

Sed non opus est, hæc & similia argumenta ulterius producere; cùm ex ipso Zvelfero facilè probari possit, illam tostionem *opium* verè & genuinè haud corrigere. In his enim *Laudani animadversionibus*, in impuritatum *opij*, mediante *spiritu vini* soluti, per filtrationem, vel colaturam separatione, maxi-

maximam & potissimam positam esse correctionem & præparationem, notat. Quod si ita est, Augustani hanc impuritatum sequestrationem observantes, *opium* optimè correctum describunt.

Sic & *Pharmacop. Reg. pag. 83. Essentiam opij liquidam* tradens, simplex illud per tostionem non corrigit, sed *aquâ cinnamomi* solutum, cum *sale tartari* præcipitat; & tamen exactiorem, aut correctiorem præparationem *opij* hucusque repertam esse, negat; quæ tamen plura correctione digna continet.

Alia multò adcuratior *opij* correctio, ope fermentationis facta, in *Thom. Bartholini centur. 3. epist. medic. 45.* habetur ex communicatione *Excell. D. Joëlis Langelotti*; qui pariter ejusdem mentionem in *Epistolâ ad Præcellentissimos Naturæ Curiosos, de quibusdam in Chymiâ prætermissis*, anno elapso editâ, facit.

Adduci quoque meretur, quod de vi narcoticâ & veneno *opij* Zvelferus *pag. 153. Pharmacop. Reg.* profert, *Opium*, inquiens, *si penitius contempleris narcosin ejus, & virus, quo animali facultati insidiatur; non à qualitatibus primis, quæ calore aut frigore aspectabiles, & notæ fiunt, non ab amaro etiam sulphureoq; miasmate, quod exhalat, illud sortiri deprehendes; sed à seminali virtute, à formâ substantiam induta, ejusq; influxu, ad quem à Patre luminum jussa fuit, ut sic ageret, ut sic noceret volentibus.*

II. Stupiditatem *Laudani opiati Augustanorum* augere, cavillatur; *quòd crassamenta & impuritates, quibus opium quàm maximè scatet, neque in prima maceratione cum aceto, neque in secunda infusione cum spiritu vini rectificato, neque denique in tertia digestione cum spiritu vini diambrato, per colaturam vel filtrationem separare ullo modo jusserint &c.* Stupida sanè hæc est animadversio. In primâ quidem maceratione, quæ cum *aceto* peragitur, feculentarum *opij* partium separationem non præcipi, verum est; attamen non necessariam eam esse, simul notetur; cùm sufficiat, eandem post secundam infusionem instituisse.

Id quod Augustanos observasse, ipsa eorum verba, à Zvelfero etiam adducta, clarè satis comprobant. Postquam enim *opium* cum *succo hyoscyami* in *aceto* rosaceo macerare iterumque exsiccare præceperunt, sic pergunt: *His affunde spiritus vini eam quantitatem, ut digitis tribus aut quatuor superemineat, sæpius in die agitando; ubi sic per octiduum loco calente infusa steterint, per chartam diligenter transcolentur, & evocetur spiritus vini lege artis lento igne, ut in fundo vasis crassamentum* (Extractum) *remaneat.* Quid hoc: *per chartam diligenter transcolentur*, aliud est, quàm impuritatum per filtrationem separationem tradere? *Crassamentum* verò separare, quod vult Zvelferus, esset totum Extractum annihilare.

III. *Suc-*

III. *Succum hyoſcyami inſpiſſatum*, longè conſultiùs omitti, cenſet; cùm experientia toties comprobaverit, illum non adeo prudenter *Laudanis* fuiſſe permixtum, & infelici ſucceſſu, pluriumque ægrotantium damno, in multorum celebrium Medicorum infamiam ceſſiſſe. Quare ejus loco ut opium benè correctum augeatur, ſuadet. *Hyoſcyamum* inter venena referenda eſſe, magna Medicorum pars ſtatuit, cùm præcipuè ex uſu ejus homines dementari obſervent.

Id quod nec Zythopœos nonnullos latet, *quorum flagitioſa temeritas*, uti *Celeberr. Jo. Henr. Meibomius cap. 26. §. 24. tr. de Cerviſiis*, ex *Anton. Sneebergero* refert, *hyoſcyamum etiam in uſum trahit*: dubio procul quò cerviſia majorem caput perturbandi ebrietatemque inducendi vim adquirat, & ſic à plebeculâ, cerviſiarum bonitatem ſæpius ex hoc metiente, avidiùs ingurgitetur.

Matthiolus à *ſemine hyoſcyami* comeſto pueros in Ananiæ Vallis montibus dementes factos, memorat, ut parentes & vicini eorum, à Cacodæmonibus ipſos vexari, crederent; unde & ejus regionis incolis *hyoſcyamus diſturbio*, quia mentem diſturbat, vocetur. Vid. *lib. 4. in Dioſcor. cap. 64.* & *lib. 6. cap. 15*

Dementiam miram & ludicram ab eſu incauto *radic. hyoſcyami* narrat *Petr. Borellus cent. 4. obſervat. 45.*

Quare, ut ab incommodo hoc ſe expediant, diſtinguere aliqui ſolent inter *hyoſcyamum nigro*, *luteo*, & *albo ſemine* præditum, ultimumque præ cæteris magis tutum, adaptari ad uſum medicum poſſe, ſtatuunt. Prout illud ex *Dioſcoridis lib. 4. cap. 64*, *Galeni 8. ſimplic. cap. de hyoſcyamo*, *Ebn Sinæ lib. 2. tr. 2. cap. 357.* aliiſque colligere licet.

Fernelius lib. 5. meth. med. cap. 17. albi quidem electionem pariter commendat, ſed neque hunc tutum pronunciat, *quòd immodico uſu dementet.* Ideo ſi hic in modicâ doſi, & indicationibus ritè obſervatis, exhibeatur, periculo vacabit.

Unde *Galenus 2. acut. com. 12. ſuccum hyoſcyami* unà cum *papaveris ſucco* inter illa collocat, quorum natura licet corpus perimere queat, exigua tamen adſumta doſis magnam utilitatem adfert.

Et videtur in hac dementiam inducendi potentiâ aliqualiter cum *opio* convenire, quod, teſte *Bellonio*, in quotidiano uſu eſt Turcis, quibus tamen exin cerebrum nonnihil perturbatur, ut temulenti adpareant.

Hinc vulgare apud eos eſſe, teſtatur, ut ſibi mutuò objiciant: *tu ediſti opium*; quemadmodum ſi quis apud alias nationes alteri temulentiam ſive ebrietatem objiciat; vinum autem cerebrum turbare & dementare, nemo ignorat.

Hoc debitè obſervato, non video, cur non etiam in laudatum Auguſtanorum *Laudanum hyoſcyamus* recipi poſſit; cujus agendi ἐνέργειαν adjuvat, nec prudentem Medicum ſpe ſuâ fruſtratur.

Contrarium ſtatuere, eſt luce meridianâ cæcutire. Nam, ut alias Illuſtrium Medicorum de *hyoſcyamo* fructuosè exhibito, obſervationes taceam, *Laudanum* hocce ſuum feliciter propinari, Auguſtani ſæpius experti fuerunt, indiesque quaſi experiuntur; & idcirco, adeo prudenter *ſuccum hyoſcyami* fuiſſe permixtum, obſervant, ut cum felici ſucceſſu, pluriumq; ægrotantium ſalute, in Medici famam ceſſerit.

Cùm verò procul dubio venenata illa *hyoſcyami* qualitas in volatili parte, prout in *opio*, conſiſtere dicatur, ad externa medicamenta quoque adhibere illum haud licebit; ut ita *ſemen hyoſcyami pag. 67. Pharmacop. Reg. Pilulis odontalgicis*; & *pag. 186. Sotirellæ, morbidis dentium cavernis imponendis* malè addatur; *oleum ſeminis hyoſcyami expreſſum* pro *Olei hypnotici* confectione *pag. 266.* ſiniſtrè adhibeatur; imò *aquam* & *ſemen hyoſcyami pag. 206. Aqua hypnotica interna* imprudenter recipiat.

Sit autem, quòd *Laudana hyoſcyamo* dotata, ſiniſtrum quandoque eventum ſortita fuerint; cùm econtra tutum eorum uſum alij plurimi experti fuerint, non poſſum non infelicem iſtum effectum, qui etiam à *Laudanis* absque *hyoſcyamo* paratis producitur, in uſum temerarium & imprudentem rejicere; ubi, prout omnia alia generoſa ac ſalutaria remedia, benedictum & nunquam ſatis laudandum *Laudanum* inſtar gladij in manu furientis ſe habet.

Et veluti ſutor unum calopodium fruſtrà omnium pedibus adcommodare laboraret: ſic *opium* Panacæa dici haud poteſt.

Quare immodicum & incautum uſum, vel potius abuſum, legitimum uſum tollere, nemo ſani judicij adfirmabit.

Ne autem ullus credat, Zvelferum primum eſſe, qui *hyoſcyamum*, tanquam illaudatum remedium, à *Laudanis* excludit. Hauſit hoc ex aliis.

Sic *Billichius*, *Hartmannus*, *Salmuth* &c. eum damnant. Econtra uſum ejus ſalutarem *Andr. Tentzelius exeges. chimiatr. part. 2. ſect. 3.* diffusè propugnat.

IV. In ſuo *Laudano* mutato nec latum unguem ab ingredientium *Laudani Auguſtani* ſerie ſe recedere, ſcribit; niſi quòd *mumiam*, tanquam rem inutilem & nocivam, & *ſuccum hyoſcyami* omittat, ac *Specierum diambræ* loco ipſa earum ingredientia vel in ſubſtantiâ, vel eorum olea deſtillata in quantitate proportionatâ ſubſtituat. Quod *mumiam* concernit, an inutilis & nociva ſit? diſquirere, ſupervacuum eſſet; cùm ab Auguſtanis hîc non adhibeatur. Monſtretur enim, vel in ipsâ *Laudani Auguſtanorum* de-

ſcriptio-

ſcriptione, quam Operi ſuo inſeruit Zvelferus, quòd *mumiæ* vel unico verbulo mentio fiat. In aliis quidem prioribus editionibus eam etiam recenſeri, ſcio; aſt non in hac ultimâ correctiori editione, quam Zvelferus præ manibus habuit, quam reformavit, quam Auguſtani ſequuntur.

Cæterùm licet ingredientia, excepto *hyoſcyami ſucco*, retinuerit, ab eorum tamen adſignatâ doſi aliquoties receſſit, ſimulque *exactiſsimi* ſui *calculi* novum ſpecimen in *Specierum diambræ* reſolutione exhibuit, dum *ligni aloës* ʒj, *doronici, caſsiæ ligneæ, & galangæ an.* ʒjß, *ſpicæ indicæ, cardamomi majoris & minoris an.* ʒß, *ſantali citrini, piperis longi an.* ʒj, *Zingiberis* ℈ij. *gr.* v. *ambræ* ʒß. *gr.* iijß. ſumit; cùm, ſi exactè ſpecies hæ reſolvantur, *ligni aloës* ℈iv. *gr.* viij. *circiter, doronici, caſsiæ ligneæ, galangæ an.* ℈iv. *gr.* vij. *incirca, ſpicæ indicæ, cardamomi majoris & minoris an.* ℈j. *gr.* ix. *& pars undecima unius grani, ſantali citrini & piperis longi an.* ℈ij. *gr.* xviij. *circiter, Zingiberis* ℈ij. *gr.* iij. *cum dimidio ferè, ambræ* ʒß. *gr.* vj. *& pars undecima grani unius* recipi debeant.

Utrùm, quod promittit, olea aromatica deſtillata in *proportionatâ quantitate* ad ipſa eorum aromata, adhibeat, aliis, qui oleis ex arte deſtillandis incumbunt, diſpiciendum relinquo; qui num ex *librâ unâ cinnamomi, olei ejusdem unciam unam, drachmas tres & grana duo incirca* educere valeant &c. judicent; Zvelferus enim illud promittere videtur, dum pro *cinnamomi ſcrupulis quatuor, granisq; circiter ſeptem, olei ſcrupulum dimidium Laudano* huic admiſcet.

Quam ob cauſam *cardamomum minus* extractioni cum *ſpiritu vini* ſubtrahat, cùm tamen *majus* eidem ſubmittat, non video; niſi hoc curioſitati ſuperfluæ, aliàs in Auguſtanis ab ipſo exagitatæ, adſcribere quis velit.

De *ſpiritus vini* à quibusdam Speciebus aromaticis, uti *galangâ, ſpicâ indicâ, cardamomo majore, Zingibere* &c. abſtractione, & partium balſamicarum unà deperditione ſuperiùs jam mentionem feci.

Ultima Zvelferi animadverſio, quòd nimirum *Laudani* hujus portio aliqua *abſque moſcho & ambrâ* præparari, ac pro iis adſervari queat, qui ipſa ferre nequeunt, ſuperflua eſt; cùm idem paulò ante ipſi Auguſtani jam monuerint, dum *Laudani opiati* mediam partem *cum*, alteram *ſine moſcho & ambrâ* præparare, inque uſum reſervare præceperunt.

Sed *Laudanum*, cujus unusquisque ferè ſingularem & ſecretam ſibi fingit deſcriptionem, mitto, atque ad reliqua tria Extracta me confero, quorum primum

EXTRACTUM MELANAGOGUM QUERCETANI

pag. 142. ſi quis reſinam *turbethi* non deſideret, præſcripto ab Auguſtanis modo

modo parari posse, Zvelferus concedit. Sed cùm *uncia una cum semisse turbethi* solùm sumatur, tantum resinæ non erit; nec illud tantillum magnas obtinebit virtutes; aliàs *turbethi* pariter *unciam unam cum semisse pag. 53. Pharmacop. Reg.* in *Extracto panchymagogo*; cui potius *Electuarij* nomen debetur, cum aquâ simplici extrahere non tentasset.

In EXTRACTO PANCHYMAGOGO *pag. 143.* nonnulla aliquoties jam ab ipso prolata repetit; videlicet de *Speciebus diambræ*; sed cùm de iis actum jam sit, Lectorem ad *Extractum diacarthami*; prout quæ de resinâ *scammonij* &c. repetit, ad *idem Extractum*, manuducente Zvelfero, remitto.

De reiteratâ quoque *spiritus vini* adfusione quæ monet, pariter ex antecedentibus patent.

Et Lector Benevolus si species Extractum hoc constituentes intueatur, *unciæ uni specierum* ferè *libram integram spiritus* destinari, observabit. Unde nova *spiritus* adfusione hîc opus esse, vix statuere poterit.

In EXTRACTO PHLEGMAGOGO QUERCETANI *pag. eâdem* in *aquam cinnamomi* invehitur, à qua *resinas agarici & turbethi* extrahi haud posse, innuit. Quod & Zvelfero accidere, antecedentia loca à me citata sufficienter comprobant.

Quare aut parvi ibi resinas istas æstimat, & ideo in hoc quoque *Quercetani Extracto* magni momenti non erunt; aut magnarum virtutum eas esse, judicat; quo tamen in casu dum medicamentis suis illas non adjungit, minùs efficacia ea reddit, sicque duplici animadversione dignum se præbet, tum minùs debitè præparati medicamenti, tum quòd errorem, Augustanis vehementer ab eo exprobratum, ipse foveat. Hunc prius reformare, quàm alienum exagitare, Adversarij discant.

Licet verò ab Extracto hoc omnis *aqua cinnamomi* abstraheretur, sicque nihil de ipsius balsamicâ virtute remaneret, illa tamen aqua aliis postmodum usibus inservire posset.

Aliàs omnia Extracta cum *spiritu vini* parata animadversione quoque digna forent; cùm & ibi *spiritus vini* iterum separetur, qui tamen pro novâ extractione in aliud tempus reservari potest.

De *aquis cichorij & endiviæ*, pro *Rhabarbari extracto* commendatis, in *examine Extracti holagogi Andernaci* egi.

Circa *Specierum aromatici rosati* additionem ut illa, quæ de *speciebus diambræ* dicta fuerunt, observentur, Zvelfero facilè largior.

RESTI-

RESTITUTA
CLASSIS OCTAVA,
Decocta explicans.

IN primo DECOCTO APERITIVO MAIORI *pag. 145.* præparando ſe diu morari nolle, ſcribit; cùm vel unusquisque, qui vel hodie artem pharmaceuticam auſpicatus eſt, has & ſimiles ſpecies præparare, incidere, & contundere queat. Benè! nec mihi in hac animadverſione diu morari lubet; cùm unusquisque ſuperfluitatem ejus facilè cognoſcere queat.

Non tradunt hoc in loco *Decoctum aperitivum* Auguſtani, ut Pharmacopœi ſpecies incidere vel contundere diſcant; ſed ut ingredientium ſeriem cognoſcant.

De inconcinnè, uti quidem ipſi videtur, & ridiculè conſarcinato *DECOCTO APERITIVO MAIORI CUM RHABARBARO pag. 146.* judicium ſe ſuſpendere, Zvelferus ſcribit, quia uſus ejus, ex Auguſtanorum confeſſione, jam eviluit. Si hoc in aliis etiam obſoletis Auguſtanorum compoſitionibus obſervare, animadvertendi & cavillandi pruritus permiſiſſet, mitiorem cenſuram Auguſtani experti fuiſſent; nec Zvelferus tot contradictionum, falſarumque animadverſionum reus perageretur.

Cùm autem inconcinnum illud & ridiculum, inconcinnus, & quandoque ridiculus Reformatoris calamus non exprimat, in eo anxiè inquirendo tempus & operam perdere nolo.

In DECOCTO APERITIVO LENITIVO MINORI *pag. eâd. prunorum & foliorum Senæ* quantitatem augere, minùs conveniens eſſe, judicat; quia *pruna* ſaltem decoctum, per ſe jam craſſum viſcidumque, craſſius efficiunt ac ineptum, quò minùs vis cathartica *foliorum Senæ* tum primo decocto additorum, tum quæ ſingulis doſibus poſtmodum adjungi debent, extrahi poſſit. Hinc ſæpe nullam aliam ob cauſam, quàm ob ſpecierum decoquendarum nimiam quantitatem, ea purgantium moles, quæ quatuor vel pluribus doſibus ſufficeret, vix illud præſtet, quod exigua eorum

rum quantitas legitimè infusa præstaret. Decoctum etiam hoc humores saltem incidere, concoquere, & ad expulsionem præparare debere &c. Verùm etiamsi *prunorum* quantitas augeatur, nihil tamen incommodi Decocto huic exin accidit; cùm & tunc aquæ quantitatem augendam esse, ipsa ratio dictitet.

Nec contrarium Augustanos velle, aut ullo modo aquæ insufficientem quantitatem (utpote quam non exprimunt) adhibere, ullus unquam probabit.

Vana itaque de decocto crasso & viscido sunt somnia, vanusque est de insufficienti *foliorum senæ* extractione metus.

Quamvis verò Decocto huic in attributis ipsi virtutibus, ab Augustanis vis lenitiva vel purgans expresse non adscribatur; propterea tamen virtutum facta adsignatio illam non planè excludit.

Nec etiam tanta medicamentorum solventium quantitas ipsi inest, ita ut dosi uni nec quidem *grana octo foliorum senæ* insint.

Vim lenitivam ipsi Augustanos tribuere, ipsa inscriptio, qua *decoctum aperitivum lenitivum* adpellatur, monstrat.

Porrò in dispositis corporibus aliquid educere, Augustani innuunt; dum in *suâ animadversione, foliorum senæ drachmas duas vel tres, pro majore laxandi facultate*, singulis dosibus posse addi, scribunt. Si itaque ab illâ *foliorum senæ* quantitate decoctum *majore laxandi facultate* insignitur, aliquam in ipso præextitisse, per τὸ: *majore* indigitatur.

DECOCTUM CAPILLORUM VENERIS MESUES pag. 147. vehementer perstringit, quod tamen, *Decocti aperitivi majoris cum rhabarbaro* memor, sicco potius pede transire debuisset.

Verum quidem est, crassius quodammodo decoctum fieri, si præscripto ab Augustanis modo paretur; ast huic defectui Pharmacopœus prudens, quem similia attendere decet, facilè absque eo, ut Zvelferi oraculum consulat, auctâ aquæ quantitate, remedium adaptat.

Tam ingratum tamen, uti iniqua animadversio objicit, illo modo haud redditur.

Utinam autem virtutes præsentis Decocti considerans, eodem frequenter usus fuisset Zvelferus, ad bilis fervorem, qua toties in Augustanos exardescit, compescendum, sanguinem à virulentis animadversionibus purificandum, & in reformando fervidum attemperandum, quibusvis sanè opiparis dapibus excellentius ferculum pro invidiæ marcore vexato animo expertus in eo fuisset!

Subsequentes NOVEM COMPOSITIONES simul adgreditur, & cùm pauca, quoad præparandi modum, ventilatione digna circa illas inveniat, unicum

unicum ad disquisitionem vocat, *an nimirùm, ubi decoctio ex diversis ac pluribus speciebus fieri debet, species ingredientes omnes & singulæ unà & simul coquendæ sint, & quid priùs, quidve posteriùs, item quænam facilioris difficiliorisq́ coctura sint?* Itaque ipse illud primò coquendum esse, existimat, *quod veluti basis & fundamentum est totius compositi. Nam cùm tot tamq́ diversæ species decoquendæ, utplurimùm pauco liquori ab Augustanis destinentur; liquor autem ultra suum posse extrahere nequeat, species potioribus suis virtutibus adhuc turgidas parumq́ exinanitas remanere*, statuit. Verum non usque adeo de nihilo est, si Pharmacopoei 1. radices, 2. stipites, 3. folia, 4. fructus, 5. semina, 6. flores coctioni committunt, imprimis ubi ad decocta purgantia, cum Zvelfero, ordinem hunc adplicare animus est. Radices enim, uti durioris utplurimum compagis sunt: ita primò quoque coctioni subjiciendæ erunt; faciliùs econtra folia resolvuntur; quorum virtute extractâ, fructus, ne viscositate suâ, juxta Zvelferi censuram, decoctum ad extractionem minùs efficax reddant (quod fieret, si in principio injicerentur) sequuntur; ultimò semina & flores, quæ uti in purgantibus ferè semper aromaticæ sunt naturæ: sic in fine coctionis addita, eò magis integram virtutem suam conservant.

Negatur autem, in his Augustanorum decoctis specierum molem, liquoris quantitatem superare. Partim enim in iis nec liquoris quantitas, nec qualitas exprimitur; dum species saltem incisæ pro usu servari præcipiuntur: partim verò sufficiens liquoris quantitas, qui potiorem virtutem extrahere queat, determinatur. Nam pro *unciâ unâ specierum, liquoris uncias quatuor & drachmas aliquot* sufficere, *Pharmacopœia Regia* in *Clareto hydragogo pag. 41.* ubi *specierum unciæ septem, & drachmæ sex*, cum *vini destillati* specierúmque aromaticarum virtute imbuti *libris tribus*, extrahi jubentur, exemplum subministrat.

Sit autem, quòd tota virtus non extrahatur; tantum verò de eâ remanere, ut *species relictæ potioribus suis virtutibus adhuc turgidæ, parumq́ exinanitæ* dici queant, facundiæ Zvelferianæ specimen est.

Zvelferus autem primò species, quæ basin constituunt, præsertim catharticas inodoras, dein reliquas crassiores, postremò sub finem coctionis, odoriferas immittendas esse, exigit, immemor illorum, quæ in *primis harum animadversionum Classibus* aliquoties monuit; odorata nimirum sub finem addita parùm de vi suâ aromaticâ eidem impertiri; item odorata levi ignis calore stimulata avolare. Unde si quid in hisce Decoctis ab odoriferis, sub finem coctionis injectis, in liquorem transfunditur, parum illud esse, & hoc ipsum, ob vehementiorem ignis calorem in auras mox iterum abire, ex sententiâ ipsius Zvelferi, dici deberet.

Postremò

Poſtremò ſpecies decoctionibus ineptas, mucilaginoſas, & inter ſe repugnantes non conglomerare, ſed ſemper unitati, quantùm poſſibile eſt, ſtudere, hortatur. Et ejusmodi è ſpeciebus non mucilaginoſis, ſi Diis placet, compoſitum *decoctum*, illud *florum & fructuum pectorale Pharmacop. Reg. pag. 89.* exhibet.

Quàm egregiè etiam unitati in medicamentis ſuis ſtudeat, illa ipſa *Claſsis octava Pharmacop. Reg.* demonſtrat.

HYDROMEL COMPOSITUM pag. 150. è ſolis aromaticis & odoriferis ſpeciebus conſtare, adſerit, quarum fragrantia in illâ ad quartæ partis conſumtionem cocturâ totaliter exſpiret. Præterquam quòd in uſu ampliùs haud ſit, hoc *Hydromel* è ſolis aromaticis & odoriferis ſpeciebus non conſtat. *Glycyrrhizam* enim odoriferorum ordini, ſive quorum fragrantia coctione perit, malè inſeri, *Claſsis XV. animadverſ.* docet, dum *pag. 284. 297. 310.* eam ipſam deſtillationi penitus ineptam, & quæ ſatis violentam ſine virium deperditione coctionem pati poſſit, proclamat.

Et licet omnis fragrantia ſpecierum odoriferarum evaporaret, (ut de partibus craſſioribus remanentibus nihil dicam) non video tamen, quòd tanti momenti ſtatui illa queat; admodum exiguum enim fragrantiæ erit, quod à *ſalviæ & origani an.* Pß. *coriandri, aniſi an.* ℥j. *cinnamomi* ℥iß. tantæ medicamenti quantitati, ad *libras aliquot* ſe extendenti, accedet.

Quinimo ille, qui medicamenti hujus præparationem adgreditur, probè ſcit, ſpecies iſtas odoratas in fine coctionis, non in principio, injiciendas eſſe, prout hoc ipſum à Zvelfero quoque obſervari, *præcedd. animadverſiones* edocent.

HYDROMELLIS PURGANTIS *pag. 151.* animadverſiones repetitionem de ordine ſpecierum injiciendarum, & aromatum coctione continent; quorum igitur examen proximè præcedentia ſubminiſtrant.

Cum hoc etiam HYDROMEL LAXATIVUM TARTARISATUM ANTIMELANCHOLICUM *pag. eàd.* coincidit; cujus præparatio, ſi *meliſſa, ſemen aniſi & fœniculi,* in fine coctionis l. a. addantur, nil animadverſione dignum continet.

Poſſe autem hoc *Hydromel* aliis diverſis modis, & ſic quoque illo à Zvelfero ſuppoſito, confici, nemo fortè negabit.

Cæterùm loco *libræ unius tartari unciam unam vel alteram* ſufficere exiſtimat; quia tantam *tartari* quantitatem in *libris decem aquæ* diſſolvi poſſe, impoſſibile judicat. Sit ita, quòd totus diſſolvi nequeat; parùm tamen indiſſoluti remanet; præcipuè cùm *tartarus optimè contuſus* ſumatur, quo ipſo facilior ejus ſolutio procuratur.

Quam

Quam autem quantitatem per *unciam unam vel alteram* Zvelferus intelligit? Si *unciam unam*, *vel duas*, utique illas *duas uncias* in *aquæ libris decem* diſſolvi poſſe, verum eſt; aſt tunc ejus quantitas omnino augeri debet, cùm illa aquæ menſura pluribus, quam *duabus* duntaxat *tartari unciis* diſſolvendis apta ſit; & ne medicamenti efficacia diminuatur.

Sin plures intelligat, cùm quantitatem illam exprimere, maximè neceſſarium ſit, ſi adcurati Animadverſoris, & Pharmacopœorum Informatoris nomen ipſi debeatur, oſcitanter eam omiſſam eſſe, creditur.

POTUS HIPPOCRATICOS, quorum tres ab Auguſtanis *pag.* *152.* recenſentur, eo elogio mactat, ut *ad delectum potius & guſtum muliercularum* adinventos eſſe eos, proclamet. Non me hîc diffundam in explicandis Veterum *Vinis aromaticis*, eorumque uſu, ac inventionis ratione; ſed illa tantùm Auguſtanorum *Vina Hippocratica* contra Zvelferi cavillationem defendam. In quibus cùm nihil, quod circa præparationem carpere poſſet, deprehendat, inſulſam illam animadverſionem comminiſcitur.

Auguſtani *Vina* iſta ad cerebrum & ventriculum roborandum, ſpirituum, in frigidis præſertim morbis, inſtaurationem, & infirmæ coctionis reparationem, commendant. Zvelferus econtra ad gulæ delectamentum (ſic enim vocem: *delectum*, interpretor) & muliercularum guſtum adinventa eſſe, nugatur.

Non quidem negabo, hujuſmodi *Vina*, ut palato blandiantur, faciliusque ab ægris nonnullis hauriantur, excogitata fuiſſe; aſt ſcopus hic ſecundarius potius dicendus eſt; cùm ille, cerebrum nimirum, ventriculum, viresque roborandi, primus ac præcipuus exiſtat.

Quo ipſo Aſclepiadeum illud de curatione *jucundè* inſtituendâ Auguſtani obſervant.

Unde Zvelferus hoc frivolo ſuo judicio, ex illorum ſe numero eſſe, qui nihil rectum, niſi quod ipſi faciunt, putant, manifeſtum indicium præbet. Alibi enim Auguſtanos, dum jucundum illud, guſtum virorum, mulierculatumque ægrotantium delectans, in medicamentis non ritè ab iis obſervari putat, acerbiſſimè ſæpius perſtringit. Nunc dum obſervant, pariter eosdem reprehendit. Quis igitur Momis unquam ſatisfaciat?

Eodem jure, *Vina Hippocratica Pharmacop. Reg. pag. 92. 93.* ad delectamentum & guſtum muliercularum inventa à Zvelfero fuiſſe, dici poterit.

Licet enim ventriculum & cerebrum confortare, facultates vitales fulcire, & debili coctioni opem ea ferre, ibidem ſcribat, ſicque primarium eorum finem in recenſitis hiſce virtutibus conſiſtere, innuere videatur; cùm tamen ſimilia ab Auguſtanis producta rejiciat, & delitiarum causâ hujuſmodi

Vina excogitata fuisse, judicet; nemo mihi vitio vertere debet, si idem de *Vinis Hippocraticis Zvelferi* judicium profero.

In quibus insuper non levis difficultas enodanda sistitur, quam partium aliquarum odoriferarum jactura monstrat; quia *vino* fervefacto aromata injicit Zvelferus, ac unâ vel alterâ ebullitione factâ coquit. Aromatum enim vis levi etiam ignis calore stimulata, teste ipso Zvelfero, citò resolvitur, inque auras abigitur; cùm econtra Augustani suos *Potus Hippocratuos* solâ maceratione, sine violentâ coctione, parare edoceant.

CREMOREM PTISANÆ, inquit Zvelferus *pag. 153. mulierculis & coquis commendamus, quem, ut sale condiant, non obliviscantur.* ô præclaram animadversionem, vix typis dignam! Norunt & multæ muliercularum Sirupos, aliaque ejusmodi medicamenta parare, Ergo eos mulierculis pariter commendabimus?

Beneficium hoc in labore diminuendo à Zvelfero Pharmacopœis concessum, beneficio rependere, æquum est. Ipse autem *pag. 215. animadvers.* gallos, gallinas, pullosque gallinaceos *viperinâ carne saginare*, prolixè & adcuratè edocet; quem laborem mulieribus & coquis, utpote officio eorum dignum, commendo; & ne *sale* carnem dictam condire, obliviscantur, moneo; quia illud ipsum magna Zvelferi solertia atque prudentia exigit.

Et cùm *Pharmacop. Reg. pag. 86.* in *Gelatinæ caponis* confectione, quam spartam itidem mulierculis & coquis obeundam commendo, *sale* eam condire, oblitus fuerit; universus mulierum & coquorum grex, qui gelatinam illam paraturus est, admonendus erit, ne *salis* additionem negligat.

Magnopere verò miror, Zvelferum, postquam *pulveres, trochiscos, essentiasque viperinas*, nec non recensitam modò *gallinarum viperinâ carne saginationem* tradidit, mox subjungere: *Habes hîc Lector Benevole, singularia ex viperis medicamenta, hisce meis manibus summâ diligentiâ elaborata &c.* Quo ipso & *gallinarum* quoque *viperis* saginationem, quò hæc usui medico inserviret, suis manibus sumâ diligentiâ se perfecisse, laborem tam vilem, tanto Philosopho & Medico indignum, mulieribusque & coquis commendandum, fatetur.

In *Cremoris* autem *hordei* & *Ptisanæ* præparationes se diffundere, Antiquorum Medici celebratissimi, & qui vestigia eorum legunt, sibi turpe minimè duxerunt. Quare nec Augustani, dum quid *Cremor hordei* sit, Pharmacopœis indicant, & propterea falsè traducuntur, ullo modo contristantur.

RESTI-



RESTITUTA
CLASSIS NONA,
Pulveres Medicatos explicans.

M*Agnam hæc classis*, sic animadversiones in eam exorditur Zvelferus, *complectitur seriem pulverum medicatorum cùm simplicium tùm compositorum, in quorum præparatione vix quicquam occurrit, quod singulari correctione aut peculiari animadversione indigeret. Periti enim Pharmacopæi antea nôrunt, quid priùs aut posteriùs, quæ per se quæq; mixta contundi aut pulverisari possint & debeant, quorum solertiæ totum hoc negotium relinquo.* Magnam seriem Pulverum hîc esse, Zvelferus objicit; quorum numerum ad *quadraginta octo* se extendere, *quatuordecim* autem eorum, seriem inusitatorum ingredi, certum est. Sed quid multitudinem Pulverum in *Augustano Dispensatorio* carpit, qui ipse *Pharmacopæiam Regiam plus quàm quinquaginta* onerat?

Cæterùm quæ ratione pulverisationis profert, utique adprobo, hanc & consimiles præparationes Pharmacopœos non latere, haud ignorans; unde *Petr. Poterius Pharmacop. spagyr. lib. 3. sect. 3, pulveres omni ferè carere artificio*, benè existimat.

In specie autem C. C, *spodij, gossypij* & similium præparationes alio loco se examinare velle, promittit. Quare eò Lectorem remitto.

Quanquam in *hac Classe* Augustani non ipsum *gossypium*, sed *semen gossypij* vel *bombacis* vulgariter sic dicti intelligant; ejusdem autem præparatio ubi examini subjiciatur, invenire, per totum Dispensatorium, nequeo.

Folia auri utiliter pulveribus, aliisque compositionibus addi, negat, idque Augustanorum testimonio, ex *Aureâ Alexandrinâ Nicolai* desumtò, probat; ubi *aurum & argentum* in medicinas additum, opinioni magis, quàm intentioni satisfacere, & ad pascendos oculos, ex Arabum luxu, ad conciliandam pharmaco auctoritatem, introductum esse, statuunt; cùm calor noster nativus nihil virtutis ex ipsis elicere queat. Licet nihil virium medicamentis ab *auro* accedere, *cit. loc.* Augustani innuant; propterea tamen ejus usum non planè à medicamentis eliminant.

Sic *folia auri* si nullam aliam ob causam, elegantiæ tamen conciliandæ gratiâ, nonnunquam adhibentur; & ita dum nonnullis *auri* amicis oblectamentum paratur, medicamento quoque jucunditas aliqua conciliatur.

Sic Electuariis confortantibus *folia auri* immiscere, vel eadem uno duplicive foliolo obducere, quidam consuevêre.

Pulveres pariter, cordiales imprimis, eadem tolerant, ut *auri* scintillis radiantes ægroto magis arrideant, & dum conceptæ vulgi fiduciæ in *aurum* hoc modo satisfit, ipsius medicamenti efficacia quodammodo intenditur. Confidentia enim ægri in Medicum & medicamenta quàm magnum ad sanandos morbos momentum adferat, nemo nescire potest. Sic foliola illa si v.g. in *Pulvere Pannonico rubeo* non effulgeant, medicamentum planè inefficax plebs ignara æstimat, & Medicum, Pharmacopœumve inscitiæ, negligentiæ fraudisve insimulat.

Imò ipse Zvelferus *Pharmacop. Reg. pag. 180. suæ Confectioni alchermes, ad saturandos vulgi oculos, centum, vel plura auri folia* adjungit.

Pilulæ etiam non incommodè deaurantur, tum ut oculis blandiantur, tum amaritiem suam occultent, & ne iterum in unam massam confluant.

Auri foliati usum ad *Mercurium* è corpore educendum proponunt *Höferus Hercul. med. lib. 8. cap. 2.* & *Zacutus lib. 2. de prax. med. admir. observ. 127.* &c.

Quin ipsum *aurum foliatum* quòd sine fructu internè exhibeatur, etiamnum hodie non infimi aliqui Medicorum dubitant, dum vel cum calore ventriculi, ipsum quoque ejus fermentum, quod aliquâ corrodendi facultate pollet, considerant; vel per irradiationem & singularem cum corde sympathiam agere, existimant. Quam de materiam tractare, hujus instituti ratio non permittit; quin potius Zvelferi sententiam de eâ paucis investigare liceat.

Is itaque præter animadversiones, in *hac Classe* ipsi scriptas, *Pharmacop. Reg.* quoque *pag. 251. aurum* à debili nostro calore & fermento ventriculi insito actuari non posse, defendit; & nihilominus *Pulverem Excellentissimi Archiatri Antonij de Pozzis pag. 317.* magno extollit præconio, cui non tantùm *scobs auri*, sed & *foliola auri*, ob *Pulverem Marchionis*, admiscentur.

In hoc si *aurum* spiritus irridiare &c. valet; cur illud in Augustanorum compositionibus fieri nequit? Scilicet, quia sunt Augustanorum; qui omnibus modis reformandi erant.

Sed egregius ille discursus *Mantiss. spagyr. part. 1. cap. 1. pag. 316.* paulò penitiùs excuti meretur; ibi namque *aurum foliatum multò solidioris & compactioris substantiæ* esse, scribit, *quàm ut à calido nostro resolvi, & in actum deduci queat.* Aliud tamen de *auri scobe* intelligendum esse, mox subjungit;

folia

folia enim *auri ad nihil apta esse, nisi ut se tunicis ventriculi insinuent, eundem ad nauseam & ἀπεψίαν concitent, ac cruda tandem segregentur*; præterea parvam eorum molem, dum vix foliolum dimidium unam pulveris medicati dosin ingreditur, *ducenta verò & trecenta folia vix scrupulum dimidium* constituant, parùm præstare posse, existimat; cùm econtra *scobis auri scrupulus dimidius, vel integer, pro dosi unâ* propinetur, ejusdemque substantia à stomachi fermento acido subigatur & actuetur, sicque vires præstantissimas exserat. Verùm si *scobs auri* pulverisata, à ventriculi fermento subigi & actuari potest; cur non etiam *folia auri*, quæ multò subtilioris substantiæ, & ita facilioris quoque solutionis existunt?

Accedit parva *foliorum* quantitas, quæ à pauco, nec adeo forti, in morbis cumprimis languido, fermento multò promtiùs dissolvi potest, quàm magna *scobis auri* moles. Rationi enim quàm maximè consonum est, *dimidium auri foliolum*, quod juxta Zvelferi calculum ferè *millesima, ducentesima pars scrupuli unius*, à Zvelfero pro dosi unâ admissi, est, faciliùs, quàm tantam quantitatem, solutum iri.

Cæterùm si *auri* solutio in corpore, pro virtute ejus in actum deducendâ, necessaria est, utique illud à *calido nostro* resolvi non posse, Zvelfero largior.

Sed quæso, cur, ubi de *auri foliis* agit, hujus, scilicet caloris, tantùm mentionem facit; econtra *scobis* patrocinium suscipiens, omisso calore, de fermento dissolvente (quod calorem non excludit) agit? An saltem in *scobis* exhibitione illud in ventriculo reperitur; in *auri foliati* autem usu planè deest, vel ne agere possit, vinctum detinetur?

De *foliorum* in plicas ventriculi insinuatione, & subsequentibus incomodis, è *Paracelso* desumtam sententiam, ipsorum à stomachi fermento solutio, nec non experientia refutat; ut ita *Sennertus cap. 19. de conf. & diff. Chim. cum Galen.* benè scribat: *quæ de incrustatione & inauratione ventriculi & intestinorum, & ita coctionis impedimento objicit Paracelsus, nullius momenti sunt.*

Quòd si magnetismo quodam & irradiatione, uti vult Zvelferus, *aurum* vires suas in corpore humano exserit, etiamsi *folia cruda* iterum segregentur, nihil tamen contra eorum utilitatem indè concludi posse videtur.

Ducenta vel trecenta foliola vix *scrupulum dimidium* constituere, falsum esse, judico; cùm potius *trecenta vel quadringenta*, plura vel pauciora, ex *uno ducato*, sive *aureo Hungarico, drachmam unam* ferè pendente, educi, artifices *aurum* in *folia* AUGUSTÆ dilatantes, deprehendant.

Aurum in superficies ita tenues tunditur, ut 1600. folia ex una uncia auri prodire asserant. Verba sunt *P. Athanas. Kircheri tom. 2. Mundi subterranei, lib. 12. sect. 5. part. 5. cap. 1.*

In adducto autem *Pulvere D. de Pozis* nec *scrupulus dimidius*, multò minùs

nùs *integer ſcobis auri*, ſed tantùm, ſi dicti pulveris ſummam etiam doſin, ſive *drachmam dimidiam* ponamus, *grana ſex* doſin unam intrant.

Ambra ſi pulveri alicui commiſcenda, non ſpiritibus vel aquis deſtillatis, neque *vino*, ſed guttulis aliquot olei adpropriati, ejus ſolutionem perficiendam eſſe, monet. Quanquam Auguſtani neque aquis deſtillatis, neque vino *ambram* diſſolvere, in *hac Claſſe* præcipiant; non tamen video, cur hoc fieri nequeat; cùm ad normam diſſolutionis *moſchi*, cum *ſpiritu roſarum*, aquâ aliquâ deſtillatâ odoriferâ, vel *vino* etiam nonnihil diſſolvi, in formam pulticulæ dilui, atque ita reliquo pulveri uniri queat.

Sic *moſchi* in pultis formam cum *ſpiritu roſarum* redactionem *Pharmacop. Reg. pag. 100.* vel cum *aquâ aurantiorum* aliqualem ſolutionem *pag. 101.* commendatam fuiſſe, reperio.

Non minùs autem commodè *ambram* oleo aliquo deſtillato, ſi quod pulveris alicujus compoſitionem (quamvis in nullo *hujus Claſsis* Pulvere, *ambra* cum oleis deſtillatis præſcribatur,) ingreditur, vel alio corpore oleoſo ſubigi & conteri poſſe, ipſe Pharmacopœus peritus haud ignorat; is enim, *quæ per ſe, quæq; mixta contundi debeant, antea novit, cujus ſolertiæ totum hoc negotium*, conſentiente Zvelfero, *relinquitur.*

Prout ipſe *pag. 105. Pharmacop. Reg.* in *Pulvere ſternutatorio*, enumeratis ingredientibus, interque ea *ambrâ, moſcho & oleo ligni rhodij*, præparationem ipſam ſimpliciter his verbis deſcribit: *Fiat ex omnibus Pulvis ſubtilis*; nec *ambram* in *oleo ligni rhodij* ſolvendam eſſe, præcipit.

Quæ contra radicum cum *aceto* præparationem, præſertim in *PULVERE SAXONICO pag. 163.* nempe ſatis ſiniſtrè eas, exceptis *Laureolæ radicum corticibus*, cum *aceto* præparari; ſi verò præparentur, *acetum* non effundendum eſſe, profert, non ſimpliciter adprobare poſſum.

Aceti enim vires alexipharmacæ in confeſſo ſunt; unde vel hac ratione radices alexipharmacas eodem imbuere licebit.

Per me autem radices *aceto* maceratas leniter exſiccet, & nil quidquam de *aceto*, qui volet, effundat; licet ab *aceti* adfuſi parvâ quantitate parùm etiam ex radicibus illis extrahi, & ſic parùm quoque cum *aceto* effundi poſſit; in exſiccatione autem diuturnâ, ſive *aceti* lentâ evaporatione omnem ferè ſpirituoſam radicum ſubſtantiam deperdi, fundamenta Zvelferiana evincant.

Auguſtanis uti Pulvis hic pro obſoleto habetur: ita quoque de præparatione ejus ſollicitos ſe haud præbent.

Quod *Scammonij* præparationem concernit, illam, ſub titulo PULVERIS CHOLAGOGI SIMPLICIS, vel DACRYDII SULPHURATI, ab Auguſtanis *pag. 155.* traditam, genuinam nullâ ratione dici poſſe, ſtatuit, ſi *ſcammonium* ſupra fumum *ſulphuris* liquefiat; ſed potius opus eſſe, ut absque lique-

liquefactione, lentissimo igne, cum illo suffumigetur; *quò diutiùs enim*, addit, *Scammonium fumo sulphuris imbueris, eò meliùs istud præparabis & vulgariter quidem corriges, Id saltem unicè cavendo, ne liquefiat; aliàs enim fumus sulphuris ipsum penetrare nequit.* Verùm neque hæc censura firmo stat talo.

Quod illa *scammonij* per fumum *sulphuris* quæ fit, correctio genuina sit, nunc equidem haud propugnabo; mitescere tamen exin fortem illam & acrem operandi vim, certum est.

Augustanorum verò, & eorum, qui ὁμόψηφοι ipsis sunt, modus multis parasangis illum, à Zvelfero traditum, superat; quem potius destructionem *scammonio* minitari, quàm magis genuinam correctionem promittere, mihi persuadeo; ubi illud, quod in *Extracto gummi gamandræ* protulit, considero; nimirum *spiritus acidos catharticorum vim purgantem infringere, figere, & ligare.* Cui adserto si hæc *scammonium* præparandi ratio Zvelferi conferatur; ejus vim infringi, figi & ligari, patescit.

Nec enim fumus ille *sulphuris* aliud quid est, quàm *acidum sulphuris sal*, quod, humido aliquo interveniente, in spiritum resolvitur; prout hoc *spiritus sulphuris campanati* præparatio clarissimè edocet.

Hoc itaque *sulphuris* acido dum *scammonium*, in minutum pulverem redactum, longiori tempore suffumigatur, ejusque acidis atomis impraegnatur, non potest non magnam virtutis catharticæ enervationem incurrere.

Idcirco si justò diutius *sulphuris* fumo calcinetur (sic satis comodè enim *calcinationis* vocabulum præparationi huic adplicatur) in operatione ignavum redditur; ut perparũ in evacuando ampliùs præstare, à Medicis deprehendatur.

Econtra Augustani dum semel liquefactum *scammonium* calcinationi, & spirituum acidorum exhalationi subtrahunt, eò efficacius, & non nisi paucis *sulphuris* acidis particulis imbutum, usui reservant. Et hæc *scammonij* præparatio coincidit cum illâ, quam nonnulli per alia acida moderatè adhibita diversimodè instituerunt, sicque laudabilia medicamenta sibi comparârunt.

Sic *scammonij* cum pauxillo *spiritu sulphuris* vel *vitrioli* irrorationem *Hartmannus not. in Croll.*; *Mynsichtus Armamentar. med. chim. sect. 1.* per *spiritum vini*, modico *vitrioli spiritu*, & *tincturâ rosarum* impraegnatum, solutionem; *Quercetanus Pharmac. dogmat. rest. cap. 24.* in *succo limonum* dissolutionem, tradunt.

Adduci hîc meretur sententia *Helmontij*, qui *§. 48. Pharmacop. ac Dispensat. modern.* talia profert: *Scammoneam rebus acidis incoquunt, ut mitigent: sed novit jam medentum vulgus sic scammoneam castrari, adeo ut si acido sulphuris vapori exponatur, planè orbetur suâ virtute, tantumq; scammoneæ decedere, quantùm aciditatis hauserit.* Quod uti de nimio acidi accessu præcipuè dicitur: ita contra Zvelferi sententiam notari potest.

Quænam

Quænam autem *ſcammonij* præparatio veræ & genuinæ nomine digna ſit, dubium quàm maximè relinquitur?

Zvelferus quidem *Animadverſ. claſs. ult. pag. 419.* ſeparationem puri ab impuro, cùm multis inutilibus ſcateat *ſcammonium* recrementis, venditat; de qua plura in *Mantiſsâ hermeticâ* ſe dicturum pollicetur. Aſt nihil ibidem reperio; niſi *reſinam ſcammonij, pag. 450.* obiter traditam, pro *ſcammonio* verè & genuinè correcto haberi velit.

Ergo vera correctio in partium inutilium, lignoſarum, arenoſarum &c. nec non extracti non reſinoſi ſeparatione conſiſtet. Sed prout extractum hoc non reſinoſum virtute catharticâ minimè caret: ſic impura *ſcammonij* pars, & quæ pro correctione impetrandâ ſeparari debeat, dici nequit.

Scammonium quoque non ſemper partibus ejusmodi impuris ſcatet, ſed nitidum, ſplendidum, ac clarum ſe exhibet; quale ad hunc *Pulverem cholagogum* recipiendum eſſe, Auguſtani per vocem: *electiſsimi*, indicant.

Tandem in *PULVERE GRYSEO pag. 160.* & *RUBEO CÆSARIS CONTRA PESTEM pag. 101.* quorum uterque in uſu non eſt, *Theriacam*, & *Mithridatium*, ipſumque *acetum* poni, dum obſervat, impetuosè in Auguſtanos involat; cùm 1. compoſita compoſitis hoc modo cumulentur; 2. non quodlibet ex quolibet fiat; & *mel*, ex quo *Mithridatij* ac *Theriacæ* potior pars conſiſtit, *ſuccus ſit tenax, qui neque per ſe neque cum aliis ſpeciebus mixtus, verè in pulverem redigi queat, niſi totaliter comburatur.* Verùm *ludicra hæc eſt, & vix nuce caſsâ digna* animadverſio.

Illud quidem, de compoſitorum in compoſitis cumulatione, inferiùs occaſio pertractandi dabitur; hoc verò frivolum admodum eſt.

Licet enim *mel* per ſe pulveriſari nequeat, aliis tamen rebus ſiccioribus in debitâ quantitate permiſtum, in tenuiſſimas atomos divelli, non recuſat; quod eò faciliùs accidit, ſi talis Pulvis leni calore exſiccetur. Quin ipſam *Theriacam* temporis tractu ſicciorem quodammodo naturam induere, obſervatur.

Simile autem ego judicium de nonnullis Zvelferi Pulveribus, in *Pharmacopœiâ Regiâ* deſcriptis, fero; quorum compoſitionem, ut alios liquores taceam, *olea deſtillata* in largâ ſatis quantitate ingrediuntur.

Olea verò iſta nullo modo in pulverem redigi poſſunt; niſi liquida eorum ſubſtantia cum aliis ſiccioribus ſpeciebus in competenti quantitate miſceatur. Etiamſi enim per violentam exſiccationem, vel etiam combuſtionem, oleorum deſtillatorum in pulverem reductionem tentare velles, nihil planè impetrares; cùm potius in auras evaneſcant, quàm liquidâ depoſitâ, in ſiccam formam ſe transmutari permittant.

RESTI-

RESTITUTA
CLASSIS DECIMA,
Eclegmata, Sapas, Linctus & Lohoch comprehendens.

DIACODION JOAN. BAPT. MONTANI, ALIàS SIRUPUM DE SILIQUIS *pag. 166.* posse quidem juxta modum, ab Augustanis præscriptum, parari, concedit; meliùs tamen fore judicat, si decoctum è solis *capitibus papaveris, siliquis & glycyrrhizâ* paratum, & ad *uncias decem* evaporatum, pro *seminibus* prædictorum *capitum papaveris*, ad pultis formam contundendis, adhiberetur; cui pulti demum *sacchari libra una cum dimidiâ* adderetur, & solâ dissolutione *Diacodion* conficeretur. Utique hoc modo etiam parari potest; sed an hic modus illo Augustanorum præstet, dubito.

Nec video, quamobrem *semina papaveris* contusa addi debeant; cùm adsignata *aquæ* quantitas, nimirum *libræ duodecim*, iisdem etiam extrahendis sufficiat.

Imò in *Pharmacop. Reg. pag. 109. Diacodio, seu Eclegmate pectorali papaverino, capita papaveris*, unà cum *seminibus*, coctioni quoque submittuntur.

Cum priori hoc, sequens etiam *DIACODIUM SIMPLEX GALENI pag. eàdem*, nec non *ACTUARII pag. 167.* coincidit.

In DIACODIO SOLIDO *PRIMO* & SECUNDO *pag. 168.* hoc tantùm monet, *ne Emulsionem* ex seminibus papaveris paratam, *cum saccharo coquas, sed solummodo eam supra ignem dissolvas, prout in confectione Morsulorum ex succo Citri vel Berberum fieri assolet.* Licet Emulsio cum *saccharo* coquatur, non tamen video, quale indè incommodum immineat, præcipuè si, prout ars requirit, lenis coctio fiat. Nec enim tanta liquoris quantitas est, quæ evaporare debet.

Cæterùm *Emulsionem supra ignem cum sacchar dissolvere*, præposterè ad-

 modum

modum præcipit. Nam emulſio liquidum, *ſaccharum* autem ſolidum & ſiccum corpus eſt. Hinc *ſaccharum ſupra ignem cum emulſione ſolvere*, neceſſe eſt.

LOHOCH DE CAULIBUS GORDONII pag. eâdem præparandi rationem ſaltem addit, nihil in Auguſtanorum compoſitione animadvertens.

Nec in LOHOCH DE FARFARA *pag. 169.* quidquam ſingulare notat.

Ex *LOHOCH DE PAPAVERE MESUES pag. eâdem* ingredientibus egregium gluten, & viſcum confici poſſe, cavillatur; *præſertim ſi Gummi Arabicum debitè prius (uti quidem fas eſſet,) diſſolveretur, & ſemen Cydoniorum etiam extraheretur.* Aſt cùm Auguſtani nec *gummi arabicum* diſſolvant, nec *ſemen cydoniorum* extrahant, vana eſt Zvelferi meditatio, cujus maxima vis in illâ voculâ conditionali: *ſi* conſiſtit.

Qua methodo Zvelferi medicamenta reſoluta, amplam ſanè ridendi materiam ſuggererent.

Cur *gummi arabicum* neceſſariò diſſolvi, & *ſemen cydoniorum* extrahi debeat, ignorare me, fateor, dum hoc in ventriculo fieri abſque difficultate poſſe, conſidero.

Sed operæ precium non eſt, ut in hac, & conſimilibus nugaciſsimis, & rudi Minervâ conſcriptis Animadverſionibus examinandis calamum conteram.

Nihilominus ſi *gummi arabicum* ſolutum atque *ſemen cydoniorum* extractum ſumeretur, glutinoſius quidem, non adeo tamen inconcinnum medicamentum obtineretur.

Quis enim nonnullis Practicis uſitatiſſimum eſſe, ignoret, quòd *Mucilagines* quasdam (ad imitationem priſcorum Medicorum) *ſimplices*, vel *compoſitas*, è ſeminibus cumprimis, radicibus &c. uti *ſemin. cydoniorum, pſyllij, radic. althææ*, ad acres humores temperandos, tenues incraſſandos &c. ſalutari in ægris ſubſequente effectu, præſcribant?

Quæ etiam *Mucilagines* inter medicamenta Eclegmatica communiter referuntur.

Ut ita glutinoſa illa medicamenta lambitiva, *edulijs adpetitum ſedantibus* ſiniſtrè comparata, in foro medico benè tolerari queant; nec eorum deſcriptiones Diſpenſatoria defœdent aut conſpurcent; quin potius ritè præparata, & à Medico prudenti exhibita, in honorem Medicinæ, Medici & Diſpenſatoriorum cedant.

Unde nemo, qui micam eruditionis & prudentiæ medicæ habet, ea *ex Diſpenſatoriis radicitus exſtirpatas* deſiderabit.

Zvelferi

Zvelferi enim, præcipiti atque malevolo animo rapti, ſolitarium ſenſum nihil æſtimo; cùm & ipſe *Claſs. X. Pharmacop. Reg. Diacodia*, & *Lohoch* è *capitibus papaveris*, *ſiliquis*, *paſſulis*, *dactylis*, *jujubis*, &c. quæ omnia craſſum & viſcoſum, præſertim ſi diutius paulò, prout fructus deſiderant, coquantur, efficere decoctum, in hactenus examinatis animadverſionibus hinc indè edocuit, parare præcipiat.

In LOHOCH PASSULARUM *pag. 170.* nihil notat

LOHOCH E PINO MESUES pag. cit. præparationem omni prorſus judicio & ratione carere, cavillatur, & 1. quia *Gummi Arabicum & Tragacanthum in tribus libris aquæ Capillorum Veneris macerari & diſſoluta per cribrum ſetaceum transmitti, (quod nil niſi craſſa & viſcida mucilago erit) nec non libris duabus mellis immiſceri debeant; qualis indè exſurgat hujus Lohoch durabilis conſiſtentia*, quærit? Verùm cùm *gummi arabicum* & *tragacanthum* in *aquâ capillorum Veneris* ſoluta, ſupra *lentum ignem*, *diu rudiculâ ligneâ moveri*, præcipiantur, eo ipſo partem aliquam *capillorum Veneris aquæ* iterum evaporare, diſcitur; cujus ſcilicet major, quàm par eſt, quantitas, minùs durabilem conſiſtentiam Lohoch largiretur.

Præterea non ſolæ illæ mucilagines, ſed unà cum *librâ unâ* aliarum *ſpecierum*, *ſaccharo* inſuper & *melle* permiſtæ, adſervantur; quæ omnia durabiliorem conſiſtentiam huic Lohoch imprimunt.

2. *Si utrumq;*, pergit Zvelferus, *Gummi duabus libris mellis commiſtum ſit, & pulveres tenuiſsimi radicum Iridis, Capillorum Veneris, Glycyrrhizæ, Sacchari & Amyli pariter etiam illis additi & inſperſi ſint, quomodo melli Paſſularum, in quo ſuccus Liquiritiæ diſſolutus ſit, ea denuò ſeparatim commiſcere debeo?* Exigua hîc difficultas. *Utrumq; gummi miſtum*, *Melli Paſſularum additur.* Ubi per τὸ *miſtum* intelligitur, *gummi* cum *melle* aliiſque pulveribus miſtum; quam miſturam cum *Melle Paſſularum* conjungi poſſe, reapſe patet.

3. Quid cum reliquis ingredientibus, *pineis*, *amygdalis* &c. faciendum ſit; an ea omnia omittenda, vel in qua formâ addenda ſint, quærit? Quanquam tam clarè ab Auguſtanis hoc non determinetur; unumquemque tamen Pharmacopœum, ea non omittenda eſſe, & qua in formâ addi debeant, minimè latere poteſt.

Prout ſi *inciſa & contuſa*, juxta normam *Lohoch de papavere Meſues*, in fine cum reliquo *melle* addantur, res ſatis benè peragitur.

Verùm diutius in his, à Zvelfero contra obſoletum hoc medicamentum eructatis, objectionibus tempus terere nolo; ſed nugas iſtas dimitto.

In LOHOCH *E PORTULACA*, & E PULMONE VUL-

PIS MESUES *pag. 171.* quod ſingulariter moneat, non invenit. Quàlis liquor, & quantùm de ipſo pro diſſolutione *ſacchari* in *Lohoch è Pulmone vulpis* præparatione ſumi debeat, Zvelferi deciſione adquieſco, & quemlibet peritum Pharmacopœum id facilè noſſe, reſpondeo.

LOHOCH SANUM ET EXPERTUM *pag. 172.* ut ad mentem Auguſtanorum ori & oculis gratum efficiant, multùm ſe Pharmacopœos torquere, ſcribit. Licet Auguſtani ut oculis & ori gratum medicamentum hoc fiat, non repugnent; expreſsè tamen mentem ſuam haud explicant; nec ex ipſis Eorum verbis ullo modo demonſtrabitur, quòd propriè velint, ut ori ſimulque oculis gratum evadat.

An verò has dotes habeat, non determino, cùm in quonam illa gratia conſiſtere debeat, ignorem.

Impoſſibile autem eſſe, ut medicamenta ori oculisque ſemper arrideant, nemo non ſcire poteſt.

Quod nonnullorum præparandi modum, videlicet per deſtillationem, ſpectat, miſſum facio, cùm de eo Auguſtani nihil prodant.

In coctione autem *cinnamomi, hyſſopi* &c. partes ſubtiliores licet amittantur; tanti tamen exiguæ illius portionis ſpirituoſæ, in hoc cumprimis medicamento, jactura facienda non eſt.

In *LOHOCH E SUCCO SCILLÆ GALENI*, & E SCILLA COMPOSITO MESUES, SIVE LOHOCH AD ASTHMA *pag. eâd.* nihil aliud notat, quàm quòd *ſecundùm artem & Pharmacopœorum judicium* præparari poſſint. Quo ipſo Auguſtanis conſentit, ac illud: *Fiat ſecundùm artem*, (quod ſi alibi quoque obſervaſſet, multarum animadverſionum labori ſuperſedere potuiſſet) Pharmacopœorum eſſe, indicat.



RESTI-

RESTITUTA
CLASSIS UNDECIMA,
Confectiones seu Species aromaticas edocens.

IN hujus *Classis* Animadversionum frontispicio, vix quidquam quoad præparandi normam corrigendum esse, fatetur. Attamen ne hæc sola virulentam effugiat censuram, unum & alterum, ratione compositionis, exagitandum eligit.

I. Valdopere ipsi displicet prodigiosa ubertas tot tantarumque compositionum, quarum vel paucas, ut publicis Dispensatoriis inserantur, dignas censet. Quod de magno hujus *Classis* compositionum numero iterum hic deblaterat Zvelferus, anili potius contentioni, quam Philosopho, qualis Zvelferus videri vult, dignæ animadversioni simile est.

Cur autem ubertas illa displiceat, nullam aliam causam video, quàm quia ab Augustanis in medium adducta fuit, quos omnibus modis acerbissimè perstringendos sibi proposuit.

Lectori autem Benevolo prodigiosam *Pulverum* ubertatem, in *Pharmacopœia Regiæ Classe nonâ* positam, denuo perpendendam sisto.

Quin similem quoque Medicamentorum copiam in *Classe undecimâ Pharmacop. Reg.*, quæ præsenti *Augustanorum Classi undecimæ* respondet, reperio. Sepositis enim Augustanorum compositionibus non ampliùs usitatis (quæ, respectu omnium compositionum dictæ *Classis*, plus quàm tertiam earum partem constituunt) ideoque typo minori expressis, idem ferè numerus usualium superer it, quem in *citatâ Classe undecimâ Pharmacop. Reg.* deprehendere, datur.

Cur verò illæ Augustanorum compositiones publicis Dispensatoriis ut inserantur, indignæ sunt? *Quia ex tantâ*, respondet Zvelferus, *ingredientium inter se repugnantium farragine, sine omni ratione & judicio conglomeratæ sunt, ut vel utenti nauseam moveant, vel penitiùs perlustranti, risum extorqueant.*

Ego

Ego verò commiseratione ducor, dum in tam perversam, omni ratione & judicio destitutam, sententiam, Zvelferum seductum conspicio.

Video quidem ingredientium repugnantiam, & sine ratione conglomerationem objici; ast non probari.

Namque illa, quæ mox subjungit, nil quidquam horum probant; dum scribit: 1. *quippe integræ & prolixæ satis compositioni aliquando ingredientis cujusdam drachmam unam vel alteram adjiciunt, à qua totum compositum vel refrigerandi, calefaciendi, siccandi vel humectandi virtutes mutuari debet; cujus tamen vel libra à quovis homine comesta, vix ullam in dictis qualitatibus causabit alterationem.* Hoc iterum facilè quidem dictu est; probatione tamen adhuc indiget; qua datâ, quid subsit, demum videndum erit.

2. *Si exacta computatio institueretur, quantum de uno vel altero ingrediente, in quod illi ingentem spem vel refrigerandi, vel calefaciendi, aut roborandi collocant, in quamvis dosin redundaret; certò inveniremus, quòd aliquando vix granum, ne dicam quarta vel decima pars unius grani dosin ingrederetur; cujus tamen vel uncia integra, vel drachma de aliquibus plus minusve, cum emolumento ægri, propinari posset.* Sed neque hæc objectio alicujus momenti est. Augustani enim in his medicamentis plura eundem in finem conspirantia ingredientia ponunt; quorum efficacia, sive vis refrigerandi, calefaciendi, vel roborandi, ex unitis istis resultat; quæ superstitiosè ab invicem separari non debent.

Econtra si singula seorsim in eâ dosi, qua quamlibet totius compositi dosin ingrediuntur, sumerentur, & Augustani ingentem spem in tam parvam simplicis alicujus dosin collocarent, tunc majori jure eos petere posset Zvelferus. Ast cùm id non fiat, futile Zvelferi argumentum sponte concidit.

Idcirco etiam, quod adducit *lapidis badzahardici*, sive uti vulgò dicitur *bezoardici*, nec non *margaritarum orientalium* exemplum, nihil evincit; quorum simplicium non semel *integras drachmas* pro dosi à Mercatoribus insigni cum emolumento ægrotantibus porrectas fuisse, testatur, subjungens: *Ecquis autem Medicorum ausit scrupulum dimidium dictorum medicamentorum transcendere?*

Lapidem badzahardicum hîc in medium adduci, miror; cùm is per universam hanc *Classem* ne quidem nominetur, taceam, quòd præscribatur.

Non quidem impugnabo, talia medicamenta in majori dosi, & ad integras drachmas exhiberi nonnunquam posse. Indè tamen, Augustanos in *Speciebus* suis *aromaticis granum unum &c. perlarum* pro dosi unà addentes errâsse; & *perlarum* &c. dosin drachmis circumscribendam esse, minimè sequitur.

Neque

Neque enim, uti jam dixi, *perlæ* ſolæ &c. in iſtis Speciebus præſcribuntur; ſed cunctæ cum aliis ingredientibus, eundem ad ſcopum directis; id quod eò frequentiùs à Medicis obſervatur, quò majori precio iſtiusmodi ſimplicia precioſa veniunt.

Nec valet conſequentia: hic, aut ille *margaritarum drachmam unam* cum fructu abſorpſit. Ergo tam magna doſis earum ubique eſſe debet.

Zvelfero autem quærenti: *Ecquis Medicorum auſit ſcrupulum dimidium dictorum medicamentorum tranſcendere?* facilè aliquot excellentium Medicorum ſiſtere licet, qui *lapidis badzahardici* doſin ultra *ſcrupulum dimidium* extendere auſi fuerunt.

Hieronym. Mercurialis cap. 23. de peſtilent. ſummam hujus doſin *drachmam unam* conſtituit.

Jacobus Primeroſius, *imò*, inquit, *firmiter credo*, *poſſe ad drachmam unam innoxiè aſſumi*, *tam benignum atque innocens eſt remedium*, *lib. 4. de vulgi in medicinâ errorib. cap. 37.* ubi etiam eundem à *Fumanello* ad *drachmam unam* commendari, prodit.

Zacutus Luſitanus lib. 1. de Medic. princ. hiſt. obſerv. 34. hæc habet: *in diuturnis & aliis non ita acutis & periculoſis morbis*, *ſeptem aut octo grana exhibere ſalubrius eſt. Si verò ſuâ acutie malitiaq; urgeat affectus*, *multò majorem quantitatem porrigere non dubitamus.*

Et *obſervat. ſeq. 35*, nec non *lib. 3. de prax. medic. admir.* unam alteramque ad *drachmam integram* feliciter exhibiti lapidis hujus obſervationem adducit.

Nonnullos ad *grana triginta* propinare, ex *Cæſalpino Bauhinus de lap. bezoar cap. 34.* refert.

Diomedem Amicum lib. de peſte cap. 46. ſæpius ad *grana viginti quatuor* in peſte dediſſe; *Richardum*, *ſcrupulum unum atque alterum* in ſanis absque periculo aut nocumento adſumi, ſtatuere; multos ad *grana duodecim* adſcendere, ex *Bauhino l. c.* patet.

Indiſcriminatim tamen doſis adaugeri non debet, ſed morbi, ægri &c. diligens habeatur ratio.

Hinc nullo modo argumentari licet: *lapidem badzahardicum* cum emolumento fuiſſe aliquando ad *drachmam unam* exhibitum, obſervatum fuit. Ergo riſu excipiendi ſunt illi, qui parvâ ejus doſi paucisque granis nonnunquam contenti ſunt.

Aliàs regerere liceret: Parvam illam doſin profuiſſe, plurimæ obſervationes à Practicis conſignatæ teſtantur. Ergo exſibilandi ſunt illi, qui magnam ejus doſin, drachmamque integram aliquando propinant.

Non

Non adeo dissimile exemplum *opium* sistit, cujus *granum unum, duo, tria* &c. cum emolumento ægri multoties præscribuntur; sed cùm non semel, ultra *scrupulum unum* absque nocumento adsumtum fuisse, observetur; isti, qui parvam illam, uti par est, dosin sectantur, risu pariter excipiendi forent; in quem tamen nemo prudens solvetur.

Itaque *dosis illius alexipharmaci diligentiori perpendatur examine. Multos namque*, ut verbis *Petri à Castro de febre maligna puncticulari sect. 8. §. 13. pag. 185.* utar, *vidimus, qui hujus sine ullo delectu ingentem granorum copiam exhibentes, tantum abest, ut quicquam profuerint, quin potius in ruinam inemendabilem egerint miseros languentes, auxilium infamantes, quod aliis fuisset saluti.*

Sic quoque *scrupulum dimidium perlarum* pro dosi audere Medicos transcendere, nemo nisi in eorum libris planè hospes negat.

Jul. Cæs. Claudinus de ingr. ad infirm. lib. 2. sect. 2. cap. 22. ad *scrupulum unum* usque dari posse *margaritas*, adserit.

Crato in consil. de peste, ad *scrupulum unum, scrupulum unum & dimidium*, imò *scrupulos duos* easdem præscribit.

Plures alios, brevitatis causâ, omitto.

En itaque Medicos, qui *scrupulum dimidium* dictorum medicamentorum transcendere audent!

Verùm nec ipse Zvelferus designatam modò nominatorum simplicium quantitatem transcendere, quandoque ausus fuit; v. g. *Pharmac. Reg. pag. 97.* in *Pulvere contra abortum*; cujus dosin, sive *drachmam unam, margaritarum* saltem *grana duo cum dimidio* circiter ingrediuntur; *pag. 98. Pulveris bezoardici primi* dosis, vel *drachma una*, ferè tantùm *grana sex lapidis badzahardici occidentalis* recipit; *pag. 115. Specierum cordialium solarium & alexipharmacarum* dosin summam, parùm ultra *grana duo lapidis badzahar. orientalis & occidentalis*, ac *margaritarum granum unum cum dimidio circiter* solùm ingrediuntur.

Quid de *Pulvere Excell. DN. Antonij de Pozis* supra jam citato, dicam? Cui laudes suas in dubium vocare equidem nolo; hoc tamen tantùm notans; quòd ejus dosis una, sive *drachma dimidia*, nec *integra grana quinque dicti lapidis*, nec *margaritarum granum unum* contineat; & tamen multa præclara specimina, ægrotos juvando, cum eo edita fuisse, ac magno successu deploratis eum succurrere, dicitur.

De *Theriacâ*, quam pariter exempli loco adducit, hîc quidem differendi non est locus; cujus nimirum in totâ hac *Classe* nullibi mentio facta fuit; sed *unciam dimidiam* de eâ, observatâ ægri naturâ, aliisque necessariis circumstantiis, quandoque exhiberi posse, non negabo.

Quamvis

Quamvis propterea illi, qui *drachmam unam* pro dosi statuunt, nullo modo culpari possint.

Scilicet ubique prudentia medica accedat, necesse est; cùm vel in parvâ quantitate nonnunquam haud prosit, vel in largâ obsit; qualem de *Theriacâ*, in nimiâ quantitate sumtâ, observationem *Philippus Salmuth observat. medic. 51. centur. 1.* suggerit.

Interea licet Zvelferus *nunquam viderit Medicos ultra drachmam unam Theriacæ adscendisse*, in eorum tamen scriptis legi potest, quòd Medici quandoque ultra *drachmam unam* adscenderint.

Ebn Sina lib. 1. fen. 1. tract. 1. Theriacam aurei pondere, quod *drachmam unam* excedit, propinatam commendat.

Theriacæ aut Mithridatij, scribit *Rodericus à Fonseca cap. 17. de sanitate tuendâ, drachmas duas cum vino generoso adsumere à veneni potu decet, & post duas horas repetere, quò veneni vis frangatur.*

Alios, qui *drachmam unam* præscripsisse conspiciuntur, dosin hanc certis in casibus aliquoties repetendam esse, innuisse, constat. Conferantur *Damocratis* de *dosi Theriacæ* verba, à *Galeno lib. 1. de antidotis cap. 16.* notata.

II. Inconcinnum & absonum vocat, composita compositis cumulare; quod tamen ab Augustanis in hujus *Classis* compositionibus factum agnoscit; & exempli loco tum TRAGÆAM GROSSAM CUM TABULATIS *pag. 193*, tum CONFECTIONEM PECTORALEM *pag. 192.* adducit.

In hac notat: 1. ultra species simplices ipsi destinatas, *Species diatragacanthi frigidi* & *Species diaireos*, hasque iterum dictas *diatragacanthi Species* ingredi, ut ita *radices liquiritiæ, saccharum, tragacanthum & gummi arabicum* ter, *radices iridis florentinæ* bis confectioni huic distinctim addi debeant. Ast non video, quid absurdi hoc involvat; quin potius absurdi sunt, qui hoc in genere absurdum vocant, nec unum ingrediens ab altero, ratione alterius compositi, ingrediente, in virtute augeri considerant.

Istæ etiam *Species diaireos* non propter hanc *Confectionem pectoralem*, nec *Species diatragacanthi frigidi* propter utrumque illud compositum saltem in officinis parantur; sed jam antea alios in usus quoque prostant.

Si autem *inconcinnum est & absonum, composita compositis cumulare, quilibet, qui ingredientia compositionum nonnullarum Pharmacopœiæ Regiæ Zvelferi ad computationem reducere non gravabitur, haud difficulter* ibidem quoque *absonum* illud *agnoscet.*

Exemplo in præsens esto unum alterumque illorum medicamentorum; nempe *pag. 125. Confectio pectoralis*, quam ultra species simplices ipsi destina-

tas, *Species diaireos*, *Essentia rosata saccharina*, & *Elæosaccharum anisi* ingrediuntur, ita ut *saccharum* quater, *radices iridis florentinæ* ter, *radices enulæ & liquiritiæ* bis huic confectioni distinctim addi debeant. Sic quoque *pag. 130.* in *Trochiscis cephalicis*, *saccharum* sexies, *aqua rosarum* ter ponitur; *pag. 132.* in *Pastillis pectoralibus secundis*, *saccharum canarium*, *radices iridis & liquiritiæ* ter, *aqua rosarum* bis separatim additur.

2. In resolutione *Confectionis hujus pectoralis* ad calculum revocatâ, turpiter iterum impingit, atque ut irritus ipsius *magnus* in calculando *labor*, de quo conqueritur, fiat, efficit.

Et quidem *liquiritiæ* ʒj. gr. ivß. *circiter*, non ʒj. gr. v. hanc compositionem ingrediuntur; *tragacanthi* ℈j. gr. xvß. *præter propter*, non ℈ij. gr. xiij; *gummi arabici* ℈j. & gr. ijß. *incirca*, non ℈j. gr. xviij; *sacchari penidij* ℈ij. gr. xiij. *circiter*, non ʒß. gr. xvj; *seminum quatuor frigidorum majorum an.* gr. ivß. non *an.* gr. iijß.

Ubi Lector Amicus simul notet, in *Speciebus diatragacanthi frigidi*, *radicum liquiritiæ*, & *seminum quatuor frigidorum majorum* pondus anaticum præscribi; demtâ ergo illâ *radicis liquiritiæ drachmâ unâ*, quæ per se *Confectionem pectoralem nostram* intrat, reliquum pondus necessariò cum pondere cujuslibet *seminis frigidi majoris* convenire debere; Zvelferus autem *radic. liquirit.* gr. v. & cujuslibet *seminis* gr. iijß. ponit.

Et hæc est illa *exactissima & diligentissima resolutio*, quam in compositionibus, quas composita ingrediuntur, in *Electuarij rosati Mesues animadversionibus* pollicitus fuit.

Sed neque hîc finis errorum; ulterius in Arithmeticæ leges peccat; postquam enim singulorum ingredientium *Confectionis pectoralis Augustanorum* (omisso tamen, nescio qua de causâ, nisi fortè ex negligentiâ, *semine papaveris albi*) rudem dedit resolutionem, sic pergit: *Hujus compositionis nunc summatim erunt* ℥xxij. Verùm si adsignatarum à Zvelfero cujuslibet ingredientis dosium computatio instituatur, non ℥xxij, sed ℥xxj. ʒvij. ℈j. gr. iv$\frac{1}{5}$; sique insuper illa omissa *grana sex, & quod excedit, seminis papaveris albi* accedant, ℥xxj. ʒvij. ℈j. gxj. *ferè* calculus exhibet. Augustanorum autem compositio ℥xxj. ʒvij. ℈ß. continet.

3. Positâ nunc medicamenti præsentis dosi *unciâ dimidiâ*, totius autem ℥xxij, sive *dosibus quadraginta quatuor*; quantùm de *camphorâ*, *saccharo penidio*, *seminibus quatuor frigidis majoribus*, & *amylo dosin unam* ingrediatur, nimis curiosè enumerat.

Ast præterquam quòd ratione *sacchari penidij* iterum cæcutiat, dum ex proprio suo, modò producto fundamento, *sacchari hujus granum unum* quam-

quamlibet dosin intrare perhibet; cùm potius *granum unum & vigesima secunda pars grani unius* intret, nihil singulare hîc deprehendo; cùm v. g. non *saccharum penidium*, vel *semina* sola, sed aliis ad unum scopum collimantibus simplicibus juncta hîc præscribantur.

Verùm sic Augustani, cùm aliud non suppeteret, oppugnandi erant; qui tamen eundem in scopulum impegisse Zvelferum, mirantur, & quin toto pectore rideant, vix se continere valent.

Exempli loco sint *Morselli vel Rotulæ pectorales Pharmacop. Reg. pag. 125.* descripti, quæ tota compositio si ℥xvß. contineat, & *dosis una, uncia dimidia* existat; *camphora* (utpote quæ *Species diaireos*, ad hos Morsellos expetitas, ingreditur; species autem istas pondus *unciarum decem, & drachmarum duarum* habere, suppono) *grani unius decima circiter pars*, *olei fœniculi grani unius septima circiter pars*, *amyli grana tria cum dimidio ferè*, *resinæ styracis grana quatuor incirca*, & *croci grana duo præter propter* unicam dosin ingrediuntur.

4. Elibratâ sic parvâ admodum *camphoræ*, *sacchari penidij*, *amyli* &c. pro singulâ dosi quantitate; de *sacchero penidio*, cujus *granum unum dosin unam Confectionis pectoralis Augustanæ* continere, scribit, ita quærit: *Sed quæso, nonne infantes, Sacchari Penidij unciam dimidiam sæpissimè, & unicâ vice sine nocumento lambunt, nihil enim aliud ipsum est, quàm Saccharum purissimum, nullâ re permistum, sed saltem manualibus operationibus friabile redditum, quæ ℥ß. continet 240 gran-*: Illud infantes interdum in tantâ quantitate, licet non semper absque nocumento, lambere, quis dubitat?

Ast non nisi ratione manualis operationis à *sacchero purissimo* differre, adhuc probari debet; de quo in *Sirupo capillorum Veneris composito pag. 28.* actum fuit.

Tam frigida autem hæc est Zvelferi objectio, ut vel indoctus eam solvere posset. Sic v. g. *vinum* nonnunquam in medicamentum ad ℥j. ℥ij. ℥iij. recipitur; quale exemplum *Pharmacop. Reg. pag. 41.* porrigit; sed quæso, nonne frequenter *aliquot ejus unciæ* sine noxâ hauriuntur? nonne Baccho dicata gula sæpissime uno die *multas vini libras* sine nocumento ingurgitat? Et tamen parvula ejus quantitas languentem sæpe in vitam revocat.

Sed *saccharum* repeto, cujus nec quidem *grana duodecim* pro *unâ* dosi sive *drachmâ* in *Pulvere contra vermes primo Pharmacop. Reg. pag. 97.* præscribit; & *pag. 115. Specierum cephalicarum* similiter dosi uni non *grana sedecim* destinat; Et tamen pueros, atque adultos sæpissime *integras uncias* sine nocumento deglutire, videmus.

Eodem robore pollet, quod de *amylo* adfert, cujus dosin parvam in *Con-*

fectione pectorali August. carpit; quia illud (cùm sit *farina tritici purissima*) infantes quotidie sat largiter, cum *lacte* in pulticulam redactum, adsumere monet. Ast *amylum* à *farinâ tritici*, molendinæ ope paratâ, distare, ejus præparatio, quæ ad modum confectionis *Fecularum* instituitur, Zvelferum docere debuisset.

Sed his non consideratis, in parvâ tamen quantitate medicamentis, (cùm medicamentariam vim quoq; possideat) admisceri non debere, haud sequitur.

Quia tamen in Augustanos animadvertendum fuit, ficulneum hoc argumentum pariter adduci debuit.

Ast miserum Zvelferum, qui suis paulò antea productis *Morsellis pectoralibus Pharmac. Reg. pag. 125. amylum* in parcâ mole ipse addidit; sic ut nec integra *grana quatuor amyli* unam morsellorum dosin ingrediantur!

Parvum quoque *amyli* pondus pro singulâ dosi in *Diacodio pectorali solido Pharmacop. Reg. pag. 109*; in *Lohoch pectorali pag. 110*; atque *Lohoch sano & experto pag. 111.* occurrit.

Nunc quoque, sed breviter, *Tragæa grossa cum tabulatis* perlustranda est, in quam dum inter cætera ingredientia, *drachmæ sex Tabularum aromatici rosati* recipiuntur; has *viginti quinque circiter grana Specierum aromatici rosati* continere, statuit, quæ sint ferè *centesima pars totius compositi*, scilicet *Aromatici rosati.* Verùm malum Arithmeticum hîc etiam agit. Istæ enim *drachmæ sex Tabularum* non *grana viginti quinque circiter*, sed *scrupulos duos*, sive *grana quadraginta Specierum aromatici rosati* complectuntur; si juxta Augustanorum monitum, quod in *hujus Classis principio* habetur, pro *drachmâ unâ specierum, uncia una sacchari*, ad formam solidam, qualem Tabulæ præ se ferunt, parandam accipiatur.

Hoc igitur Zvelferi suppositum quia claudicat; alterum quoque, quod huic superstruit, adsertum falsum est; videlicet quòd illa Specierum quantitas ad *drachmas sex Tabularum* expetita, *centesima circiter* totius compositi, scilicet *Specierum aromatici rosati* pars sit; cùm potius *septuagesimam secundam* earum partem esse, calculo facilè explorari queat.

Falsum etiam est, *drachmam unam hujus Trageæ grossæ*, quæ è *drachmis octuaginta duabus* constat, *dimidium granum cum dimidio quadrante unius grani specierum dictarum* continere, quia paulò minùs, quàm *dimidium granum* earum in se recipit.

Non minùs in computatione iterum aberrat Zvelferus, dum *Trageam hanc uncias octo drachmasque quinque* habere, scribit; cùm *uncias decem & drachmas duas*, vel is, qui prima Arithmeticæ fundamenta addiscit, computando eruere sine labore valeat.

Sed

Sed hunc *maximè admirandum* Zvelferi calculum remitto, *indignum sanè, ut prolixiùs de eo disseratur.*

III. Fructus, uti *passulas majores, dactylos, caricas* pulveribus, videlicet obsoletis illis *SPECIEBUS DIAHYSSOPU NICOLAI pag. 181, DIAIREOS SALOMONIS pag. 182*, & *DIAPRASIU NICOLAI pag. 188.* immiscere Augustanos, objicit, *quorum*, scribit, *si pariter exacta* (scilicet uti præcedens) *computatio fieri deberet, quot granis putas enumerati fructus, quamlibet dosin ditarent?* Hinc meliùs fore judicat, fructus illos recentes per se ægroto offerre, non exsiccatos, inque pulverem contusos. Si fructus tales per se solos paucis istis granis demensos ægris commendarent Augustani, aliquid memoratu dignum objiceret Zvelferus; sed quia mistos cum aliis ingredientibus, eorum virtutem adjuvantibus, proponunt, iniquum nimis se præbet, & animadversione se ipsum dignum æstimat.

Quoties namque fructus, utpote amygdalas, pineas, pistacia in Pharmacopœiâ Regiâ Confectionibus suis immiscet, videlicet Speciebus diaireos, Morsellis cephalicis secundis, confortantibus virilibus, confortantibus primis & secundis, stomachicis & pectoralibus? quorum si pariter exacta computatio fieri deberet, quot granis putas enumerati fructus quamlibet dosin ditarent? Anne melius foret, fructus illos ceu palato satis gratos, ita per se recentes esse, quàm vel pulverisatos, vel alio modo rebus aliis commixtos ægrotantibus propinasse? Si enim singulorum modò enumeratorum Zvelferi medicamentorum dosis *uncia dimidia* statuatur, una dosis, v. g. *Specierum diaireos* nec integrum *scrupulum pinearum*; *Morsellorum confortantium virilium* non *scrupulum dimidium pistaciorum & pinearum*; *Morsellorum stomachicorum* paulò ultra *scrupuli semissem amygdalorum dulcium*; *Morsellorum pectoralium* non *grana duo pinearum* capiet.

IV. Miratur Zvelferus, *quòd tantas tamq; eximias virtutes rebus tam levissimis attribuerint Augustani, quæ loco alimenti vel cibi passim assumuntur, & in centupla majori quantitate, quàm communiter his speciebus permixtæ, pro dosi propinentur.* Miror Zvelferum, quòd tam levia in medium adducat. Prout enim de fructibus illis in paulò præcedente discursu reformatis, videlicet *passulis majoribus, dactylis & caricis* eum loqui existimo: ita si Augustani de iis dicant, quòd pectori conducant & tussientes sublevent; non video, quid tantâ admiratione dignum proferant; nisi propter hoc ipsum Creatoris, in rebus etiam istiusmodi, quas *levissimas* ille vocat, erga homines benignitatem, fructus istos non tantùm alimentariâ, sed & medicamentoriâ virtute exornantem, mirari quis velit.

Pollere

Pollere autem dictos fructus facultate istâ, effectus ipse, præter innumera Medicorum suffragia, comprobat.

Licet etiam alimenti vel cibi loco in largâ quantitate adsumantur; propterea tamen virtutes medicamentosas ipsis inesse, nemo prudens negabit.

Alimenta enim considerantur, vel ut simpliciter alimentosa, vel ut medicamentosa simul; sicque *Passulæ majores* &c. etiamsi nutriendi vi pollere dicantur, vim tamen alterativam quoque obtinent.

Sed quia mirandi ansam subministrat Zvelferus, mirabor & ego, quòd Zvelferus *tantas tamq; eximias virtutes passulis majoribus, dactylis & caricis attribuerit, qui tamen fructus, loco alimenti vel cibi, passim adsumuntur, & in centuplâ majori quantitate, quàm Zvelferus eos in medicamentis pro dosi propinat.* Si vel unicum *Lohoch sanum & expertum Pharmac. Reg. pag. 111.* quis intueatur, *passulas majores, dactylos & ficus* in eo positos observabit; quibus *pineæ atque amygdala*, quæ pariter alimenti loco passim adsumuntur, juncta majorem mirandi occasionem præbent.

V. *Seminis cymini* cum *aceto*, pro *DIACYMINO NICOLAI pag. 178.* & *DIASPOLITICO GALENI* (non *Nicolai*) *pag. 179. præparationem planè destructoriam* adpellat, *& illegitimam, cùm nullius veneni aut alterius qualitatis nocivæ, correctione indigentis, particeps sit*; ejus autem non præparati frequens usus in cibis condiendis existat. Unde nihil præstare putat, quia virtute carminativâ destituitur, præsertim in exiguâ dosi, qua in medicamentis illis propinatur. Quæ consequentia? *Cyminum* nullius venenatæ vel nocivæ qualitatis particeps est; Ergo cum *aceto* malè præparatur.

Non solùm res illæ præparationi destinantur, quæ venenum vel aliud quid noxium in se continent; sed & multæ aliæ.

Sic *Dan. Sennertus Institut. medic. lib. 5. part. 3. sect. 2. cap. 9.* macerationem fieri statuit; ut 1. vis medicamenti extrahatur; 2. ut nonnullorum malignitas corrigatur; 3. ut vis medicamenti intendatur; prout radices aperientes *aceto* macerantur, ut vis incidendi augeatur; 4. ut dura emolliantur, atque ad coctionem præparentur.

Sic *Bolos vel terras medicinales* cum *rore majali*, decoctis nonnullis &c. imbuere & exsiccare, ipse Zvelferus præcipit, non pro nocivâ aliquâ qualitate ipsis adimenda, sed ut *majoribus virtutibus imprægnet.*

Augustani autem causam illius cum *aceto* macerationis cùm non adsignent; illam nocivæ alicujus qualitatis correctionem tam audacter pro

verâ

verâ venditare, haud decuit; quanquam ob tertium à *Sennerto* positum scopum eam fieri, credibile sit.

Istâ verò cum *aceto* maceratione vim *cymini* carminativam destrui, Zvelferus minimè probat.

Si ab *aceti* substantiâ hoc deduxit; libenter modum, quo *acetum* hoc præstare queat, scirem.

Si ob insequentem macerati *cymini* exsiccationem; aliquam virtutis carminativæ partem in aërem abire, equidem concedo; ast omnem *planè destrui*, pernego.

Sin *acetum*, quo *cyminum* maceratur, effundi & separari, ac cum eo vim quoque carminativam abjici, existimat, fallitur; dum *cyminum* unà cum *aceto* exsiccatur.

Neque etiam tanta *aceti* quantitas sumitur; modicum enim ejus sufficit.

Ubi *Sennerti d. l.* de liquoris ad macerationem adhibendi mensurâ sententiam notare decet, dum magnam rerum infundendarum diversitatem, nec scopum semper eundem esse, pronunciat.

Licet in condiendis cibis *cymini* non præparati usus sit; propterea tamen pro ejus usu medico præparari non posse, nemo concludat.

Qui tamen *cyminum* non præparatum dictis quoque speciebus, loco præparati, addi posse, existimant, illis litem non movebo.

VI. In *gemmarum & lapidum preciosorum*, pluribus *Classis hujus* compositionibus additorum, usum communem invehitur; quia *Adamantem*, subtilissimè etiam tritum ac levigatum, prout & *vitrum*, nihilominus ventriculum atque intestina successu temporis terebrare, aut ad minimum exulcerare, connatumque eorum mucorem abradere, & consequenter vel mortem ipsam, vel saltem malum corporis habitum, ob vitiatam exinde ventriculi coctionem, inducere posse, arbitratur. Hinc simile quid ab aliis gemmis & lapidibus durioribus, *crystallo*, *smaragdo*, *saphyro*, *rubino* &c. metuendum esse, putat; utpote quæ digestioni penitus subjecta non sint, & caloris nostri nativi imperium penitus respuant. Eos tamen in medicinâ prorsus inutiles esse, nec eximiis suis virtutibus pollere, haud existimat; si ritè & debito suo menstruo in liquorem resoluti ægris propinentur, aut externè periaptorum adinstar, adhibeantur. Sed prout illud, quod de *Adamante*, cujus usum medicum Augustani nullibi tradunt, eidemque ad ornatum & pompam potius locum relinquunt, aliorum vestigiis insistens, profert, maximè dubium adhuc est: ita & quod huic fundamento innititur, adsertum vacillat.

Historiæ

Historiæ à *Garcia ab Orta lib. 1. aromat. & simplic. meditam. histor. cap. 47.* productæ, & integri, & in scobem comminuti *adamantis* innocuum usum propugnare videntur.

Nullius, modò *citatus Garcias* scribit, *est in medicinâ usus; tametsi invenerim medicos indigenas, qui eum per syringam in vesicam injiciebant ad confringendum calculum. Per os verò ampliùs non exhibent, quoniam erronea quædam persuasio in vulgus pervasit, deleteriæ facultatis esse, si intrò sumatur Adamas, ob suam tenuitatem & penetrandi vim, qua intestina perforaret scilicet: cujus opinionis etiam video esse aliquot è recentioribus medicis.*

Sed vanam esse persuasionem hanc, repetit, & Æthiopes Gemmariorum servos se novisse, refert, qui Adamantes deglutierint, atque deinde sine aliquo nocumento cum excrementis ejecerint.

Mulierem etiam quandam marito antiquâ dysenteriâ laboranti gemmæ illius scobem per multos dies sine ullâ noxâ propinâsse, memorat.

Anselmus Boëtius de Boodt lib. 2. de gemmis & lapidibus cap. 4, quem etiam Zvelferus hîc citat, *adamantis scobe Paracelsum* sublatum, discipulos ejus venditare, scribit, *fortassis ut ipsius imposturam tegant. Nam cum ille vitam perennem vel longævam medicamentis suis promisisset, in flore tamen virili extinctus est. Commodior sanè fingi non potuit ratio eâ, quæ ab Adamantis pulvere sumitur, quem ajunt, non quia venenum est, sed quia duritie intestina corrodit, interficere.* Contrarium tamen *Boëtius* defendit, & nec qualitate manifestâ primâ, vel secundâ, nec occultâ interficere, concludit.

Sed litem hanc meam non facio, nec materiam illam tractandi locus hîc suppetit.

Posito itaque, omne id, quod de *Adamante* recenset Zvelferus, ita se habere, non tamen illud ipsum de reliquis gemmis adfirmare, pariter licet; quæ nullo modo tantâ, quantâ *Adamas*, præditæ sunt duritie, neque tam asperis angulis, ob quorum vim terebrantem & exulcerantem mors, vel malus corporis habitus induceretur, horret.

Crede mihi, vanos res habet ista metus.
Terror in his ipso major solet esse periclo.

Testes advoco tot hominum myriades, qui similibus gemmis lapidibusque durioribus, eo, quem Augustani describunt, modo præparatis, sine ullo damno, sed potius cum emolumento, aliis rebus, prout in hac Augustanorum *Classe* videri potest, permistis usi fuerunt, & adhuc indies utuntur; qui exemplo suo frivolas istas objectiones, labili fundamento innixas, funditus evertunt.

De

De reliquis durioribus corporibus, Augustæ inusitatis, vel medicamenta *Classis præsentis* usualia non ingredientibus, agere, supervacaneum esset.

Si verò quis, cum Zvelfero, illorum lapidum usum damnet, quia *digestioni penitus subjecti non sunt, & caloris nostri nativum imperium omnimodè respuunt*, longè is aberrare videtur. In tenuissimum namque & impalpabilem pulverem per præcedentem præparationem redacti si exhibeantur, à potenti fermento ventriculi (quod *aurum* solvere posse, Zvelferus in *principio Mantiss. spagyr.* credit) quodammodo eos dissolvi, propugnari fortè posset; cui fermento calor nativus auxiliatrices largitur manus; solus enim nullum utique in eos, quò substantiam ipsorum solvat, imperium obtinet; propterea tamen, fermento ventriculi unitus, potentiâ in dura ista corpora aliquid moliendi haud destituitur.

Sed omnium optimè ipse Zvelferus gemmarum per os exhibitarum efficaciam probandi medium suggerit; dum gemmis externè periaptorum instar adhibitis virtutes eximias adtribuit. Ubi si quid operando valent, necesse est, ut aliquæ subtilissimarum atomorum ex dictis gemmis separentur, perque cutis poros in corpus intromissæ virtutem suam exserant; vel ut ab illis, quod pravum vitiosumque in corpore est, attrahatur, sicque è corpore educatur. Quodcunque horum sit, gemmæ propinatæ eodem agendi jure gaudere debent; si enim per emissionem salutarium atomorum agant, in ventriculo cur eadem emissio fieri nequeat, nihil obstat. Sin per receptionem vitiosarum atomorum efficaces fiant; neque in ventriculo illa deerit, ubi dein unà cum substantiâ gemmarum per alvum iterum excernuntur.

Quilibet tamen de lapidum horum virtute medicâ, quod velit, per me sentiat. Mihi Zvelferi objectiones refutâsse, sufficit.





RESTITUTA
CLASSIS DUODECIMA,
Trochiſcos enodans.

MAgnas denuo hac in *Claſſe*, magno conatu nugas agit, atque tot ac tantas huic *Claſſi* inconcinnas eſſe inſertas compoſitiones, quæ non minùs ac illæ *prioris Claſſis* exploſionem mereantur, garrit, paucis ſaltem exceptis, *Trochiſcis* nimirum *ſublingualibus*, *Bechicis albis, rubris, & nigris, uſui* medico interno deſtinatis, & quæ *ſuffimigiis* inſervire poſſunt, *de Benzoë, & Alipta moſchata Nicolai. Reliquas* autem *compoſitiones omnes* ob quam ſingularem rationem in hanc formam redactæ ſint, ſe non videre, fatetur; cùm I. ſi in uſum trahi debeant, ſub hac formâ exhiberi nequeant; quia 1. *tragacanthum* eos duriſſimos, adeo compactos & induratos efficiat, ut poſtmodum difficillimæ triturationis ſint, piſtillo etiam & mortario ob diverſas inter ſe repugnantes ſpecies tenaciſſimè adhæreant. 2. ab humiditate oris vel ſalivâ tam promtè diſſolvi nequeant, nec etiam deglutiri uti Pilulæ.

II. Cùm mucilago tragacanthi plurium, cumprimis adſtringentium, virtutem obtundat.

Quare in formâ Pulveris, vel aliâ uſui non repugnante, eosdem adſervari debere, concludit.

Verùm hæc animadverſio, non minùs atque illæ *Superioris Claſſis*, exploſionem meretur: 1. dum ſolos *Trochiſcos ſublinguales, Bechicos albos, rubros, & nigros*, nec non *de Benzoë, & Alipta moſchata* admittit; qui tamen *Trochiſcos de agarico, ſive Agaricum trochiſcatum*, nec non *Trochiſcos alhandal*, in *hujus Claſſis principio* ab Auguſtanis poſitos, ipſe *Pharmacop. Reg. pag. 128.* inſeruit; & *pag. 131. duplices Trochiſcos pectorales* adduxit, eoque illos Auguſtanorum *pag. 204.* & *205.* deſcriptos pariter admiſit.

Unde præter recenſitos ſublinguales &c. *reliquis omnibus* forma Trochiſcorum malè derogatur.

2. Quia,

2. Quia, cur hanc in formam reliqui *Trochisci omnes* redacti sint, *se nescire*, profitetur; & tamen de *agarici ac colocynthidis Trochiscis*, qui, uti dixi, sub voculâ illa universali: *omnium*, continentur, ipse *Pharmacop. Reg. pag. cit.* causam reddit, quia nimirum *Agaricus fungus sit levissimus, & ideo volatilis, ac triturae ineptus, qui in floccos facilè abeat, ac operantem Pharmacopaeum remoretur; Colocynthis ob summam levitatem difficillimè trituretur.* Unde ut *novam induant formam*, sive *in Trochiscos cogantur*, necesse esse, arbitratur.

Sed aliorum quoque Trochiscorum formae rationem scire potuisset, cùm eadem à multis Autoribus tradatur.

Sic *Dan. Sennertus Instit. med. lib. 5. part. 3. sect. 3. cap. 21.* Trochiscos, sive Pastillos, aut Orbiculos medicamenta esse, scribit, *eo fine praecipuè inventa, ut medicamenta in pulverem redacta, sub hac solidâ figurâ adversus aëris injurias tutiùs conservari possint.*

Sic quoque Trochiscorum formam ad *medicamenti conservationem* fieri, *Guil. Rondeletius lib. 1. de comp. med.* statuit. Nam *trochiscis integris nos non semper uti*, ante Zvelferum observavit; unde *Trochiscos de scillâ*, in *Theriacâ* positos, item *Trochiscos de viperis, diarrhodon, de rhabarbaro* &c. formam perdere, dum in pulverem reducuntur, subjunxit.

Usum autem hunc ex *Dioscoridis lib. 1. cap. 7. & 13.* colligit; ubi *nardum Celticam & cinnamomum, vino* excipere, in pastillos efformare, sicque, conservationis diuturnioris causâ, adservare praecipit.

Imò optat *Rondeletius*, ut idem cum aliis Pulveribus cordialibus odoratis, quia diutius facultas eorum sic conservaretur, fieret.

Eundem conservationis finem in *Pharmacopol. officinâ* etiam producit.

3. Quia *hac in formâ eos exhiberi non posse*, adfirmat. Cùm 1. à *tragacantho* durissimi, & adeo compacti ac indurati sint, ut postmodum difficillimam triturationem efficiant. Quae quaeso, haec est consequentia? Invertere potius hoc argumentum & dicere liceret: Trochisci in formâ suâ solidâ exhiberi possunt ac debent, non in pulverem redacti, quia sunt difficillimae triturationis.

Propter illam tamen difficultatem forma talis non mox est explodenda.

Multa difficilia ars pharmaceutica habet, multa etiam *Pharmacopoeia Regia*, quae tamen propterea rejicienda esse, nemo nisi ignaviae reus dixerit.

Neque etiam illa triturationis difficultas in *omnibus reliquis* Trochiscis observatur; uti *Trochiscis de scillâ* &c.

Praeterea non simpliciter *tragacantho*, cujus beneficio utplurimum Trochiscorum formam coagmentari, Zvelferus scribit, illa difficultas adjudicari

debet. Tantillum enim sæpius est, quod de eo accedit, nec triturationem impedit, aut difficillimam reddit; quin potius eandem nonnunquam promovet; quod in *Trochiscorum alhandal* præparatione *Pharmacop. Reg. pag. 128.* ipse Zvelferus concedere cogitur.

Resinosa quidem in largâ quantitate si ingrediantur, triturationem morari posse, non nego; sed nec in *omnibus* Augustanorum Trochiscis illa permistio fit; & ita ob hanc objectam difficultatem forma Trochiscorum non planè rejicienda erit.

2. Trochiscos in suâ formâ exhiberi non posse, statuere pergit; cùm ab humiditate oris, vel salivâ tam promtè dissolvi nequeant, neque etiam deglutiri, uti Pilulæ. Si hoc valet, omnes planè Trochisci exulare debent; cùm omnium in hoc passu eadem ferè sit ratio.

Delenda erit tota *Pharmacop. Reg. Classis duodecima*, quia omnes in eâ contenti Trochisci, neque ab humiditate oris, vel salivâ tam promtè dissolvi, neque etiam deglutiri, uti Pilulæ, possunt.

Non locum invenient Augustanorum *Trochisci sublinguales, & bechici*; quia & iidem neque in ore promtè solvuntur, neque uti Pilulæ deglutiri possunt; quos tamen à Zvelfero admitti, paulò supra ostendi.

Hinc tandem species, pro ejusmodi Trochiscis expetitas, vel mox in principio in pulveris formâ relinquendas; vel in aliam aliquam, usui non repugnantem, formam redigendas esse, concludit. Cujus opinionis valorem, quæ circa hanc materiam prolata hactenus fuerunt, sufficienter ostendunt.

Unicum superaddo: quòd hoc modo etiam e. g. *Massæ Pilularum* ex Officinis, è *Pharmacopœiâ Regiâ*, removeri, atque species earum in formam Pilularum efformatæ prostare deberent; cùm ipsa earum conglobata massa formam usui repugnantem præ se ferat.

4. Plures Trochiscos, maximè qui adstrictoriâ vi pollent, licet pulverisati *propinentur*, vires suas propter *mucilaginem tragacanthi*, tenaciter illis impactam, commodè non exserere posse, falsò existimat. Dum enim propinantur, illa *mucilago tragacanthi*, vel in liquore, si liquidum propinetur medicamentum; vel in ventriculo solvitur, sicque vires suas exserere, Trochiscis permittit.

Notum est, tragacanthum solvi à ventriculo, sensim licet & tardè. Deinde nullam vim ingredientibus inferre simplex hoc. Sic illi Zvelferi objectioni satisfacit *Jo. Theodor. Schenckius syntagm. comp. & præscrib. medicamenta part. 2. class. 3. sect. 5. cap. 3.*

Aliàs si tam tenaciter mucilago ista adhæret; certè nec Trochisci *Pharmacopœiæ*

macopœia Regiæ, cum *mucilagine tragacanthi* efformati, eodem elogio defraudari debent.

Quod in ſpecie Trochiſcos vi adſtringente præditos ſpectat; videlicet de quibus maximè hîc loquitur; cùm & *tragacanthum* non quidem adſtringendi, ſed glutinandi vi polleat, externis iſtiusmodi medicamentis nonnullis utique addi poterit; internè autem dum reſolvitur, reliquis ingredientibus liberam adſtringendi facultatem concedit.

Nunc ulterius Trochiſcos nonnullos carpere pergit, & quidem *I. TROCHISCI DE ANISO MESUES pag. 200.* in qua formâ, & quomodo ægris exhibendi ſint, libenter ſciret. Quanquam *AUGUSTÆ* in uſu eſſe, jam dudum hi deſierint; *Meſue* tamen, eorum autor, cùm *Sirupo acetoſo, & ſucco herbarum* dari, Zvelferum informat.

II. TROCHISCOS CYPHEOS *pag. 202.* & HEDYCHROI *pag. 203.* ſigillatim pro *Theriacæ* & *Mithridatij* confectione proſtare, animadvertit; cùm tamen ferè omnia horum Trochiſcorum ingredientia ipſas illas compoſitiones ingrediantur; de quo plura in dictis Confectionibus ſe diſſerturum, promittit. Verùm non pro unicis illis Antidotis nominati Trochiſci in Officinis proſtant, ſed alios etiam in uſus. Prout de *Trochiſcis Cypheos* monent Auguſtani, quòd *per ſe quoque commodè iis dentur, qui jecur, aut pulmones, vel renes, aut aliud aliquod viſcus exulceratum habent.*

Sic quoque *Galenus lib. 8. de compoſ. medic. ſec. loc. cap. 7.* de hepaticis confectionibus agens, hoc *Cyphoidis medicamentum*, paulò ab illâ deſcriptione, quam Auguſtani ex *2. de antidot.* adducunt, mutatum, ad hepaticos & omnia thoracis vitia commendat; atque Ægyptios, qui primi hoc pharmacum compoſuerunt, quotidie in honorem Deorum illud accendere, perhibet.

Non minùs *2. de compoſ. medic. ſec. loc. cap. 1.* cum eo frontem in dolore capitis ex febre, in conſtitutionibus frigidis, illiniendam eſſe, ſuadet.

Hedychroum verò *medicamentum* præterquam quòd ad odoratas compoſitiones reddendas utile proclametur à *Galeno lib. 1. de compoſ. medic. ſec. loc. cap. 5.*; & ad colorem decoremque formæ conciliandum olim adhibitum fuerit, ceu patet ex *Galeni cap. 14. de medico*, aliis quoque uſibus inſervit; veluti pro exſiccando pulmone *3. de loc. affect. cap. 5.*; pro ozœnâ curandâ *lib. 3. de compoſ. med. ſec. loc. cap. 3.* ab eodem *Galeno*, aliisque laudatur.

Præterea ad hos Trochiſcos adplicari poteſt illud, quod de *Trochiſcis viperinis Pharmac. Reg. pag. 133.* proditur; uſum ſcilicet *Trochiſcorum de viperis* ad parandam *Theriacam* in tantum prævaluiſſe, ut potius clavam Herculi manu extorqueas, quàm animo nonnullorum ſemel conceptum de iis judicium. Unde ut vulgo placeamus, & ne ob unicam hanc cauſam medicamenta

camenta ejusmodi præstantia diffamentur; quid prohibet, semel radicatam opinionem sequi, cùm ingredientibus per illam in Trochiscos efformationem vix quidquam derogetur?

Ubi tamen ipsas species non prius in Trochiscos redactas, sine ullius præjudicij metu, addere licet, imprimis ubi pro aliis usibus Trochisci isti in Officinis non adservantur, tunc pariter ab Augustanis id non prohibetur.

Quare & Ipsi *Theriacam* dum præparant, species Trochiscorum dictorum, absque eo ut prius in talem orbicularem formam ipsas effingant, adhibere consueverunt.

Nihilominus tamen descriptio eorum in Dispensatoriis poni potest, ut ingredientium series & quantitas indè peti queat.

III. TROCHISCOS PECTORALES *pag. 204.* ex multis compositis constare, & si cujuslibet ingredientis pro dosi unâ institueretur computatio, impossibili granorum divisione opus fore, nugatur; simili nimirum illi, quam in *præcedentis Classis animadvers. super Confectionem pectoralem & Tragæam grossam cum tabulatis, non sine magno labore & accuratâ diligentiâ,* à se factam esse, gloriatur. Sicuti verò simili objectioni in *Examine præced. Classis* obviam itum fuit: ita quoque *magni* illius *laboris* vanitatem, & *minùs adcuratam diligentiam* Zvelferi, si velit, Lector Benevolus indè repetat.

IV. Quomodo TROCHISCI DE VIOLIS SOLUTIVI *pag. 208.* adhibendi, & ægris propinandi sint, vel quomodo denuo in pulverem redigi debeant; quasi verò sub nullâ aliâ formâ commodiori cathartica prostarent, ægris exhibenda, quærit? Pulverisatos, in liquore aliquo solutos, per se, aut aliis catharticis additos, ægris propinari eos posse, nemo negabit.

Sic *Mesue* cum *sacchara, vel pulpâ cassiæ* exhibere eos docet.

Qua ratione autem in pulverem redigi debeant, Pharmacopœum latere nequit.

Utrùm sub nullâ aliâ commodiori formâ cathartica prostare queant? extravagans est meditatio; qualem de Sirupis, Electuariis purgantibus &c. *Pharmacopœiæ Regiæ* facilè eodem jure quis fingere sibi posset.

V. Cur TROCHISCIS DE XYLOALOE MESUES pag. 208. Galia moschata, ex *ligno aloës, moscho, & ambrâ* conflata, sigillatim addi debeat, interrogat; cùm tamen dicta simplicia ipsos etiam *Trochiscos de Xyloaloë* ingrediantur? Quare omissâ *Galiâ moschatâ,* trium illorum simplicium quantitatem augere, satius esse, putat. Cur hoc *Mesue* ita placuerit, nescio. Ast certè piaculum haud est; præsertim quia *Galia* illa jam in Officinis

cinis alios in uſus parata habetur, nec demum horum Trochiſcorum causâ conficitur.

Sed eidem quoque errori, ſi error dici poteſt, Zvelferus obnoxius eſt; dum e. g. *pag. 124. Pharmacop. Reg.* in *Morſellis hepaticis*, *ſaccharum*, & *cortices citri* extimos oleoſos ponit; in fine autem *Eſſentiam citri* pariter adjungit; quæ cùm nihil aliud ſit, niſi *ſaccharum*, oleoſo illo *corticum citri* liquore imbutum; ſatius etiam fuiſſet, *ſacchari*, & *corticum citri* extimorum quantitatem augere, quàm *Eſſentiam citri*, cum labore prius paratam, demum addere.

VI. TROCHISCOS DE VIPERIS *pag. 208.* adgreditur; quorum plurimas proſtare compoſitiones, monet, ſolâ quantitate *panis* addendâ diſcrepantes. Hoc cùm ad Auguſtanos non ſpectet, & parvi momenti ſit, tranſilio.

Dum verò illam ab Auguſtanis præſcriptam formulam omni experientiâ & ratione deſtitui, convitiatur, diſquiſitionem requirit.

Namque *impoſsibile* ſtatuit, ut *unciæ octo, carnis viperinæ coctæ & humidæ cum duabus unciis panis in maſſam cogantur, undè poſtea Trochiſci efformandi ſint, multò minùs de jure ejusdem carnis viperinæ* (cui potiſſimas vires, Quercetanum &c. imitatus, adſcribit) *quidquam addi poſſe*, arbitratur, quia *eo admixto, liquidiſsimam quandam pultem, non verò maſſam ullam unquam efficeres.* Quis hanc Zvelferi animadverſionem ratione deſtitutam eſſe, & experientiæ contrariari, dubitet; cùm præparatio illa, adcuratâ mente ſubducta, artificioſamque manum experta, impoſſibilis haud ſit, atque ipſam eo modo inſtitutam fuiſſe, experientia teſtetur?

Non enim tam temerè fidem *Galeno* derogari poſſe, exiſtimo, qui nimirum, ſe quandoque *quartam*, quandoque etiam quintam partem panis, reſpectu carnis viperinæ, adhibuiſſe, *lib. 1. antidot. cap. 8. memorat.*

Verum equidem eſt, ſi *caro viperina*, copioſâ *aquâ* cocta, mox poſtquam jure exemta eſt, cum *pane* contundatur, inſuperque *jus* ipſum copiâ præpollens adjungatur, non maſſam Trochiſcis efformandis adcommodatam, ſed pultem liquidam exſurgere. Ubinam autem *carnem viperinam* coctam & humidam ſumi debere, Auguſtani ſtatuunt? Vocula enim illa: *humidæ* iniquè à Zvelfero adjicitur; cùm potius *caro* cocta, & à ſuperflua humiditate iterum liberata ſumi debeat.

Idem procedendi modus ex *Andromachi* verſibus, quibus *Paſtillorum viperinorum* præparationem edocet, comprobari fortè poſſet; dum de *carnibus viperarum* poſt coctionem è *jure* exemtis agens, canit:

ἐκτὸς

ἐκτὸς ἕλοι, τέιοντα καταψύχων κυκεῶνα.
exemtas longâ ventilet aura morâ.

Illud καταψύχων *carnis viperinæ* & *refrigerationem*, & *exsiccationem* quidem denotat; unde etiam *Elias Bonvinius in tr. de theriacâ sect. 3. part. 2. cap. 1.* illa verba sic vertit:

exime fervidum refrigerans decoctum.

Quamvis mox iterum *cap. 3.* in explicatione sic scribat: *carnem sufficienter coctam, ac ex ollâ exemtam aliquandiu aëre ventilari sinit Andromachus: ita enim carnium excrementitiæ fuligines faciliùs evanescunt.*

Accedit, quòd *carnem* hanc citò exsiccari, *Bonvinius l. c.* testetur.

Nec *jus* istud, in quo *viperæ* coquuntur, nimiâ copiâ abundare debet; scilicet ut aliquot digitos *carnes* superemineat; cùm pauca ejus quantitas sufficiat. Unde si non totum, maximâ tamen ex parte, pro *pane* siccissimo, atque *carne viperinâ* ab humiditate, per institutam in aëre ventilationem, liberatâ, in Trochiscos redigendis, absumi poterit.

Quòd si determinata illa *unciarum duarum panis* quantitas, ad *uncias octo carnis viperinæ*, ob insufficientem hujus factam exsiccationem, vel *juris* majorem copiam, aliquo modo justò parcior esset; cùm vix possibile sit, utramque tam exactè semper obtinere, tunc *Andromachi* monitum sequi conducit:

Adde laboratum panem, ne vipera formam
tusa neget rotulis,

&, veluti *Autor libri de theriacâ ad Pisonem cap. 13.* (qui nonnullis *Galenus* esse dicitur) habet, *tantùm panis, quantùm ad compingendam carnem sufficit*, addi debet.

Huic etiam incommodò succurri potest; si illa *juris* abundantia, per cocturam, ad minorem molem reducatur; cujus nuperè in *Antidotario Mediolanensi cap. 23. Joh. Honoratus Castillioneus à Monterutio* mentionem fecit; ubi experimento edoctus talia profert: *si conobbe di certo, che ne la carne sudetta della vipere* (di sei oncie,) *ne il pane* (di due oncie) *erano bastanti per assorbire il residuo del decotto &c. Onde fù di mestieri rimettere sopra le ceneri calde quella poca decottione, ò sia brodo per qualche spatio di tempo, nel quale si consumarono trè parti delle quattro, restando il liquore ad oncie trè, nella quali si posero la carne, & il pane sudetto, che l' assorbirono tutto, & ridotto questa massa alla solita consistenza se ne formarono trochisci rotondi &c.*

Quales autem ex *Italiâ* ad nos Trochisci deportentur, inquirere, propriè huc non spectat.

Existimo

Existimo tamen, de fide tantorum Virorum, qui v. g. *Patavij* confectionibus illis interesse solent, sanius judicium ferendum esse.

Eligi enim quotannis pro hoc negotio expediendo Primarios aliquos *Universitatis Antenoreæ Professores*, plus quàm notum est; quorum testimonia tam vilipendere Zvelferus non debuisset, à quibus nimirum honoribus Doctoralibus, horumque testimonio, liberaliter dotatus fuit.

Si istis testimoniis planè non est fidendum, atque diplomatibus illis fraudes oblarvantur; nec illi, Zvelfero concesso, fides facilè haberi potest.

Interea Patavinos utplurimum *panis biscocti* subtilissimè pulverisati tertiam partem, v. g. *uncias quatuor*, ad *libram unam carnis viperarum* sumere, scio.

Sæpe verò multivarias in vendendis *Trochiscis viperinis* fraudes committi, nemo, qui omnia medicamenta ab *auri* avidorum manibus corrumpi, considerat, negabit.

Sufficienter hoc *Excell. Thom. Bartholinus dissertat. 1. de Theriacâ, Hafniæ Anno M. DC. LXXI. dispensatâ*, adtestatur, & hanc suam fraudem ut impostores tegant, *Patavinorum Medicorum* testimonia, vel mutato anno, eos adulterare, vel prorsus falsa supponere, comprobat.

Ast talismodi fraus non Medicis testimoniorum distributioni præfectis, non ingenuo Pharmacopœo, sed impostoribus imputari debet; à quibus ideo Trochiscos emere, quilibet prudens sibi cavet.

Idem Vir Celeberrimus, licet, ne decipiamur, patrio in solo captas viperas, suffragantibus aliis claris Medicis, huic negotio destinari posse, statuat; *eas tamen*, inquit, *pro theriacâ commendare hactenus ausus non sum, ne apud vulgus vilesceret antidoti auctoritas. Licet superstitione istâ neglectâ, Germani, teste Libavio, angues quoscunque oblatos substituant.*

Guil. Rondeletius tr. de theriacâ, virtutem quidem *viperarum*, præ *serpentibus vulgaribus*, efficaciorem esse, concedit; hos tamen, quibus nullum periculum à *viperis* imminet, convenientiores judicat.

Gregor. Horstius lib. 2. epistol. sect. 1. licet *nostris serpentibus* vim bezoardicam in dubium haud vocet, nihilominus à *viperinâ carne* non facilè discedendum esse, putat; tam quòd *Antidotus theriacalis* in *Germaniâ* confecta postea mox alia diceretur ab illâ, quæ *Venetiis* & *Patavij* conficitur; quàm etiam quòd *Andromachus*, & post ipsum alij, certas ob causas *viperam* præ reliquis speciebus elegerint.

Sed hæc cùm propriè huc non spectent, mitto; cùm tamen Zvelferus in *Pharmacop. Reg. serpentes alios viperis* quoque substitui posse, judicet, ne primus hanc sententiam promulgâsse videretur, adduci debuerunt.

Nunc quæ de differentiâ *viperarum*, ratione ſexus, profert, perluſtranda ſunt.

Utrùm fœmellas tantùm adhibere conveniat, meritò dubitatur; nulla ſingulari causâ, ob quam mares excludi debeant, adparente.

Andromachus voce: ἔχις, qua *mas* denotatur, utitur.

Licet autem à *Galeno* fœmellæ ſolùm commendentur; quid hoc ad Auguſtanos, qui in ſuorum *Trochiſcorum viperinorum* præparatione in genere *carnis viperinæ*, nullâ ſexus obſervatâ differentiâ, meminêre?

Cæterùm digna eſſe, exiſtimo, ut adducantur, quæ de electione *viperarum*, ratione ſexus, *Marcus Aurelius Severinus part. 3. de viperâ Pythiâ, cap. 2.* habet, ſcribens: *Verum enim vero, quod longis ſeculorum decurſibus apud quasq; gentes conſueverint deligi feminæ præ maribus, ne quid diſsimulem, dicam. Illa ſcilicet eſt cauſa quædam accidentis, vel accedentis commodi maxima: nimirum quod femina pulpoſior & carnoſior eſt omnibus modis. Talis enim perpetuo viſitur femina, nedum quidem in viperino genere, ſed & unoquoque alio &c. Sed & altera cauſa eſt, quapropter feminæ deliguntur, nimirum, quod quo tempore ad Theriaces uſus capi viperæ conſueverunt, illud eſt vernum, quando coëuntibus viperis neceſſum eſt plus effluxus utilis ſubſtantiæ fieri per mares, quam per femellas. Sic enim ſtrigoſiores & exſucciores his eſſe mares. Quare & feminas capi, & mares demitti conſultum eſt. Hæc utique ratio valentior eſt, cui det quisquam facile manus &c. Quod ſi per maris terrarumq; incommoda quæpiam aut impedimenta fas non ſit viperas obtinere ſuo tempore, verum cogamur his uti conceſsis utcunque; tum adagio Terentiano audientes, neceſsitatique acquieſcentes, ut poſſimus quando ut volumus non licet; id eſt, ſiquidem viperas adminiſtrare feminas omnes ineunte vel medio vere non datur, tum maribus erimus belle contenti. Fuerint hi quippe non minus in rem accommodati, quam femellæ. Eadem quoque neceſsitatis ratio eſt, ſi major marium, quam feminarum ſit occaſio. Nimirum hi multitudine ſuppleverint carnis defectum. Omnibus autem modis minimum abjecta marium conditio debet videri.*

Quòd è montanis locis, non paludoſis petendas eſſe viperas, monet, è *Galeno* depromſiſſe videtur, qui *viperas*, quæ maritima loca, aut in aliquâ ſalsâ aquarum lacunâ degunt, omittendas eſſe, judicat.

Quanquam difficile admodum ſit, regulam hanc ſemper obſervare; niſi quis fidiſſimis hominibus capturam commendet, vel eidem ipſe interſit.

Vulgares etenim iſti *viperarum* venatores lucro allecti, facilè tales è paludoſis locis deſumtas, præcipuè cùm iis in locis copioſiorem earum proventum eſſe, Zvelferus innuat, montanis ſubſtituere, aut permiſcere poſſunt,

quarum

quarum tantam cum montanis convenientiam esse, observavi, ut ne oculatissimus quidem differentiam inter eas cognoscere possit.

Ulterius progreditur Zvelferus, & 1. disquirit: cur *Galenus* & moderni Medici ex solâ *viperarum carne*, non simul etiam *ossibus vel spinis*, *ac cordibus & jecinoribus*, Trochiscos parare præcipiant, sed ea unà cum interaneis abjiciant; cùm tamen ex ipsis egregia conficiantur bezoardica; quia cor & hepar, principaliora utpote viscera, quæ vitam *viperis* largiuntur, iisdem, vel majoribus, cum carne polleant virtutibus, spinis autem vel ossibus *radicalis substantia maximè impacta* sit? Cur corda, & hepata *viperarum Galenus* abjecerit, ignorare me profiteor; nisi fortè ob exiguam earum molem has partes parvi eum fecisse, suspicari liceat.

Tanquam *inutilia viscera* à *Galeno* abjecta fuisse, probandum est.

Quòd verò ex iis tam egregia alexiteria parentur, equidem in dubium non vocabo; sed an eadem viscera *carni* præpolleant, aliis inquirendum relinquo.

Licet *viperas* per illa *vivere & in vitâ conservari*, ponatur; proinde tamen majoribus virtutibus pollere, non evincitur. Non viva & vitali spiritu perfusa in usum veniunt, sed postquam cadavera, post animæ discessum, evaserunt.

Quin pauculum illud *sanguinis*, quod in excoriatione communiter exuviis adhærere solet, atque reliquis quoque visceribus, quæ pariter abjicit Zvelferus, conjunctum manet, pari studio colligendum addendumque foret; cùm ille sit, quo vivunt, & in vitâ conservantur.

Nec solum *cor & hepar*, sed & *caput, pulmones* &c. à Zvelfero parvi hîc æstimata, ad vitam viperis conservandam, cum reliquis aliis partibus concurrunt; sicque & illas partes à Trochiscis excludere, rationi refragatur.

Quid *radicalis* illa *substantia, ossibus vel spinis impacta* denotet, *pag. 148. Pharmacop. Reg.* illustrat, dum ossa ex *seminali crassamento* produci adserit; in quod curiosiùs inquirere, instituti ratio haud permittit.

Quamvis nec *caput* carnosum, aut membronosum totum esse, sed magnâ ex parte osseam obtinere substantiam; prout & *caudæ* majorem partem osseam existere, meminisse juvet. Unde utrumque malè à Zvelfero abjicitur; quia & ipsis *radicalis* illa *substantia impacta* sit, necesse est.

Ut de aliis partibus *viperarum*, ex *seminali crassamento* productis, & tamen à Zvelfero abjectis, nihil dicam.

2. Quid sibi *panis, salis & anethi additio velit*, quærit? *Panem* quidem *virtutes singulares alexipharmacas, vel correctivas* Trochiscis impertiri haud posse, statuit. Si verò *conservationis* gratiâ addatur, *viperas* per se exsiccatas, & *sale*

& *sale* nonnihil conspersas, aut Pulverem earum diutius, quàm ipsos Trochiscos, adservari; imò à *pane* virtutem *viperarum* multùm diminui, regerit. Sin *formæ* gratiâ adjungatur, *nec operæ precium*, *nec rectæ rationi consonum* esse, judicat, *ut ob tam levidensem causam medicamenta nobiliora in suis virtutibus diminuantur*; quod eò *magis absurdum* sit, cùm si in usum trahi debeant, iterum pulverisare eos oporteat. Verùm *panem*, tanquam alexipharmacum aliquod, vel veneni correctivum, addi, haud defendo. Ast conservationis & præcipuè formæ causâ illum adjungi, re ipsâ patet.

Utrùm *Pulvis viperarum* diutius, quàm Trochisci legitimè præparati, adservari queant, multùm dubito.

Panem virtutem *carnis viperinæ* diminuere, statuit quidem, sed non probat Zvelferus.

Nec video, qua ratione *panis* possit criminis hujus argui. Si fortè quatenus medicamenti quantitatem auget, id præstare existimaverit, longè nimis aberrat, cùm hoc non sit, medicamenti virtutem diminuere. Diversissima enim sunt: medicamenti quantitatem augere, & medicamenti virtutes diminuere.

Ad *formam* autem medicamenti alicujus obtinendam, aliud quid, quod vel similes medicamento vires non habet, vel nihil corrigit, admiscere, *nec operæ precium*, *nec rectæ rationi consonum* esse, rationi contrariatur. Sufficit si contrariam medicamento facultatem non habeat.

Aliàs & *saccharum* à potiori Siruporum, Electuariorum, Conservarum &c. parte similiter rejiciendum foret; quia v.g. *Sirupo scordij composito Pharmacop. Reg. pag. 21.* nec vim alexipharmacam addit, nec quod in *scordio*, *rutâ*, *corticibus aurantiorum*, *citriorum* &c. corrigat, nocivum aliquid invenit.

Sic *aqua simplex* ab Infusis & Decoctis purgantibus excludi deberet, quæ nec vim purgantem ipsis communicare valet, nec correctivum purgantium dici meretur.

Et nihilominus utrumque, *saccharum & aqua*, illud, ut spissiorem formam pro Sirupis; hæc, ut liquidam pro Decoctis & Infusis, producat, à Zvelfero usurpatur.

Pariter idcirco *operæ precium & rectæ rationi consonum* non foret, *ut ob tam levidensem causam*, nempe spissam liquidamque formam, *medicamenta nobiliora in suis virtutibus à saccharo & aquâ diminuantur*.

Quid de ipso *pane* dicam, quem Zvelferus *Pharmacop. Reg. pag. 311.* in *Cataplasmatis cordialis* compositionem recipit, non ut cordi robur addat, cùm, si Zvelfero auscultemus, non possit; non ut quid corrigat, dum reliqua ingredientia omni veneni suspicione carent; non conservationis gratiâ, quia, uti

uti ipſemet fatetur, hoc cataplaſma ad longum tempus ſervari nequit. Ergo propter conſiſtentiam, vel formam cataplaſmatis obtinendam adjungatur neceſſe eſt. Aſt cùm *panis*, ex præſenti Zvelferi hypotheſi, medicamenti vires diminuat; *nec operæ precium, nec rectæ rationi conſonum erit, ut ob tam levidenſem cauſam*, ſive formam cataplaſmatis, *pharmacum nobile in ſuis virtutibus diminuatur.*

Et *eò magis abſurdum hoc eſt*, cùm hanc in formam absque *panis* acceſſione effingi queat; cujus evidens teſtimonium perhibet *Appendix Pharmacop. Reg. Anno M. DC. LVII.* à Zvelfero edita, ubi *pag. 50. ejusdem Cataplaſmatis cordialis* paululùm tamen mutatam præparationem, ſine *panis* ope peragendam, edocet.

Sal quod *attinet & anethum*; *utrùm correctio viperarum per horum ſimplicium additionem genuina ſit? quas*, ſic loquitur Zvelferus, *illi ſummè venenatas proclamant* (*cujus contrarium tamen ipſa experientia nos edocuit*) *nullo modo rationabiliter admitti, neque experientiâ confirmari poſſe*; *Sal* quidem putredini, ſed non *occultæ qualitati, naturæ noſtræ adverſæ venenorum* reſiſtere; *anethum* autem inter alexipharmaca minimè numerari, & idcirco neutiquam virulentiam *viperarum*, ſi qua ſcaterent, corrigere poſſe, Zvelferus infert. Sed hîc quoque nugas deprehendo:

1. Ridicula eſt Zvelferi propoſitio: *rationabiliter admitti & experientiâ confirmari nequit*; *utrùm correctio virulentiæ viperarum per ſal & anethum ſit genuina?* Cùm hoc potius de ipsâ quæſtione, nimirum: *utrùm correctio virulentiæ &c.* intelligi queat; eam ſcilicet quæſtionem *neque rationabiliter admitti, neque experientiâ confirmari poſſe.*

Si tamen voculæ: *utrùm*, altera illa: *quòd*, ſubſtituatur, propoſitionem Zvelferi clariorem fore, arbitror; quam etiam mentem ejus fuiſſe, nunc ponamus.

2. Auguſtanos *ſal, & anethum*, virulentiam *viperarum* corrigendi causâ, adjicere, ex Ipſorum verbis, in Trochiſcorum præſentium deſcriptione prolatis, nunquam demonſtrabitur.

3. Auguſtani *viperas* ſummè venenatas non ſimpliciter, ſed tantùm earum morſus inſigniter venenatos proclamant, experientiâ illud ipſum abundè confirmante.

4. *Sal, & anethum*, præter conſervationis melioris gratiam, condimenti loco addi, ſtatuere quis poſſet.

Licet enim *Galenus cap. 10. de ther. ad Piſ.* illa duo ſimplicia ad veneni, ſi quod in trunco *viperarum* ſupereſſet, correctionem comiſceat; utrumque tamen,

tamen, *ut caro illa suavior reddatur*, quoque adhiberi, prodit; quod aliis ferinum *viperarum* odorem saporemve emendare dicitur.

Anethi frequentem pro condimento usum *Galenus 2. de aliment. facult. cap. 57.* etiam innuit; & *11. de simplic. medic. facult. viperarum carnes oleo, sale & anetho, porro & aquâ, anguillarum* more, conditas, excalefacientem, exsiccantemque vim adipisci, scribit.

Utrùm verò *anethum* omnibus viribus resistendi qualitatibus occultis, naturæ nostræ adversis, destituatur, in dubium vocari posset; si illud contra morsum canis rabidi, fascinum & veneficium à nonnullis commendari, observetur.

3. Coctionem *in tantâ aquæ copiâ, qua mediante forsitan venenatas viperarum partes expelli existimant, planè ineptam* proclamat; quia veneni nil spirant, dum exsiccantur; nec aqua in exsiccatione ex ipsis per destillationem collecta aliquâ qualitate noxiâ infecta, sed potius salutifera est, præsertim si è vivis viperis prolecta fuerit. Planè inepta hæc est animadversio. Coctio enim *viperarum* in magnâ aquæ copiâ, in verbis Augustanorum nullibi adparet; in cerebro Zvelferi saltem enata.

Nec, mediante hac coctione, venenatarum partium è *viperis* expulsionem Augustanos moliri, unquam demonstrabitur; cùm potius pro *carnis viperinæ* à spinis facilitandâ separatione instituatur.

Unde, quæ de *aquâ viperarum*, quòd scilicet non venenata sit, sed salutifera, (de quo dubitari adhuc potest, cùm vix ab alio elementari phlegmate differat) adducit, huc ea non spectare, sponte elucescit.

4. *Jusculum*, in quo *viperæ* coctæ fuerunt, vel abjici, vel magnâ *panis* quantitate opus habere, repetit; cui tamen objectioni supra jam satisfactum fuit.

5. Contradictionem involvere autumat, quòd *viperæ* tantopere venenatæ; earum tamen usus summè salutaris in morbis etiam aliàs incurabilibus, ut leprâ &c. proclametur. En! Zvelferus, qui tot ἀντιλογίας committit, aliis idem erratum imputare conatur. Sed longissimè fallitur.

Etenim quamvis Augustani *viperarum* morsum summè letiferum esse, statuant; quòd idem tamen periculum ab adsumtis earum carnibus immineat, eosdem credere, ad Calendas Græcas probabitur; cùm potius istum usum summè salutarem proclament.

Verùm majori certitudine hoc de Zvelfero dicere licet; dum nonnullis *viperarum* partibus, cumprimis etiam *caudæ*; quæ tamen ex spinis, & carne, aliàs pro alexipharmacis ab ipso habitis, conflatæ, *pag. 88. & 92. Apolog. contra Tacken.* venenum adjudicat.

6. Plu-

6. Plurimos inter modernos Medicos, partes alias *viperarum* venenatas, alias salutiferas esse, firmiter adserere, Zvelferus scribit. Sed & partes istas nigræ in vino extinctæ absque damno, & cum emolumento si usurpentur, neque *fel*, neque *caput*, & *caudam* pro venenatis haberi posse, concludit; suumque experimentum adducit, quo feles, & canes partes istas absque vitæ discrimine, vel aliâ noxâ devorâsse, observavit. Sit ita! Quid hoc ad Augustanos? an Ipsi contrarium perhibent?

Zvelferus autem *carnem*, *cor*, *hepar*, *&* *spinas viperarum* à veneno liberas esse, in his animadversionibus pronunciat; in *capitibus* tamen, *caudis*, *spoliis*, *interaneis*, *felle & vesiculis sub dentibus falcatis*, *sitis*, veneni particulam latere, in *cit. Apolog.* defendit. Unde liceat illa verba huc adscribere:

Pag. 88. sic loquitur: *Neque rationi consonum, imò absonum, mihi videtur, quòd integras Viperas, &, uti ex contextu liquet, vivas, tantâ copiâ salis & vegetabilium obruerunt, adunitis capitibus, caudis, spoliis, & spurcitiis, turgentibus interaneis, felle insuper, & vesiculis sub dentibus falcatis, flavo liquore oppletis; in quibus jam recensitis partibus quin particula veneni lateat, nemo est, qui ambigat. (Plura id edocuêre tragica spectacula, etiam me nonnunquam arbitro, & periculo defuncto, dum capita, quondam, & caudas Viperarum, in vase clauso siccare, curiositas compulerat, & proximiùs accedendo, pœnas luere coëgit; non obstante, quòd, cum Helmontio, asseram; potiores Viperarum, aut aliorum venenatorum animalium, deleterias vires in imagine iræ delitescere.) Quod si hoc verum, uti indubitatum est, quis nunc ambigat, venenatam illam qualitatem, quæ in interaneis etiam hospitatur, &c.*

Et *pag. 92.* hæc habet: *Quatuor tantùm Viperis integris, cum capitibus, caudis, spoliis, & interaneis omnibus spurcissimis venenatis adjectis.*

Hæc si jam cum animadversione, plurimis modernis Medicis scriptâ, conferantur; quàm conformis sibi Zvelferus existat, & quòd se ipsum egregiè reformet, elucescet.

Cæterùm Veteribus non ignotum fuit, *viperarum* usum internum longè diversum esse ab externo illo incauto abusu.

Imò *carnem viperinam* pro cibo jam olim inserviisse, constat.

Sic *Galenus lib. 3. de aliment. facult. cap. 3. Ægyptios carne viperarum serpentumq;* aliorum pro cibo usos fuisse; & *Plinius*, *Æthiopes Macrobios, & qui Athon montem incolunt, quia viperinis carnibus alantur, longævos esse, lib. 7. histor. natur. cap. 2.* testatur; ac *lib. 29. cap. 6.* hæc habet: *Quidam & viperis utuntur in cibis; Primum omnium occisæ statim salem in os addi jubent, donec liquescat humor, quatuor digitorum mensura utrinque præcisa, exemptisq;*

intera-

interaneis discoquunt in aquâ, aut oleo, sale, anetho; & omnibus aut statim vescuntur, aut pane colligunt, ut sæpius utantur.

Memoratu digna est *Galeni* sententia *3. de temperam. cap. 3: nihil foris intusq; parem agendi facultatem habet; neque enim aut viperæ venenum, aut rabidi canis spuma, aut aspidis virus parem vim habent, vel soli cuti adplicata, vel intro adsumta.*

Hinc minimè sequitur: *Vinum viperinum* bibitum non nocet; *fel, capita & caudæ viperarum* à felibus, canibusve, imò hominibus comesta, in nullum vitæ discrimen ipsos conjiciunt. Ergo nulla earum partium venenum continere dici potest.

Sed omnes has partes sigillatim perlustrare, libet.

Fel quod concernit; illud equidem à nonnullis (etiam à Zvelfero *cit. pag. 88. Apolog.*) venenatum dici, certum est; ast innoxium planè, & à veneni suspicione liberum esse, *Franciscus Redus, Medicus Florentinus*, quo nemo hactenus de *Viperâ* meliùs scripsit, in *lib. experiment. de viperis*, clarissimè demonstrat.

Verùm si istum etiam liquorem nomine *fellis* dignari quis velit, ceu aliqui faciunt, qui sub dentibus falcatis in vesiculis quibusdam latitat, & dum *vipera* mordet, exstillat; tunc liquorem hunc veneni notam effugere haud posse, experientia monstrat.

Ore quidem adsumtus sine noxâ ebibitur; (quod an ob acidum ventriculi, venenum obtundens & ligans; digestiones, quas antequam sanguini permisceatur, subit; vel aliam propter causam accidat, hujus loci non est inquirere) sed vulneri immissus, ita ut sanguini communicetur, vim suam letiferam promtè exserit.

Ex hoc quoque, de *capite viperarum* quid sentiendum sit, patet; quod emortuum licet devoretur, nocere non potest. Ast vivum adhuc, & venenoso liquore in vesiculis instructum, quamvis per unum alterumve diem à corpore jam abscissum fuerit, si digitum vel aliam corporis partem comprehendat & mordeat, vel si liquor ille exemtus & vulneri, per instrumentum aliquod prius inflicto, indatur, quàm pessimum post se relinquat effectum, tot experimenta testantur.

Veteres autem *capita* è *Trochiscis viperinis* exesse voluerunt, tum quia venenum continent, tum parùm carnosa existunt.

Sic enim *Dioscorides lib. 2. de mat. med. cap. 16: detractâ cute, caput caudaq; quoniam carne vacant, amputari debent.*

Galenus verò *cap. 9. de ther. ad Pis.* ideo capita rescindenda esse, putat, quia pessimum humorem, i. e. ipsum venenum, continent. In quo *Galenus* acerbè

acerbè reprehendi non meretur, qui cautus admodum, etiamſi venenum illud *viperæ* ore adſumtum haud nocere, probè ſciverit; tutius tamen fore, judicavit, ſi illud præſcinderetur; præcipuè cum *carne*, ad Paſtillos efformandos requiſitâ, ferè deſtituatur.

Caudam equidem unà cum *capite*, *Andromachus* aliique venenatam proclamant; & *Galenus l. c.* ideo præſcindi refert, quia magis ſordidum humorem ad ſe trahit; ac *1. de antidot. cap. 8. caput*, *caudamq;* abjicere ſuadet; cùm hæ partes magis venenatæ eſſe videantur, & duras paucasque carnes contineant. Veritati tamen propius accedit illud judicium, quod *caudam*, eò quòd parum carnis habeat, à *Trochiſcorum viperinorum* confectione excludit.

Cùm itaque partes hæ, teſte in *his animadverſionib.* ipſo Zvelfero, ſine alicujus veneni letiferi metu, in corpus adſumi poſſint; quis non miretur Zvelferum, qui, ut de exuviis nil dicam, *caput*, *caudam*, *fel*, *&* *omnia viperæ viſcera*, *corde*, *&* *hepate* excepto, à medicamentis ſuis, quæ *hac in Claſſe* è *viperis* parare docet, excludit.

Sed quia neque *fel*, neque *caput*, neque *cauda* à Zvelfero venenata ſtatuitur; in quonam igitur venenum *viperarum* conſiſtere, ipſe velit, circumſpiciendum erit?

Quare, exploſâ Veterum ſententiâ, in *ſolum viperarum morſum*, *imagine iræ*, *veneno mortifero imbutum*, *viperarum & ſerpentum venenum*, cum *Helmontio*, transfert.

Huic quoque ſententiæ nuper Gallorum quidam favere, & contra *obſervationes Franciſci Redi de viperis*, contendere voluerunt, adſerentes, *viperam* nullam partem, aut humorem in corpore ſuo venenatum poſſidere, illudque venenum in ſolâ imaginatione *viperæ* irritatæ, & iratæ, vindictæque cupidæ conſiſtere; quam ideam poſtquam ſibi in capite figuravit, ab eâ ſpiritus motu violento per nervos ad cavitatem dentium moveri, à qua poſtea in vulnus inflictum penetrantes ſanguinem inficiant. Sed prout hiſce *idem Vir Clariſsimus in epiſtolâ*, *Anno M. DC. LXX. hiſce objectionibus oppoſitâ*, ſatisfecit: ita quoque Zvelferi ſententia facilè indè enervari poteſt.

Plurima enim experimenta demonſtrârunt, non ſolùm liquorem vulneri, à dente *viperæ* mordentis immiſſum, ſed etiam eundem è veſiculis eductum, liquidum, vel temporis ſucceſſu totaliter exſiccatum pulveriſatumque, vulneri, phlebotomo alióve inſtrumento, inflicto, inditum diverſa animalia enecâſſe. Econtra ſi *vipera*, poſtquam bis, ter &c. momordit, ſicque veſicularum virus evacuavit, etiamſi ad iram maximè irritetur, plura

animalia mordeat; nullum tamen mortis discrimen insequitur; ast post paucos dies, vesiculis à noviter collecto humore venenoso iterum turgidis, morsu suo letalis denuo evadit.

Ira itaque eatenus præcipuè hîc operabitur; quatenus *viperam* irritatam, defensionisque, aut vindictæ cupidam, ut mordeat, ac illo morsu veneno viam sternat, incitat; imprimis quia liquor jam dudum è vesiculis exemtus exsiccatusque, si vulneri immittatur, nihilominus mortem inferre valet; ubi credibile non est, imaginem iræ in emortuo illo corpore adhuc restitare.

Quod illa *Ægypti Reginæ, Cleopatræ*, historia, à *Galeno* quoque memorata, probat, dum non morsu aspidis, sed veneno, quod ab aspide desumtum semper secum servabat, vulneri brachij instillato; vel, ut *Dio* refert, vulnere, quod acu, veneno imbuto, inflixerat, ne ab *Augusto* in triumphum duceretur, mortem sibi consciVit; de quo plura vid. *in cit. Redæ discursu de viperis.*

Palinodiam tamen, uti supra jam monstravi, in *refutatione Tackenianâ* canit Zvelferus, atque multis partibus, cumprimis etiam vesiculis sub dentibus falcatis conspiciendis, venenum inesse statuit; quamvis nihil contra sententiam suam hoc concludere, dum *potiores viperarum deleterias vires in imagine iræ delitescere* velit, mox subjungat.

Attamen hac excusatione ab errore se non vendicat. Aliud enim est: *soli imagini iræ*, prout in præsentibus animadversionibus habet, venenum adscribere; aliud: *potiores* veneni partes, ceu in *Apolog. cit.* loquitur, imagini iræ tribuere.

Quòd viperæ, dentibus illis falcatis, quos caninos nonnulli vocant, evulsis, non æquè letiferum morsum inferant, Zvelferus longè errat, dum reliquos obtusiores dentes tam altè vulnus non infligere, nervosque majusculos sauciare haud posse, tradit. Si enim, dum majores isti dentes eruuntur, vesiculæ sub iis contentæ simul dilacerentur, vel veneni saltem evacuatio fiat; non mirum est, quòd ob hujus absentiam nulla, etiamsi vulnus altiùs penetraret, noxa inferatur. Vel si vesiculæ integræ maneant, & venenum, dum vipera obtusis dentibus mordet, emittatur; quia tamen, notante Zvelfero, epidermidem solummodo, aut maximâ ex parte saltem lædit, pariter non æquè exitialis morsus existere potest.

Nervos majusculos à dente viperino necessariò sauciari debere, si venenum letale evadat necesse est, ceu quidem hîc Zvelferus statuere videtur, multis argumentis, brevitatis causâ omittendis, negare liceret.

Nec diffitebor, Circumforaneos quosdam (quorum fraudes, ad quas nati quasi sunt, multivariæ existunt) artificio hoc uti, quò spectatoribus suis impo-

imponant; dum se à talismodi *viperis*, quæ dentibus illis orbatæ sunt; morsu peti patiuntur.

Sed ut isti quoque dentes adsint, nec tamen *vipera*, ad iram provocatâ, nocere queat, sicque plebecula eò faciliùs decipiatur, Agyrtarum aliqui *viperas*, per præcedentes in aliis animalibus &c. morsus, venenato liquore exutas, in publicum producunt; ab iisque irritatis, sine periculi mortiferi metu, se morderi permittunt.

Quod nec *Galeno* ignotum fuit; dum *cap. 12. de ther. ad Pis.* quosdam *viperas* captas non usitatis alimentis pascere, scribit, sed *carnibus*; *quas cùm assiduè mordere cogantur, venenum, quod ore continent, ejiciant necesse est.*

Nonnullos *offas quasdam* illis exhibere, ibidem testatur, *quibus dentium foramina obstruant, ut etiam hoc pacto morsus imbecilles evadant. Id quod spectatores in admirationem magnam adducit, ignaros artium, quibus ad fraudem ornandam utuntur.*

Aliud, *ne vipera mordeat*, artificium, de quo tamen dubitari potest, in *libro*, qui ab aliquibus *Galeno* adscribitur, *de medic. facilè parabil. ad Solon. cap. 59.* sic delineatur: *Dracunculum tere & obline manum, & non mordeberis.*

Viperarum virulentiam in Arabiâ, ob plantæ balsami præsentiam, mitescere, ex diversis Autoribus *Marc. Aurel. Severinus in Viperâ Pythiâ part. 1. cap. 9.* tradit.

Franciscus Redus, *Aldrovandum* scribere, memorat, quòd Circumforanei *serpentes* salivâ adspergant, cujus virtute mansuescant, atque veneni malignitatem perdant; quamvis omnia animalia à *viperis*, simili modo à se tractatis, demorsa, mortua fuisse, subjungat.

Jacobus Primerosius lib. 1. de vulgi in medicinâ erroribus cap. 7. aliquot fraudum mentionem facit, quibus Agyrtæ, *viperas* pectori audacter admoventes, ut circumstantes fallant, utantur.

Cur autem una *vipera* præ aliâ, hunc vel illum citius interimat, multivariæ causæ adduci possent; quas tamen, cùm hujus loci non sint, transilio, simulque discursum hunc theoricum de *viperis* finio; qui licet ad præparationem medicamentorum, de qua agere ratio instituti requireret, haud spectet; cùm tamen eundem Zvelferus immiscuerit, ac contra Augustanos magnum inde trophæum sibi erigere tentaverit; non potui non eidem methodo insistere, & fabularum adductarum seriem detegere.

Nunc quas varias *Pulverum*, *Trochiscorum* & *Essentiarum* præparationes, è *viperis*, à Zvelfero institutas, concernit, eas singulas intimiùs perlustrare nolo.

Sicuti autem talia medicamenta inefficacia esse, minimè adsero: ita an

 aliquod

aliquod artificium in ipsis conspici queat, alij hoc in genere exercitatiores determinent; mihi obiter ea percurrere, sufficiet.

Multa verò alia ex *viperis* parare remedia, nemini, nisi in componendis pharmacis minimè exercitato, difficilè erit.

In specie *Pulverem viperarum*, vel *serpentum*, quem aliàs *Bezoardicum animale* vocant, multi ante Zvelferum conficere jam sciverunt. Imò tot eorum circumferuntur descriptiones, *ut*, teste *Schrödero*, *agyrta ferè quisque peculiare sibi quidpiam imaginetur*.

Nisi fortè Zvelferus magni quid se tradere, putet; dum aquam, quæ in exsiccatione *viperarum* elicitur, studiosè adservare, præcipit; quæ tamen parvi momenti est, & vix aliâ elementari nobilior.

Cæterùm *viperas* in clibano exsiccare, *alios Authores* præcipere, scribit. Sed nec primus quoque est Zvelferus, qui in cucurbitâ vitreâ, in M. B. talem exsiccationem absolvere tentat.

Osvaldus Crollius Basil. chim., *Joh. Hartmannus Prax. chimiatr.* & *Joh. Schröderus pharmacop. med. chim. lib. 5. class. 1. cap. 33. carnium* unà cum *corde* & *hepate serpentum*, tum quæ in aëre, tum quæ in M. B. fit, exsiccationis meminêre.

Quod *compositos Pulveres viperinos* spectat, illos diversimodè, variis rebus additis, fieri posse, vel Agyrtarum turba, Pulveres hos crepans, novit.

Pro conficiendis *Trochiscis viperinis*, quorum duas ponit descriptiones, satis magnam *sacchari* quantitatem, videlicet in *priori uncias novem* pro *tribus Pulveris viperini unciis*; in *posteriori* pro eâdem Pulveris quantitate *uncias decem sacchari* adsciscit. Sed *saccharum* nec tanquam alexipharmacum, aut correctivum *viperarum*, nec conservationis, aut formæ Trochiscorum causâ immisceri debere, cùm potius medicamenti virtutem diminuat, è Zvelferi fundamento, quod circa *panis* additionem jecit, probari posset.

Nec ulla *sacchari* cum *carnis viperarum* quantitate est proportio; cùm, uti modo dictum, *hujus unciis tribus*, *sacchari unciæ novem*, *vel decem* destinentur. Augustani verò dum magnam *carnis viperarum*, tanquam baseos, dosin, scilicet *uncias octo*, *unciis* saltem *duabus panis* adjiciunt, nihilominus à Zvelfero reformantur.

Essentiarum viperinarum prima si cum vino paretur, utrùm in tantâ quantitate, dum ad *viperas*, *v. g. triginta*, *vini libras sex*, *octo vel duodecim* sumit, ætatem ferre queat? dubito. Siquidem parte *viperarum* glutinosâ imbuta non poterit non corruptionem facilè incurrere.

Quæ de *vini* ad dimidias destillatione, & de destillato remanentiæ reddendo habet, paulò post tangere, occasio dabitur.

Essentiam

Essentiam viperinam Schröderi, quam *ultimis editionibus Pharmacop. med. chim. lib. 5. cl. 1. cap. 37.* inseruit, pro suo fœtu agnoscit; quam gloriolam equidem dubiam ipsi reddere, nolo. An tamen illa *Essentia prima*, quam modò obiter tetigi, *longè efficacior & præferenda* sit, uti quidem Zvelferus arbitratur, dubito; quin potius hæc altera, à *Schrödero* exhibita, melior esse videtur; quia 1. è solis *hepatibus*, & *cordibus viperarum* conficitur, quæ viscera largiri vitam *viperis*, atque majoribus, quàm *carnem*, virtutibus pollere, Zvelferum defendere, supra produxi. Econtra Zvelferus in suâ hac substitutâ *primâ Essentiâ* non sola *corda & hepata*, sed *carnem* quoque adhibet.

2. *Schröderi* Essentia simpliciter cum *spiritu vini* paratur. Ad Zvelferi Essentiam *vinum* quoque admittitur; quod tamen minùs durabile medicamentum efficit; præcipuè quia *caro viperarum* recens, sive elementali suâ humiditate adhuc turgida, sumitur.

3. *Schröderus* in Essentiæ suæ *librâ unâ*, *salis volatilis* (cujus vim potentem alexipharmacam *vipera* cruda, exsiccata, pulverisata, extracta &c. neutiquam adsequitur) *unciam integram* recipit. Zvelferus essentiæ suæ itidem *libræ uni*, *sal volatile ex viperis duabus cum dimidiâ*, vel ad summum è *quinq;*, & quidem talibus, quarum major vis à *vino*, vel *ejus spiritu* extracta jam & expressa fuit, collectum, quod nullo modo pondus *unciæ unius* adæquat, immiscet.

Sed neque hæc Zvelferi, à *Schrödero* producta, Essentia difficultatibus caret.

Nam postquam *corda & jecinora* cum *spiritu vini* extracta fuerunt: 1. aliquot destillationes instituendas esse, innuit.

Sic enim integer processus *l. c. pag. mihi 311.* se habet: *Essentia viperarum. ℞. jecinora & corda viperarum N. 100. exiccata & contusa cum spir. vini rectif. ♂. p. (3. vel 4.) digere, extrahe s. a. Junctis destillationibus adde (ad lib. j. essentiæ) salis volat. ℥j. fixi ℥ß. Digere ut optimè uniantur, adhuc mense uno atque altero, & habebis summum quod à viperis separari possit medicamentum.* His itaque verbis: *junctis destillationibus*, singulas extractiones, cum *spiritu vini* factas, separatim destillandas, & destillatas demum conjungendas esse, innui videtur. Verùm minùs providè; dum labor sumtusque (quorum aliàs, ubi Augustani liberaliores, quàm necesse est, se gerunt, contractionem urget) Pharmacopœo sine necessitate adaugentur; cùm omnes extractiones, minori labore & sumtu, conjunctim destillationi committi queant.

2. Ista: *junctis destillationibus adde* &c. Zvelferi doctrinæ è diametro contrariantur. Toties namque animalia, licet ad totalem siccitatem destillata (nisi viva sumantur) simplici tali destillatione, nihil de virtutibus suis destillato

destillato communicare, clamitat. In hoc verò processu, id, quod tali modo destillatum fuit, remanentiâ neglectâ, recipit.

Quid ergo ex *cordibus & hepatibus viperarum exsiccatis spiritus vini* secum per alembicum rapuit, quia simplex talis destillatio nihil ab iis elevare potest; spiritus etiam vivificus, quem statuit, jam dudum in exsiccatione praegressâ, in auras avolavit? Certè Zvelferi sententiae qui subscribit, non nisi *spiritum vini*, nullâ virtute *viperinâ* imbutum, recipi, dicere cogitur.

3. *Librae uni* talis destillati *vini spiritus*, *unciam unam salis viperarum volatilis, & unciam dimidiam fixi* addere, jubet. Quid per *sal fixum* intelligat, certò adfirmare nequeo. Sed quidquid sit, minùs prudenter additur.

Si suum *sal volatile, per spiritum salis fixatum*, denotet; dum unum ingrediens, nimirum *sal volatile*, bis in hoc medicamento ponit, animadversione dignus est, cùm idem Augustanis, ac si erratum aliquod foret, exprobret.

Praeterea ridiculum est, *sal volatile non fixatum, & fixatum* recipere.

Cur enim *fixatum* addit? Fortè, ne in aërem tam citò evanescat; in hunc enim finem *salia volatilia* praecipuè figuntur. Ast sic altera etiam *uncia salis volatilis* figi prius debuisset.

Sin *sal fixum*, ex incineratis *viperis* elixiviatum, intelligat, iterum impingit Zvelferus; *prout enim tota animalium virtus*, ipso testante, *in meris volatilibus* consistit, quae cùm per incinerationem in auras pellantur; *ita ferè nil praeter solam terram mortuam, omni virtute medicâ exutam in violentâ calcinatione relinquitur, ex qua terrâ mortuâ licet exilis portio salis fixi (forsitan ex mille Viperis vix uncia una) elici posset, id tamen tanti precij non est, quin potius vires alterius cujusdam salis fixi aemuletur*; ceu haec Zvelferi verba *pag. 274. in Appendice Class. 14. Animadvers.* legi possunt.

Cur igitur huic Essentiae sal fixum in tantâ quantitate conjungitur, si à quovis alio sale fixo viribus non differt?

Inutilis est labor ille in extrahendo hoc è cineribus sale; cui non immeritò, faciliori negotio, *sal tartari*, vel aliud *ex lignis, carbonibusve combustis* subrogari posset.

Et cùm haec Essentia vires alexipharmacas possidere debeat, quid alexiterij portio illa salis adferre queat, non video; cùm illa alcalizata diurisin promovendo agant; alexipharmaca autem per sudorem potius, insensibilemque transpirationem expellant.

In *Vino viperino* duo cumprimis correctionem postulant:

1. Praecipit, ut *viperae* mactatae atque in essentiam redactae sumantur. Rediguntur autem in essentiam, si à *viperis*, in *vino malvatico, vel spiritu vini* emortuis, bis liquor abstrahatur, qui residuo redditus exprimi, & *cum sale volatili*,

volatili, è remanentiâ destillato, conjungi debet. Sic enim *pag. anteced. 214.* hanc Essentiam describit. Has nunc *viperas* in essentiam redactas cucurbitæ vitreæ, alembico instructæ, immissas, ibidem emori permittit.

Talis quippe est textus Zvelferi: *Viperæ XL. vel L. statim atque mactatæ sunt, modoq; supradicto in essentiam præparatæ unà cum cordibus & jecinoribus, tribus vel quatuor mensuris vini optimi cucurbitæ vitreæ oblongæ capitello muniendæ infusis, immergantur, in eoq; emori permittantur &c.*

Qua ratione autem *viperæ* jam dudum in *vino malvatico*, vel *spiritu vini* emortuæ, bis destillationem passæ, expressæ, & in *sal volatile* violento igne resolutæ, hîc iterum *vino* immergi, inque eo emori possunt?

2. Cur *vinum hoc viperinum* non mediante solâ infusione, & digestione paratur, sed insuper destillatio quoque fieri, præcipitur?

Per illam destillationem, licet spiritus destillatus residuæ vappæ reddatur, *vinum viperinum* non ampliùs *vinum* dici potest; quia & odore, & sapore, coloreque ab illo, quale ante destillationem fuit, totaliter differt; nauseamque potius concitat; quod ex Zvelferi *Pharmacop. Reg. pag. 2.* patet; ubi *vini* pars spirituosa, à speciebus, *absinthio*, *calamo aromatico* &c. abstracta, pro Siruporum confectione admittitur; remanentia verò *propter vappam vini illi adhærentem, & ab eâdem minimè separabilem*, rejicitur; quam ἐγχέειν, *vappam nauseosam Sirupo adimere*, mox adpellat.

Tandem strenui gallinarij vices obit, & qua ratione non solùm *galli, gallinæq;*, sed & tota *pullities*, *viperinâ carne* saginanda, inque naturam *viperinam* mutanda sit, edocet. Qua de materiâ ut aliquid monerem, supra in *fine Classis VIII.* Zvelferus ansam subministravit.

Et hæc sunt, quæ theoricè & practicè de *viperis* publico donavit Zvelferus, quæ neminem ante se pervestigâsse, in *Append. pag. 23.* gloriatur; quod an verum sit, vel unicus *Helmontius* judicet, cujus sententiam de *viperarum veneno* adduxit, & adprobavit.

Missis nunc *viperis*, Trochiscorum formulas in specie perlustrare pergit, & primò in AGARICO TROCHISCATO *pag. 107.* subsistit. Quam tamen ipsi adglutinat animadversionem, ea Augustanos non tangit; cùm *agaricum* contundendum esse, non præcipiant.

Intensissimo etiam frigore, pro exsiccatione, opus haud est; quia, si *agaricum* cum debitâ, non excessivâ, *vini* quantitate validè contusum & compactum, in umbrâ, juxta normam ab Augustanis traditam, lentè exsiccetur, sat candidum evadit.

Sed peritus Pharmacopœus, veluti Zvelferus consentit, *non ignorat, qualiter parandi sint hi Trochisci.*

TRO-

TROCHISCOS ALHANDAL *pag. 198.* parum quoque artificij pro suâ præparatione requirere, notat. *Colocynthidem* tamen à seminibus repurgatam, *aquâ rosarum*, in qua *gummi arabici* portiuncula soluta, humectandam, atque in vitreâ cucurbitâ destillando exsiccandam esse, monet; quò sic in pulverem facilè redigi queat, nec triduanâ fricatione opus habeat. *Pulpam colocynthidis*, à seminibus purgatam, sumi debere, ipsi Augustani observant.

Fricatio autem cum *oleo amygdalarum dulcium*, ab Augustanis comendata, non planè est de nihilo; nam *corrigit colocynthidis caliditatem & siccitatem*, uti *Rolfincius tr. de purgant. vegetab.* loquitur; præterea acrem illam, qua prædita est, qualitatem quodammodo temperat.

Posse autem Trochiscos hos ex *colocynthide* non fricatâ, sed tantùm minutim consciſsâ, & gummatibus, *aquâ rosarum* solutis, irrigatâ &c. parari, ante Zvelferum notum jam fuit; prout è *Valerij Cordi Dispensatorio*, *Vict. Trincavellij lib. 1. de composit. medicament. cap. 18.* abundè hoc elucescit.

TROCHISCOS ALIPTÆ MOSCHATÆ *pag. 199.* ad preciosos suffitus potius adcommodatos esse, quàm infantibus, ac puerulis asthmaticis conferre, existimat; cùm nec adultis, nec infantibus præberi queant, quin dentibus, & ori, instar resinæ, adhæreant, nauseabundi. Verùm Trochisci hi in formâ hac exhiberi internè minimè solent; unde timor ille, ne dentibus & ori adhæreant, inanis est.

Pulverisati autem, cum *sacchara*, aliisve medicamentis, aut alio aliquo modo propinantur.

Quas ipse addit mutatas Trochiscorum horum descriptiones; facilè rem unam aliquoties, demto cumprimis, vel addito uno, alteróve ingrediente, mutari posse, replico. Sed absque errore ullo ut hoc fiat, difficilius esse videtur, inque Zvelfero satis adparet.

Nam in *primis Trochiscis*, quos profert, supervacaneum est, scribere: *fiantq́ (si non suffecerint resinæ) cum mucilagine tragacanthi pastilli &c.* Quia utique non sufficere resinas, primo intuitu adparet. Quomodo enim *resinarum uncia una cum dimidiâ*, & pauculæ *olei nucis moschatæ destillati*, nec non *spiritus rosarum guttulæ*, pro *sacchari librâ unâ*, *pulverum drachmis quinq́ & scrupulo dimidio*, in Trochiscos redigendis, sufficere possunt?

In *secundis*, *libra una sacchari* in *aquâ rosarum*, vel *simplici* ad consistentiam tabulati coquitur. Si *simplex* sufficiat *aqua*, malè *aqua rosarum* simul admittitur; quæ si non tota, maximâ tamen ex parte, iterum exhalare debet, sicque inutiliter deperditur.

Porrò

Porrò si *saccharum* ita coctum, parùm saltem refrigeratum, ad dissolutionem *resinarum styracis*, & *ladani*, nec non *ambræ* adhibetur, eo ipso notabilis fragrantiæ pars resolvitur.

In *tertiis* non adeo conducit, *pulverem carbonum* addere; qui aliàs ad *candelas* pro fumo excitando adhibetur, ut reliqua materia semel in summitate accensa tantò faciliùs ad imum usque sensim sensimque accendatur, & suavi resoluto odore, comburatur. Hi verò Trochisci non immediatè igni committuntur.

In TROCHISCIS DE BENZOE, *pag. 200.* si ij ad suffitus expetantur, *lignum aloës*, *radices iridis*, *& saccharum* omitti debere, monet; quia *lignum aloës*, præsertim non summè resinosum, adeo suavem & fragrantem odorem non spiret; *saccharum* autem, & *radices iridis*, ustulata, ingratum fœtorem exhalent, qui reliquorum preciosorum odoramentorum fragrantiam omnino obtundit. *Lignum aloës optimum*, id est, resinosum, sumi debere, Augustani scribunt. *Radices iridis* verò & *saccharum* licet non usque adeo gratum odorem spargant, si accendantur; nihilominus nec tantus eorum fœtor est, qui reliquorum odoramentorum fragrantiam *omninò obtundit*; nec suis caret virtutibus; necesse enim haud est, ut omnis suffitus è solis suavem odorem spirantibus simplicibus componatur; præcipuè cùm hoc *Dispensatorium* non voluptati, sed sanitati destinetur, quæ præter odorem gratum exhalantia, minùs benè olentia quandoque etiam admittit.

Suffitus, ait *Rondeletius lib. 2. de compos. medicam. fiunt vel ad voluptatem, vel ad sanitatem. Ad voluptatem, ex benè odoratis, ut benzovino, styrace, ladano, ambrâ, mosco. Ad sanitatem quædam ex odoratis, quædam ex fœtidis, alia ex odoratis & fœtidis simul permixtis.*

Quin etiam si super laminam ferream &c. tales Trochisci in fumum lentè resolvantur, quod nonnullis in usu est, & à Zvelfero quoque observatur, cùm ibi combustio rerum ejusmodi minùs odoratarum haud fiat, nullus quoque ingratus odor idcirco ab illis metui debet.

Præposterè igitur, & sine omni ratione, tale quid de omnibus suffimigiis prædicatur.

In BECHICIS ALBIS, NIGRIS, & RUBRIS *pag. eàd.* nihil aliud notat, quàm quòd plures species pectorales pro adsignatâ *sacchari* quantitate addi possint. Verum equidem hoc est; attamen commodè quoque præscripto modo parari ab Augustanis possunt; cùm *sacchari* illa quantitas non solùm ut excipiens, sive formam Trochiscis largiens, consideretur, sed etiam, quatenus simul faucium asperitati, tussientibus &c. quibus Trochisci illi destinantur, prospicit.

TROCHISCOS PECTORALES *pag. 204.* dictis modò *Bechicis* non absimiles esse, judicat; qui & ipsi juxta modum ab Augustanis traditum parari possint, modò ex tam diversis speciebus compositis non essent conglomerati. De cantilenâ hac inani supra jam actum fuit.

Species diambræ ingratum potius totum medicamentum, quàm gratum reddere, objicit. Proinde his speciebus omissis, utpote pectoris adfectibus singulariter non adpropriatis, *guttulas aliquot oleorum ex speciebus ingredientibus destillatorum*, earum loco addi posse, existimat. Ast non video, quid ex *Speciebus diambræ* ingratos hos Trochiscos reddere queat, quia ferè aromaticæ tantùm sunt, & parva earum quantitas, atque vix *grana tria* unam dosin, si illa *uncia dimidia* constituatur, ingrediuntur; quid autem *grana tria* inter *grana ducenta & quadraginta?* an hæc quantitas magna ab istâ minimâ ingrata reddi poterit?

Sed quid opus est verbis, cum Trochiscorum horum gratia neminem, nisi qui eos nunquam gustaverit, vel gustu depravato laboret, latere queat?

Utrùm ab aliquot guttulis oleorum, ex ingredientibus destillatorum, gratiores evasuri sint Trochisci? non disquiram.

Ast dubito, an *doronici, spicæ Indicæ, ligni aloës, santali citrini, moschi, & ambræ olea destillata* in officinis reperiantur; quæ tamen, uti inter *Specierum diambræ* ingredientia enumerantur: ita hoc monitum Zvelferi observaturus, olea eorum addere, pariter tenebitur.

Sed an *species diambræ* singulariter pectoris adfectibus adpropriatæ sint, nec ne? hujus loci non est inquirere.

Attamen minùs commodè in hos Trochiscos eas recipi, nullo modo conceditur.

Nam & aliquot ipsis insunt simplicia, quæ à nonnullis autoribus inter medicamenta pectoralia enumerantur; & ipsæ quoque Species catarrho resistere possunt, tum quatenus incidunt, expectorationemque hoc modo promovent, tum cerebri frigidam humidamque intemperiem corrigunt, illud roborant, sicque materiæ catarrhalis generationem, & ad subjectas partes transmissionem inhibent. Trochisci enim præsentes in catarrho & defluxionibus à capite, ab Augustanis commendantur.

Quamvis, si Species non singulariter pectoris adfectibus adpropriatæ sint, ideoque omitti debeant, eodem jure olea quoque destillata, à Zvelfero admissa, omittere oporteat; dum illam vim pectoralem, si ab ipsis suis Speciebus eam prius non habuerint, certè ab igne, dum destillantur, nunquam obtinebunt.

His

His præmiſſis, *exactè computatam Trochiſcorum horum reſolutionem* promittit. Verùm, ceu hactenus in calculo errores inſignes commiſit, ita nunc quoque *minùs exactè* computat, atque reſolvit; & vel in exceſſu, vel defectu hallucinatur.

In exceſſu, ratione *tragacanthi*, *gummi arabici* &c. quibus tamen ſi illam particulam: *circiter*, quâ aliàs nonnunquam haud incommodè utitur, aliamve conſimilem addidiſſet, tolerari poſſet computatio. Aſt ſimpliciter *tragacanthi* ℈jß, *gummi arabici* ℈j. *gr.* vjß. &c. ponere, *minùs exactæ* reſolutioni competit.

In defectu errat, dum v. g. *ambræ gryſ.* ℈ijß. *gr.* vij, *moſchi gr.* ix. ponit; cùm tamen *ambræ* pondus ʒj. ferè attingat, *moſchi* ℈ß. notabiliter excedat.

Unde verò *ſacchari canthi unciis tribus*, ab Auguſtanis ad hos Trochiſcos per ſe requiſitis, reliqua *grana quindecim* accedant, non video; cùm neque pro *Speciebus diambræ*, *Diaireos uſitatæ*, *Diatragacanthi frigidi*, neque pro *Galiâ moſchatâ*, *ſaccharum canthum* expetatur.

Cinnamomi, *doronici*, *caryophyllorum*, *macis*, *nucis moſchatæ*, *caſsiæ ligneæ & galangæ* (quæ ſimplicia ratione *Specierum diambræ* in *Trochiſcos pectorales Auguſtanorum* veniunt) *an. gr.* vijß. recipit; (quanquam *non exactè gr.* vijß, ſed paulò minùs ſumi debere, calculus oſtendat) *ſpicæ Indicæ* verò, *cardamomi majoris & minoris an. gr.* ij¼. ponit; cùm tamen (quia & hæc ingredientia à *Speciebus diambræ* huc accedunt) potius *gr.* ijß. requirantur. Nam dum *ſpicæ Indicæ &c. an.* ʒj. *cinnamomi &c. an.* ʒiij. recipiuntur; quarum *trium drachmarum* tertia pars eſt *drachma una*; conſequenter etiam *ſpicæ Indicæ &c.* tertia pars, ſive *gr.* ijß, reſpectu *gr.* vijß. *cinnamomi &c.* ſumenda erit.

Pariter *Zingiberis* non *gr.* iij, ſed *gr.* iij¾. accipienda eſſe, ex hoc evincitur; quia in *Speciebus diambræ Zingiberis* ʒjß. ſive dimidia pars ʒiij. prout in *cinnamomo &c.* obſervantur, ponitur.

Sic quoque *ſantali citrini & piperis longi non gr.* ivß. *ſed gr.* v. requiruntur.

Sed faciliori negotio, quòd Zvelferus erraverit, Lector ex computatione ingredientium Trochiſcorum, prout ab Auguſtanis enumerantur, ac prout dein à Zvelfero traduntur, percipere poteſt.

Auguſtanorum namque compoſitio ℔j. ℥j. ʒiij. *gr.* xvj. continet.
Aſt Zvelferi ℔j. ℥j. ʒiij. ℈j. & *gr.* vij. ferè complectitur.
Sic ut hæc ultra *ſcrupuli dimidij* pondus juſtò major evadat.

 Ex

Ex hoc ipſo etiam erronea omnium ingredientium pro his Trochiſcis, à Zvelfero inſtituta, computatio innoteſcit; dum enumerato ſingulorum ingredientium pondere, compoſitionem integram continere ℥xiijß, concludit.

Verùm mitto hos inconcinnè à Zvelfero reſolutos Trochiſcos; quam materiam nullâ aliâ de causâ latiùs diducere volui, quàm ut *minimè exactè*, quod tamen promiſſum fuit, ſpecies eorum reſolutas & computatas fuiſſe, patefieret.

In TROCHISCIS DE SCILLA *pag. 206. I.* in præparationem *ſcillæ* impetum facit, eamque non neceſſariam putat; quia 1. *Galenus ſuccum ſcillæ diebus canicularibus exceptum in Lohoch de ſucco ſcillæ* recipit, non verò *ſuccum ſcillæ aſſatæ*. Verùm *1.* non dicunt Auguſtani, quòd tantopere neceſſaria ſit *ſcillæ* præparatio; ſed tantùm tot ſeculis uſitatum modum deſcribunt; quem ſalutarem eſſe, cùm uſus monſtret, rejicere noluerunt.

2. Quamvis *ſuccus ſcillæ crudæ* quandoque adhiberetur; propterea tamen *ſcillam præparatam* planè rejicere, minimè convenit.

Aliàs pari jure in Zvelferum quoque animadvertendum erit, qui e. g. *bolum armeniam præparatam*, & *non præparatam* uſurpat, hanc in *Pulvere contra hæmorrhagiam, & ſputum cruentum Pharmacop. Reg. pag. 103.*; illam in *Trochiſcis bechicis rubris pag. 129. Pharmacop. Reg.* præſcribens.

Idem de *ſcillâ* dicere licet, quam hîc crudam, alibi verò, ceu mox dicetur, præparatam commendat.

3. Etiamſi *Galenus ſcillæ crudæ ſuccum* in *Lohoch de ſcillâ* intelligeret, excuſationem tamen faciliùs mereretur; dum *ſcillâ aſſatâ* quoque, nunquam à ſe improbatâ, utitur.

Aſt Zvelferus, qui hîc, & alibi, uſum *aſſatæ*, ſive *præparatæ ſcillæ* damnat, & nihilominus in *Pharmacop. Reg. pag. 4.* pro *Sirupo aperitivo ſplenetico & hepatico*; *pag. 7.* pro *Sirupo aſthmatico*; *pag. 108.* pro *Diacodio aſthmatico contra tuſsim diuturnam*; & *pag. 111.* pro *Lohoch de ſcillâ* eidem favet, veniâ vix dignus erit.

4. *Galenum* in *Lohoch de ſcillâ ſuccum ſcillæ crudæ* recipere, non ſine causâ dubitatur.

Nam in *documento de puero epilept. ſuccum ſcillæ* rectè conficiendi modum daturus, bulbum illum, in particulas minores diſcerptum, in vaſe aliquo, eâ anni parte, qua canicula exoritur, inſolationi committit, ſicque *ſcillæ* partes elixis ſimiles evadere, monet, & *ſuccum* indè collectum (atque hoc eſt: *ſuccum ſcillæ diebus canicularibus excipere*) cum *melle* commiſcet, & ita *Lohoch* conficit.

2. *Scillæ*

2. *Scillæ* præparationem non neceſſariam putat; quia paſta, in qua *ſcilla* fuit aſſata, venenata haud exiſtit: Quanquam paſta illa non venenata eſſe, dicatur; quòd ideo præparatio iſta planè non ſit neceſſaria, hinc non evincitur.

Zvelferi ſententia infirmo nititur fundamento. Præparatio enim non venenatæ tantùm medicamenti alicujus ſimplicis qualitati debetur; ſed alium quoque in finem inſtituitur.

Sic *ſcilla* non quòd venenata ſit, paſtâ obvoluta præparatur; ſed, uti *Galenus cap. 13. de ther. ad Piſ.* arbitratur, ideo pulte obducitur, ut facilè aſſetur, & à pulte ipsâ aliquid inter aſſandum accipiat.

Nonnulli, quos inter etiam *Cl. Joh. Rhodius*, quem *Virum ævi noſtri rari talenti* ipſe Zvelferus *Pharmacop. Reg. pag. 153.* vocat, *pag. 139. in Scribon. Larg.* ut vim acrem, quæ tamen non mox venenata dici debet, deponat, in furno coqui, exiſtimant.

II. Minùs prudenter *Trochiſcos è ſcillâ*, *Theriacæ* in largâ ſatis quantitate addi, cavillatur; quia parum de *ſcillis* contineant. Quod ut probet, è *librâ unâ ſcillæ aſſatæ, & farinæ ervi*, vel *pulveris dictamni albi unciis octo*, poſt exſiccationem Trochiſcorum, *vix uncias novem* remanere, expertum ſe fuiſſe, teſtatur.

Hanc Zvelferi ſententiam excutiendi commodam præbuit elapſo anno occaſionem *Theriacæ* è ſelectiſſimis ſimplicibus hac in Urbe inſtituta diſpenſatio.

Nam cùm *Trochiſci è ſcillâ* pararentur; à *libris decem ſcillæ*, poſt exſiccationem, cum debitâ *dictamni albi* quantitate factam, *uncias ſedecim* remanſiſſe, diligenti obſervatione mihi, aliiſque innotuit.

Et ita *libra una ſcillæ*, non *vix unciam unam*, ſed *ultra unciam unam & dimidiam* exhibuit.

Fateri quidem neceſſe eſt, parvam *ſcillæ* quantitatem ſupereſſe, ſi cum *dictamni albi* mole conferatur. Aſt propterea imprudentes dici non debent, qui Trochiſcos hos *Theriacæ* adjungunt. Licet enim parva quantitas *ſcillæ* poſt exſiccationem remaneat; in eâdem tamen magna virtus continetur; prout ſimile quid in *ſucco cydoniorum* obſervatur, cujus *libra una*, mediante humiditatis abundantis exhalatione, in craſſam conſiſtentiam, *uncias duas* circiter æquantem, redacta, ſucci tamen virtutem concentratam in parvâ iſtâ quantitate, ſi hæc cum ſucco, humiditate ſuâ ubertim adhuc gaudente, conferatur, adeſſe, neque Zvelferus negare poſſet.

Piaculum verò non eſt, ut id, quod excipientis munere fungitur, baſeos pondus exſuperet, præcipuè ſi unà baſin adjuvandi virtute polleat.

Aliàs

Aliàs nec *aqua simplex*, cui tamen nulla purgandi vis inest, pro Infusis purgantibus; nec *saccharum* pro Rotularum, Trochiscorum, Morsellorumque excipiente (quod tamen Zvelferus facit) admitti posset; quia quantitas *aquæ*, specierum infundendarum; & *sacchari*, specierum pro Rotulis &c. conficiendis requisitarum, pondus notabiliter excedit.

Quòd autem *libra una scillæ præparatæ, & unciæ octo dictamni albi* invicem commistæ, pulmentum potius liquidum, quàm massam, pro Trochiscis efformandis cōmodam, nisi diu & validè coquatur, suppeditent, haud posse Zvelfero simpliciter concedi, tunc quoque deprehendi.

In adsignatâ quidem proportione *dictamnum & scillam* commista, massam præbere molliorem, verum est; quæ tamen nec *diuturnâ*, nec *validâ coctione* indiget; cùm per unum duosve dies si adservetur, sponte suâ, tum evaporantibus aqueis, quæ superfluæ sunt, particulis, tum intimiùs substantiam pulvisculorum *dictamni* subeuntibus, talem adquirat consistentiam, quæ non indiga cocturâ, facilè postmodum in Trochiscos, debitè exsiccandos, redigitur.

Pergit jam Zvelferus: *ex quo liquidò patet, quòd si Scillæ nativâ suâ humiditate spolientur, (solidi enim parùm instar reliquarum ceparum continent,) etiam suâ totali priventur essentiâ & substantiâ, ut nil nisi viribus exhaustæ membranulæ remaneant.* Quæ consequentia? *Scillæ* in præparatione Trochiscorum nativâ suâ humiditate spoliantur. Ergo *suâ totali essentiâ, & substantiâ, nil nisi viribus exhaustis membranulis* remanentibus, privantur.

Aliud est: nativâ humiditate spoliari; aliud: totali essentiâ, substantiâ, viribusque privari.

Tali modo, cuncta vegetabilia, fructus, radices, folia, flores, quæ per exsiccationem nativâ suâ humiditate spoliata, in officinis pro usu quotidiano reponuntur, & à Zvelfero quoque in usum trahuntur, suâ totali essentiâ ac substantiâ privari, & nil nisi viribus suis exhaustas membranulas, carnes, fibras &c. remanere, defendere sustinerem.

Sed cùm *scillæ substantia* ex membranulis, & humiditate, per illas dispersâ, constet; hæc autem in exsiccatione tollatur, remanentibus tamen membranulis; quo fundamento, *scillam totali suâ substantiâ* per exsiccationem privari, statuitur?

Nec omnes *scillæ* vires exsiccando exhauriri, sapor, qui superstes est, acris nonnihil, & amarus comprobat.

Illud verò, quod exhalat, odore suo nares admodum ferire, deprehendere haud potui; quin potius ad aquæ elementaris naturam proximè accedit.

Ex

Ex his liquidò patet, imprudenter admodum Trochiſcos hos à *Theriacæ* confectione rejici. Cui, Trochiſcorum loco, *ſuccum vel pulpam ſcillæ* commiſcere, an conſultius foret, alij prudentiores, re benè penſitatâ, judicent.

Primam TROCHISCORUM SUBLINGUALIUM *formulam pag. 207.* ridiculam, uti *Trochiſcorum pectoralium compoſitionem*, adparere, ſi exacta ingredientium computatio atque reſolutio inſtitueretur, ſcribit. Sed hoc non eſt in præparationem animadvertere.

Verùm nugis qui impensè delectatur, aliorumque ſcripta virulento calamo petere laborat, alia ſi non ſuppetant, illi talismodi πάρεργα adducere, convenit.

Quanquam ridiculum illud nondum probatum ſit; nec unquam probari poterit; niſi & Anteſignanum ſuum, quem ſæpius tali methodo medicamenta componere, negari nequit, cujus etiam exemplum in *Confectionis pectoralis examine* ſupra exhibui, ridiculum eſſe, Adverſarij concedere velint.

Interea Zvelferi ſagacitatem commendo, quòd ingredientium Trochiſcorum horum computationem & reſolutionem nominetenus ſaltem indicarit; cùm aliàs facilè erroris in calculo minimè exacto, ceu hactenus conſuevit, reus fieri potuiſſet.

Quamvis ſi promiſſi ſui, *pag. 94. Animadverſ. in Electuarium roſatum Meſ.* conſignati, fidem liberare voluiſſet, & hos Trochiſcos reſolvere, æquum fuiſſet.

Aliorum *Trochiſcorum ſublingualium* ingens è ſcriptis medicis farrago, ſi cui placeret, colligi poſſet, ut ita illos à Zvelfero ſubſtitutos anxiè deſiderare, nulla neceſſitas cogat.



RESTI-



RESTITUTA
CLASSIS DECIMA TERTIA,
Collyria ficca, Arabibus Sief dicta, Paſtas odoratas, aliaque Suffituum genera complectens.

DE COLLYRIIS SICCIS *multa differere, operæ precium non eſſe*, judicat; *cùm ſint medicamenta in ſuâ formâ planè inutilia, nec ulli uſui inſervire poſsint, niſi denuò in pulverem redigantur; quod tamen in facili non eſſe*, objicit, *prout fuſiùs in præcedentis claſsis animadverſionibus hac de re differuiſſe ſe*, teſtatur. Multa hîc ſine ratione objici, ut demonſtretur, operæ precium eſt.

1. *Sief* in ſuâ formâ eſſe medicamenta planè inutilia, cum *Sennerto* nego, qui *Inſtitut. medic. lib. 5. part. 3. ſect. 3. cap. 33.* ex *Oribaſio* refert, Veteribus collyria fuiſſe medicamenta figuræ caudæ muris ſimilia, *qua non ſaltem oculis adhibebantur; ſed & fiſtulis, & ſinubus, & utero immittebantur, atque ad omnis generis uſus parata, atque in talem, ut dictum, figuram conformata aſſervabantur, quibus poſtea vel integris, vel contritis, vel diſſolutis utebantur.*

2. Licet nulli uſui, niſi pulveriſata inſervire poſſent, nihil tamen indè pro eorum abrogatione evincitur. Hac enim in formâ commodiùs adſervari, *Sennertus* autor eſt. Plura de hac materiâ in *principio Claſsis præcedentis* videantur.

3. In facili non eſſe, Collyria illa ſolida in pulverem redigere; ne jurato quidem Zvelfero crederem; cùm aliud ipſa αὐτοψία oſtendat.

Et quamvis ſummo cum labore pulveriſatio eorum ſuccederet, impoſſibilis tamen haud eſſet, neque contra hoc genus medicamenti quidquam evinceret; multa enim difficilia, aſt idcirco non repudianda, Pharmacia continet,

Neque

Neque tam exactâ pulverisatione semper opus est, si nimirum eorum usus cum liquore aliquo, in quo obiter saltem contusa dilui sicque dissolvi possunt, existat.

POMA AMBRÆ licet odoris fragrantiâ se commendent; hujus solius tamen gratiâ à Medico haud præscribuntur, sed potius ut suavi suâ exhalatione corporis humani sanitatem promoveant. Veluti illa ab Augustanis descripta, ad cerebri cordisque, ac indè prosurgentium spirituum confortationem commendari, ipse textus indicat.

Melius autem esse, species odoriferas pro iis expetitas, cum *resinâ* aliquâ, *styracis* vel *ladani*, in massam redigere, quàm cum *mucilagine tragacanthi*; quia causam hujus sui adserti non addit, hac vice non impugno.

Angelus Sala tr. de peste, *Poma ambræ* cum *tragarantho* compacta, ita sæpius indurari, scribit, ut rerum odorabilium qualitas suffocetur, & exhalare nequeat, atque idcirco *tragacanthi* loco *balsamum Peruvianum* eligit.

Sed neque *tragacanthi* nimia copia sumi debet; neque hæc odorabilium rerum qualitatem suffocare potest; sed potius ut diutius in massâ odor subsistat, nec tam citò exhalare queat, efficit.

Si nimis indurentur Poma hæc, facili negotio emolliri iterum possunt.

Quòd eò gratiora evadant, quò è paucioribus rebus fragrantibus parata fuerint, universaliter verum haud est. Si enim grata suavium multorum odorum harmonia, ut nullus præpolleat, impetretur, Pomum tale longè gratiorem fundet odorem, quàm si e.g. è solâ *ladani resinâ*, atque oleo quodam destillato paratum foret.

Sic etiam ipsa Zvelferi *Poma*, sive *Pasta odoratæ Pharmacop. Regiæ* à simplicitate ingredientium longè recedunt, atque ex undecim pluribusque ingredientibus compinguntur.

In SUFFITUS quandoque nonnulla addi, objicit, quæ quamvis per se odorata, prunis tamen inspersa, insignem fœtorem spirant, ut *cinnamomum*, *caryophyllos*, *semen coriandri*, *semen nigellæ*, *rosas*; *moschum* ipsum vivis carbonibus immissum, si citò comburatur, malè olere. Proinde nisi Medicus aliud quid intendat cum similibus adjunctis, ut ea omittantur, ne reliquorum odoriferorum fragrantia unà destruatur, suadet. De hac objectione superiùs actum jam fuit. Quare in præsentiarum solùm regero, ab Augustanis nec *cinnamomum*, *semen coriandri* & *nigellæ*, nec *moschum* formulis suffituum, vivis carbonibus immittendorum, admisceri, & ita inconvenienter exempli loco, contra Augustanos à Zvelfero adduci.

Gg Licet

Licet autem ejusmodi ſimplicia prunis inſperſa, illo odore grato, quem per ſe emittunt, haud polleant; inſignem tamen fœtorem non ſpirant; multò minùs tantus is eſt, ut reliquorum odoriferorum fragrantiam deſtruere valeat.

Teſtes produco Auguſtanorum in hac *Claſſe* præſcriptos ſuffitus, quos prunis injectos, neque ingratum fœtorem ſpirare, neque reliquorum odoratorum fragrantiam à reliquis, odorem gratum in combuſtione non exhalantibus, deſtrui, emunctæ nares judicabunt.

CANDELIS PRO SUFFITU, TÆDIS AROMATICIS, & PASTILLIS PRO FUMO præcedentes animadverſiones deſtinat; ſed præcipuè à *Paſtillis pro fumo ſaccharum* excludit, ejusque loco *pulverem carbonum*, nec non pro *ſtyrace calamitâ* ejus *reſinam* admittit; inſuper ſi *ligna aloës* & *cupreſſi*, *cinnamomum* ac *caryophylli* omitterentur, fragrantiores fore Paſtillos, autumat. Verùm etiamſi cum *ſaccharo* Paſtilli prædicti fiant, ſuaviſſimo tamen odore gaudent.

Carbonum pulvis nigros, & ingrati coloris Paſtillos reddit, qui potius à modico candore commendantur.

Pro *ſtyrace calamitâ*, ejus *reſina* ſine causâ obtruditur. Externum enim cùm ſit medicamentum, in quo, ubi præparatum jam eſt, an *reſina*, vel ipſa *ſtyrax calamita* inſit, dignoſci haud licet; *ſtyrax* etiam odoris præſtantiâ vix, aut parùm à *reſinâ* differat, ſumtuoſiores ſaltem, non verò adeo præſtantiores Paſtillos hæc producet.

SAPONUM MOSCHATORUM plurimæ, ſimpliciores, & magis compoſitæ, proſtant deſcriptiones, odoris fragrantiâ inter ſe differentes; quarum plures *Alexius Pedemontanus ſuis ſecretis* inſeruit.

Hafnienſe Collegium Medicum Diſpenſatorio ſuo formulam *Auguſtanorum* deſtinavit; in cujus præparatione nihil animadverſione dignum à Zvelfero producitur.



RESTI-



RESTITUTA
CLASSIS DECIMA QUARTA,
Confectiones antidotales, narcoticas seu opiatas, aliasque consimiles, Condita & Conservas continens.

PRimò omnium hac in *Classe* se offert tot seculis decantata, & nostro etiam tempore à Viris, qui famam æternitati consecrarunt, adprobata THERIACA, *pag. 227.* Quam paulò diffusiùs pervestigare, Zvelfero ducente, stat sententia; ita tamen, ut illa, quæ fastuoso calamo præmittit, tanquam nihil ad rem conferentia, sicco pede transeam, unicè illa, quæ in specie à Zvelfero oppugnantur, perlustraturus.

I. Rationi minùs conforme videri, dicit, quòd ex indistinctâ, vel potius infrunita tantaque tot diversarum rerum, nonnunquam apertè sibi repugnantium conglomeratione, tam nobile ac præcellens alexipharmacum emergere queat. Sed indistincta illa infrunitaque rerum sibi repugnantium conglomeratio nondum probata fuit. Quam itaque objectionem, solâ negatione, hac vice, remittere, æquum est.

II. Minimum prolixæ huic compositioni alexipharmacorum numerum inesse, quorum insuper vis ab aliis incongruis ingredientibus, tum ob eorum qualitatem, tum copiam, obrui & obtundi fereque annihilari, statuit. Sed hoc omne Adversæ parti probandum, iterum incumbit.

Intereà non immeritò disquiritur: an *Theriaca* nulla alia nisi alexipharmaca ingredientia recipere debeat?

Ipse *Quercetanus*, parùm alioquin *Theriacæ Andromachi* favens, ideoq; à Zvelfero *præclarissimi viri* encomio honoratus, *Pharmacop. dogmat. restit. cap. 23.* ultimam ingredientium classem *opopanaci, sagapeno, galbano, castorio, bitumini judaico*, occupandam reservat, *ne quid in suâ Theriacâ desideretur, quod ad ejus perfectionem pertinere videatur, ita ut non tantùm fiat alexipharmacum,*

 macum,

macum, ſed univerſale quoddam medicamentum, contra graviſsimos totius corporis affectus & ſymptomata.

Eruditè dubium hoc reſolvit *Celeberr. Joh. Henric. Meibomius* in *diſcurſu de Mithridat. & Theriac. Quia nondum*, inquiens, *ſatisfacit Medicus officio ſuo, ſi morbum oppugnet, atque omnis generis remediis, maximè generoſis, id, quod vim naturæ infert, conetur propulſare, & humores turgentes, quantum licet, refrænare, & ex corpore proturbare ſatagat; niſi ſimul partibus principalibus proſpiciat, atque id caveat unicè, ne illarum aliqua, aut viſcus aliquod nobile, venena promptè recipiendo, ab illis lædatur. Neceſſum igitur habet, ut, dum alibi prodeſt, viſcera interim principalia corroboret ſimul & muniat, atque à pernicie tutetur & defendat.* Sic cor ab alexipharmacis; cerebrum à *ſtœchade arabicâ* roborari; pulmonibus *crocum, marrubium, radices iridis* & *liquiritiam* prodeſſe, hepar & lienem *centaurium minus, pentaphyllum, chamædryn, chamæpithyn &c.* juvare, adſerit.

Magnificus Guernerus Rolfincius ord. & meth. medic. ſpecial. comment. lib. 8. ſect. 2. cap. 31. tribus dotibus antidotum præditum eſſe debere, propugnat; ut 1. veneno reſiſtat, 2. cor roboret, 3. expultricem cordis & aliarum partium ſtimulet.

Nimirum non ſufficit, in medicamento aliquo compoſito baſin tantùm ſemper poſuiſſe, ſed quandoque adjuvantia, corrigentia, dirigentia, & excipientia ſimul advocanda eſſe, ratio ſuadet. Quæ ſi ritè attendantur in *Theriaca* compoſitione, ſola alexipharmaca, quæ baſeos vicem ſubeunt, recipi non debere, cuivis facilè patebit.

Si verò hæc attendi nunquam deberent, ſine ullo labore, omnes propemodum Zvelferi antidotales compoſitiones evertere me poſſe, conſiderem.

Sæpe etiam quod rationi, præſertim ſiniſtro judicio præoccupatæ, incongruum videtur medicamentum, ſi nempe ejus inventoris intentionem, ſive componendi cauſas ignoremus, nec experientiæ, ob levem aliquam ratiunculam, fidem habere velimus, virtutibus tamen ſuis naſutulorum ſuſpicionem ſufficienter diluit.

Sic *Galenus cap. 4. de theriac. ad Piſon.* res quasdam diverſas planè partes habere, demonſtrans, quasdam ex commiſtis virtutibus, quas in ſe continent, admirabiles adeo producere effectus, monet; *ut ne fieri quidem poſſe, audientibus videatur, niſi ex eventu fidem ipſi experiantur.*

Experientia ſcilicet, tanquam evidens aliquod, primariò ſpectanda, & rationi præferenda eſt.

Nunc, quænam alexipharmacorum numero excludi, atque à *Theriacæ* compoſitione eliminari debeant, inveſtigare decet. In *animadverſionibus* quidem,

quidem, præter *agaricum*, *rhabarbarum* & *chalcitidem* nullum determinat. In *Pharmacopœiâ Regiâ* autem iis enarrandis operosè insudat; ad quam itaque divertere cogor.

1. *Scillam Pharmacop. Reg. pag. 146.* adducit; quia nemo Botanicorum classicorum (illi enim, qui contrariam, & Zvelfero minùs commodam sententiam amplectuntur, sine ratione, ab eo Apocryphi habentur) virtutes cardiacas & alexipharmacas, sed potius usui interno minùs proficuas, ideoque pro acrimoniâ tollendâ, in clibano cicurandas &c. ipsi tribuerit. Posito, omnia ita sese habere; propterea tamen à *Theriacâ scillam* arcere, non convenit; cùm eandem aliis suis virtutibus, à naturâ concessis, exaltare valeat.

Quòd autem *scillam*, si foris buboni pestifero adplicetur, venenum à centro ad corporis ambitum attracturam; & sic intra corpus adsumtam, illud pariter à circumferentiâ ad centrum validissimè revocaturam esse, Zvelfero evidens ac certum videtur, dubij plena res est.

Nam si hoc de *scillâ*, quatenus in *Theriacam* recipitur, intelligat, difficilis admodum erit probatio; præcipuè cùm illius suppositi, de veneni per *scillam crudam*, externè cum pane adplicatam, attractione, veritas adhuc dum à *Practicante*, quod Zvelferus velle videtur, investigenda sit.

Dato tamen, *scillam* cum pane mistam, virtute venenum attrahendi pollere, nihil indè contra *scillam*, quatenus *Theriacam Veterum* ingreditur, demonstratur. Quippe longè alia est actio medicamentorum nonnullorum, si internè adsumantur, quàm si externè adplicentur.

Et qua ratione *scilla* (cujus etiam minima in dosin unam ingreditur quantitas, quæ insuper, secundùm Zvelferi doctrinam, ab additis aliis obruitur & annihilatur) tale quid præstare poterit, si in *Trochiscis scilliticis nil nisi effætæ, enervatæ, castratæ, atque exsuccæ membranulæ, à virtute scillæ degeneres*, ceu quidem arbitratur Zvelferus, supersunt? Istam enim venenum attrahendi potentiam *scillæ crudæ*, non *præparatæ*, sive, ut ad mentem Zvelferi loquar, non emortuo *scillæ* corpusculo, adscribit.

Quin hac ratione omne *ceparum* genus pro usu interno alexipharmaco inidoneum videri posset.

Ipsum Zvelferi *Elixir alliatum antipestilentiale Pharmacop. Reg. pag. 208.* plebem à contagio pestilenti non præservaret; sed eam ad venenum istud recipiendum obnoxiam redderet.

Idem ab aliis Zvelferi medicamentis antiloimicis metuendum foret.

Ita in *Amuletum contra pestem*, quod *pag. 140. Pharmacop. Reg.* describit, *pulvis serpentum*, *succinum*, *moschus* recipiuntur; quæ omnia venenum

pestife-

pestiferum attrahendi vi prædita esse debent; cùm hoc amuletum tali modo à peste præservare, Zvelfero dicatur.

Id quod equidem impugnare, uti animus mihi non est: ita fundamento Zvelferi, contra *scillæ* usum posito, innixus, *pulverem serpentum, succinum, moschum &c.* internè si adhibeantur, venenum in peste validissimè in corpus attrahere, & consequenter imprudentissimè in medicamenta alexiteria interna recipi, existimo.

Quod tamen minimè observans Zvelferus, *pulverem serpentum, viperarum* substitutum, pro summo alexipharmaco, intra corpus adsumtum, & qui ipsam *Theriacam* ingredi mereatur, venditat. *Succinum pag. 98. Pharmacop. Reg., Pulveri alexipharmaco secundo*, cujus usum in peste validum pronunciat, admiscet. *Moschum* in *Trochiscos antipestilentiales sublinguales priores pag. 132.* recipit.

2. *Piper longum Pharm. Reg. pag. 150.* adgreditur, quod cardiacâ & alexiteriâ virtute reliquis eminere qui dixerit, neminem autorum se offendere, scribit, atque Lectorem Benevolum Scriptores multùm de re herbariâ conspicuos & meritos, *Dioscoridem, Matthiolum &c.* consulere, jubet, quorum nullus *piper* alexipharmacâ facultate dotatum adserere ausit; sed quòd saltem pro *Theriacâ* ab aliis illud suaderi, memorent, nihil interim decidentes, *quonam id modo ac ordine accidat*, præposteréne, an verò rationi consentaneo? piaculum aut grande nefas sibi ducentes, pro veritate litare, mundoque Veterum errores revelare. Sed responsionem ex supra jam citato fundamento facilè petere licet. Non enim sola alexipharmaca *Theriacæ* adjungere, necesse est; sed alia quoque aliarum partium confortantia, corrigentia &c. addere, licet. Sic v. g. *piper* stomachicum medicamentum esse, nemo negat.

Zvelferi autem contra *piperis* vim alexiteriam adducta ratio nil quidquam concludit. Licet enim ipse è nullo autorum, quos evolvere datum ei fuit, virtutem *piperis longi* cardiacam & alexiteriam cognovisset; an eapropter eâdem carere, tam audacter adfirmari debet? An illi soli scriptores, quos ipse evolvit, classici sunt?

Sed quem elegit judicem, *Dioscoridem* audiamus, qui *lib. 2. cap. 153.* de *pipere* in genere, atque ita etiam de *longo*, agens, serpentum morsibus illud auxiliari, tradit; in specie autem *longum piper* pro antidotis & theriacis medicaminibus (ubi non solius *Theriacæ*, qua de hîc sermo est, mentionem facit) expeti, adserit.

Piperis candidi plantæ, scribit *Garcias ab Orta aromat. & simplic. medic. histor. lib. 1. cap. 22, rariores sunt, nec nisi certis Malavar & Malacæ locis raræ nascuntur. Solet Magnatum mensis inferri: eo enim utuntur quemadmodum*

nos

nos sale. Venenis resistere & ocularibus medicamentis utile esse, asserunt: quod & Dioscorides lib. 2. cap. 153. annotavit; atque utinam totam hujus plantæ historiam tam verè descripsisset.

Utrùm verò necessarium sit, rationes semper addere, cur hoc, vel illud ingrediens alicui compositioni addatur, ipsum Zvelferum judicem constituo, qui in *Pharmacopœiâ Regiâ* tot compositiones alexipharmacas recenset, quarum tamen ingredientia, quæ ab aliis Scriptoribus in tali casu commendata novit, *quo modo ac ordine accedant*, haud declarat.

Fides Antiquitati, per experientiam dubio procul *piperis* vim antidotalem adstruenti, rectiùs, quàm pennæ, reformandi aliorum scripta avidæ, hanc neganti, habetur.

Sit ergo *piper* alexipharmaci nomine dignum, quousque contrarium probetur.

Objectio, quam sibimet format Zvelferus, ejusdemque resolutio, labili non minùs pede subsistunt.

Objici enim posse, scribit; quòd non sola alexipharmaca, sed & cor reliquasque partes principes confortantia, in *Theriacâ* requirantur. Verùm roborantia talia esse debere, regerit, quæ spiritus non accendant, humoresve exagitent, ne pestilentis contagij semina commota citato gradu in penitiores aditus rapiantur. Egregiè sanè! Valeant igitur & eliminentur à medicamentorum alexipharmacorum ordine omnia aromata, *oleum cinnamomi*, aliaque destillata olea; quia, si non benè temperata cum aliis, & in dosi immoderatâ propinantur, spiritus accendere, humoresque exagitare valent. Omnia medicamenta, subtili, penetrante, fragranteque odore prædita, non ampliùs confortantium nomine, tali modo circumferri debent. Hæc autem omnia à Zvelfero commendantur, & pro confortantibus præcipuis, alexipharmacisque, nec immeritò, proclamantur. Unde hoc Zvelferi exemplo commotus, *piperi* vim alexiteriam, ob caliditatem suam, negare nequeo.

Illa ipsa quoque caliditas & acrimonia ab additis aliis, v. g. *melle*, in *Theriacâ* temperatur, ejusque dosis mediocris adsumitur. Si enim *Theriacæ drachma una* pro dosi statuatur, eam nec quidem *piperis longi integrum granum unum* ingredi, observatur.

Neque *Theriaca* gustata, ullam *piperis* præpollentis caliditatem aut acrimoniam, *quæ linguam & palatum feriat*, multò minùs *inflammet*, exhibet.

Accedit, quòd *Theriacâ* illis, qui temperamenti calidioris sunt, observatis simul reliquis caloris, v. g. æstatis, regionis &c. circumstantiis, tum à *Galeno*, tum aliis interdicatur.

Plura

Plura quæ contra hanc objectionem dici possent, mitto, unicum hoc superaddens, Zvelferum *Pilulis* suis *confortantibus*, *pag. 10. Append. in Pharmacop. Reg.* descriptis, *piperis longi drachmas tres* immiscere, sicque pro dosi unâ, si ea *scrupulus unus* ponatur, ultra *grana quatuor piperis* destinare; cùm tamen hæ Pilulæ, aliis insuper calidis acribusque ingredientibus turgidæ, caput, cerebrum, spiritusque vitales & animales confortare debeant.

3. *Opium pag. 151.* sub examen revocat, atque adductis multorum Scriptorum testimoniis, (quod aliàs authoritatem aliorum emendicare, vocat) vim alexipharmacam eidem adimere, & pestilentem invisamque ægris, tribuere, totis viribus laborat.

Et sanè vix ullus, tantorum Virorum unanimem de *opij* periculoso usu sententiam, crebrâ experientiâ confirmatam, repudiare potest. Cùm tamen illa de immoderato intempestivoque & incorrecti *opij* usu tantùm agat; nemo ex hoc fundamento pestilentem invisamque ægris vim, tam simpliciter *opio* adjudicare debet; cùm potius summè salutare, ac ægro amicum, si debitè exhibeatur, eveniat.

Dioscorides enim *ervi magnitudine* sumtum commendat.

Ruellius, *Schröderus*, à nimiâ quantitate incommoda metuenda esse, volunt.

Fernelius lib. 6. meth. med. cap. 1. (qui locus à Zvelfero citatur) usum *opij* externum commendat, interni nullâ factâ mentione; quem tamen, levioribus aliis auxiliis desperatis, *cap. 5.* certis in casibus admittit; & ita non, *si quoquo modo*, ceu vult Zvelferus, in usum trahatur, tam periculosum medicamentum vocat.

Tabernæmontanus, & *Matthiolus* in summâ necessitate, circumspectè tamen, ac in minimâ dosi, adhiberi posse, concedunt.

Rhodius, si vires constent, admittit.

Renodæus indiscriminatim exhibitum, periculosum vocat.

Cæterùm ad *Dioscoridis* authoritatem ut revertar, eam planè præposterè à Zvelfero huc trahi, comperio; cui fortè nunquam videre *Dioscoridis* libros, obtigit. Nam scribit: *Reperio ex Dioscoride, nullam ei virtutem alexipharmacam inesse, qui pro se Diagoram, Erasistratum, Andream Mnesidemum allegat, qui & ipsi pariter suffragantur: imò opij usum in genere vetat, & exitiosum esse, decidit.*

Verùm *Dioscoridem* ipsum audire, præstat, qui *lib. 4. de mat. med. cap. 60.* de *opio* sermonem instituens, sequentia habet: *Sumtum ervi magnitudine, dolorem finit, concoquit, & somnum allicit: tussi atq; cœliacorum valetudini auxiliatur. Verùm si copiosius hauriatur, nocet, cùm lethargicos efficiens interimat.*

Et

Et paulò poſt : *Diagoras, ut Eraſiſtratus autor eſt, uſum ejus damnavit, oculorum lippitudinibus, & aurium vitiis infundi vetans, quoniam viſus aciem hebetaret, & ſoporem gigneret. Addidit Andreas, illitos eo protinus excæcari, ni adulteraretur. Mneſidemus uſum duntaxat olfactandi probavit, quoniam ſi ad conciliandum ſomnum conveniret: alioqui nobis ut noxio interdicit. Quæ commentitia eſſe, experimento deprehenduntur: ſiquidem effectus, virium hujus medicamenti fidem faciunt.*

Quæ jam adducta verba ſi cum Zvelferi textu conferantur, hic multarum abſurditatum reus convinci poſſet.

Mihi verò ſaltem quærere libet: An *Dioſcorides* in his verbis virtutem *opij* alexipharmacam rejiciat? An uſum *opij in genere* vetet, atque exitioſum eſſe, decidat? An *Diagoræ, Andreæ*, (qui pariter vim contra venena nec probant, nec improbant) *Mneſidemi* ſuffragia, pro ſententiâ ſuâ ſtabiliendâ, producat?

Nunc, an *opium*, tanquam alexipharmacum, in *Theriacæ* compoſitionem adſciſcatur, vel alium propter finem addatur, planéve eliminari debeat? inquirendum erit.

Prout autem non ſemel jam monui, *Theriacam* pro ſui conſtitutione non alexipharmaca ſolùm requirere, ſed alia quoque alterius naturæ ingredientia commodè recipere: ita de *opio*, quod alexipharmacorum propriè dictorum numero inſerere nolo, prædicari idem poteſt; præcipuè cùm non ſolius peſtis, atque venenorum reliquorum malignitati *Theriaca* opponatur, ſed aliis quoque corpus humanum invadentibus malis reſiſtere debeat.

In ipſo verò peſtilenti contagio qua ratione *opium* proſit, illum, qui ejus vim confortantem, quatenus ſpirituum diſſolutioni reſiſtit, & conſequenter virium lapſum, in peſte quammaximè timendum, præcavet, nec non facultatem ſudorem movendi, ab additis alexipharmacis adjutam, conſiderat, minimè latere poteſt. Sic enim corpus, ſpiritibus confirmatis, & vitioſis humoribus è corpore ſenſim ſublatis, ne virus peſtilens promtè recipiat, diſponit.

Unde *Joann. Walæus* ſudorem ciendi vim in *Theriacâ* ſoli *opio* adjudicare, audet; dum in *ſuâ methodo medendi cap. de ſudorifero, pag. m. 65.* ſic ſcribit: *Medicamenta ſudorifera pauca vera ſunt, & inter hæc excellit Opium; Quod enim Theriaca, quod Mithridatium ſudorem moveant, hoc omne ab admixto faciunt Opio; Expertus ego ſum, hæc duo Electuaria, absque Opio præparata, ſudorem prorſus non moviſſe.*

Neque in peſte, quæ corpus jam invaſit, profligandâ auxiliares præbere

manus, renuit. Nam præterquam quòd multorum ingredientium alexiteriâ virtute præditorum agmine concomitetur, tot insuper singularum corporis partium confortantibus gaudeat, spirituum quoque dissipationem inhibet, eosdem exæstuantes demulcet, irruentium humorum pravorum impetum refrænat, de pestifero miasmate, sudorem pellendo, multùm detrahit, dolorem capitis, vigilias immodicas, vomitus, diarrhœas, quæ symptomata frequenter in peste infectis deprehenduntur, & ægri mortem accelerare valent, compescit.

4. *Agarici* in *Theriacam* additionem *pag. 158.* reformat; cujus vim alexiteriam dum è nonnullorum Classicorum Autorum testimoniis agnoscit, ne tamen admittere eam teneatur, sed potius, tanquam Veterum quoddam adsertum suggillare queat, hos regulam, & canonem nobis esse non posse, scribillat; *cùm ratio illos convincat & dissuadeat, & ipsa tutior Magistra Experientia in contrarium hortetur; ut proinde præter inania verba & sonos, aliquid solidi non reperias.* Illi verò, qui *agarici* virtutes enumerantes, alexipharmacæ vel planè non meminêre, vel negant, *clarissimi, doctissimi, & magnæ notæ Viri* ipsi dicuntur. Sed quænam est ratio, quam venditat? cuinam debetur contraria ista experientia? De hac altum est silentium; illa autem nihil convincit. Probatione enim adhuc dum indiget, quòd *agaricum* cæterorum alexipharmacorum in *Theriacâ* vim sistat, retardet, infringat, naturæ, & vel maximè ventriculo, inimicâ qualitate hostile sit, præposterosque effectus procuret. Nihil horum in *Theriacæ* usu conspicitur. Agunt alexipharmaca ejus non fracta, vel impedita. Natura amicam eam experitur. Ventriculus summum solatium ex eâ percipit.

Licet, quod Zvelferus pro sententiæ suæ robore producit, *agaricum* per inspirationem ad nares allectum, pectusque occupans, sternutationem moveat, respirationem impediat, molestamq; ophthalmiam exerceat; (id quod in nonnullis observari, haud nego) nihil tamen horum alexiteriam *agarici* vim impugnat; cùm hoc non à qualitate aliquâ malignâ proficiscatur; sed ab ipsâ *agarici*, in minutum pulverem per trituram redacti, substantiâ acri ac resinosâ, nares vellicante, sternutationemque provocante, laryngem constringente, & ob vehementem motum acrimoniamque oculos lædente proveniat.

Aliàs magna alexipharmacorum, à Zvelfero etiam adprobatorum, pars eodem elogio mactari deberet, quorum subtilissimus pulvis, inter triturandum ore naribusque exceptus, eundem effectum producit.

Nec etiamsi larga *agarici* quantitas, pro purgando corpore, adsumatur, unquam tales effectus observantur; qui tamen necessariò subsequi deberent, si ab altiori causâ, scilicet venenatâ, proficiscerentur.

Et

Et ſanè, ſic pergit Zvelferus, *palam profiteor, quòd nunquam à tot elapſis annis, quibus Medicæ profeſsioni præſum, ullum viderim aut legerim, qui in morbo contagioſo & maligno, ad expugnandam deleteriam qualitatem, Agaricum in ſubſidium vocarit, niſi Agyrtas quosdam & pſeudo-practicos &c.* Sed neque hoc argumentum quidquam contra agaricum probat.

Nam licet Zvelferus per tot annos, quibus Medicum ſe profeſſus fuit, (an Medicæ profeſſioni præfuiſſe dici queat? neſcio) nullum viderit aut legerit, qui *agaricum* in morbo contagioſo & maligno adhibuiſſet, dubium tamen relinquitur, annon in tali morbo proſit?

Multi autem virtutem illam antidotalem agnoverunt.

E Veteribus *Dioſcorides lib. 3. cap. 1.* (quem etiam paulò ante Zvelferus allegavit) *agaricum* venenorum antidotum vocat, contra ſerpentum quoque ictum morſumq; *tribus obolis* è *vino* potum, mirè auxiliari, perhibet.

Sed cùm *hujus*, nec non *Manardi*, teſtimonium, quaſi ſtylo ac verbis frivolis inniteretur, ſtylo licet verbisque frivolis, rejiciat Zvelferus; aliorum, ne hos duos *ſolos* ſententiæ huic favere credas, judicia adnectam.

Galenus lib. 6. de ſimplic. medicament. facultat. cap. de agarico, illud à beſtiis frigore lædentibus, demorſis & punctis, intus extusque adhibitum, commendat.

Idem in *libro de ſimplic. ad Paternianum*, reperitur.

Ubi Lector Benevolus obiter notet, Zvelferum ſtatuere, quòd *Dioſcorides & Manardus* hoc de vi *agarici* alexipharmacâ è *Galeno* mutuati fuerint; cùm tamen *Dioſcorides* diu ante *Galenum* vixerit; ut ita *Galenus* potius è *Dioſcoride*, non vice verſâ, mutuatum hoc fuiſſe, dici poſſet.

Plinius lib. 16. cap. 8. agaricum antidotis efficacem nominat.

E Recentioribus *Rolfincium* oppono, qui *ſect. 1. art. 1. cap. 25. de purgantib. vegetab.*, *agaricum* accenſum in peſte purificare aërem, & cum aliis ſuffimigiis pernicioſæ infectioni contrariis medelis, miſceri poſſe, tradit.

Unde *Minderero noſtro cap. 5. Aloëdar. marocoſt.* venenorum reluctatoris nomine inſignitur; & ab *Honorio Heringio, tract. de peſtilentiâ*, unà cum *rhabarbaro* illis medicamentis inſeritur, *quæ præter purgandi vim, veneno reſiſtere poſſunt.*

Quin plures ejusdem ſententiæ eſſe, ex ipſis Zvelferi verbis concludi poſſet, dum *Dioſcoridem & Manardum ſolos* (*qui & ipſi*, verba ſunt Zvelferi, *è Galeno mutuati ſunt, uti & reliqui omnes*) *agarico* vim alexiteriam adſcripſiſſe, refert. Nam illa verba: *reliqui omnes*, præter *Dioſcoridem, Galenum, & Manardum*, plures alios autores includunt.

Quo ipſo tamen Agyrtis, *agaricum* imprudenter in febribus malignis propinantibus, non adſentior; quin potius ex inconſiderato tali uſu, magnum in periculum, ipſamque mortem præcipitari ægros, concedo.

Abuſum enim hoc redolet.

Adfirmo pariter cum Zvelfero, *Agaricum*, in magnâ illâ ingredientium copiâ & pondere, alvum ſolvendi vi haud pollere; neque enim id expetitur; dummodo vis alexipharmaca ſalva ſit.

Et quis non miretur Zvelferum, qui ipſe Antidotis nonnullis purgantia immiſcere, non fuit veritus.

Exemplum hujus præbent *Pilulæ antipeſtilentiales Pharmacop. Reg. pag. 68*, quæ multis alexipharmacis ingredientibus refertæ, *aloës ſocotrinæ unciam unam* recipiunt, à qua parum ultra *grana tria* doſin unam intrare poteſt.

5. *Rhabarbarum* ſimiliter alvum movere, humores agitare, & alexiteriâ virtute deſtitui, *pag. 159.* garrit Zvelferus, ideoque citra rationem *Theriacæ* ſuperingeſtum eſſe, ſcribit; cujus nempe activitas & operatio non ſit à centro ad peripheriam, à corde ad cutem & poros, ſed contrario operari modo. Atque hoc authoritate *Meſues*, *Matthioli*, *Tabernæmontani* &c. fulcire, conatur; qui cùm nullam de virtute alexipharmacâ *rhabarbari* mentionem faciant, eandem etiam *rhabarbaro* non ineſſe, concludit. Quæ egregia conſequentia ſi valet, multis nobiliſſimis alexipharmacis, pari facilitate, illam ſuam à naturâ impertitam efficaciam, dubiam reddere licet.

Quaſi verò Botanici, aliique Scriptores Medici, cujusdam ſimplicis virtutes enarrantes, & hanc illamve expreſsè non conſignantes, propterea, eandem abeſſe, ſtatuere dicendi eſſent? Unus hanc vel illam; alius alias virtutes enumerat.

Unicum eximit *Dioſcoridem*, qui *rhabarbaro* virtutem illam venenis contrariam attribuerit, præter quem *neminem Scriptorum* virtutem alexipharmacam, cardiacam, & roborantem adjudicâſſe, ſcribit. Ubi labilem Zvelferi memoriam iterum obſervo, dum paulò ante, præter *Dioſcoridem*, *Ruellium* quoque excepit, qui contra ſerpentum venenata jacula valere *rhabarbarum*, *lib. 3. cap. 2. de naturâ ſtirpium* meminit.

Verùm neque hi ſoli ſententiam iſtam fovent, plures alij ipſis adſtipulantur.

Ebn Sina lib. 2. canon. tract. 2. cap. 585. morſui vermium venenoſorum & ſerpentum conferre, docet.

Ab *Alexandro Maſſariâ lib. 2. de peſte*, & *lib. 7. Pract. medic. cap. 24.* multas inter nobiles dotes, venenis quoque reſiſtens, & cor roborans eidem tribuitur.

Zacharias

Zacharias à Puteo in *clav. medic. ration.* ſe ex frequenti *rhabarbari* maſticatione, absque aliâ antidoto, ſævâ in peſtilentiâ, liberatum fuiſſe, memorat; quamvis multos peſte infectos tangere, & cum iis converſari, coactus fuerit.

Jo. Hartmannus in *Prax. chimiatr.* uſum *rhabarbari* continuum, quemadmodum *Zedoariæ*, multos ab infectione peſtilenti tutatum eſſe, teſtatur.

Quare multi quoque Medici clariſſimi antidotis ſuis radicem hanc immiſcuerunt, quorum aliquot exempla *Dan. Sennertus* in *Faſciculo medicamentorum, peſtilentiâ graſſante, à diverſis Medicis præſcriptorum*, exhibet.

Prout e. g. *Pulvis D. Joan. Caſtneri præſtantiſsimus & à multis adprobatus*, *rhabarbari drachmam dimidiam*; *Pulvis præſervativus & curativus à Doct. Viennenſibus ordinatus*, *unciam dimidiam*; *Pulvis groſſus ſecundus D. Jacob. Theodori Tabernæmontani*, *drachmas duas* recipit.

Eadem hæc medicamenta, unà cum aliis, in *Faſciculo medicamentorum antipeſtilentialium Heringij*, inveniuntur.

Quæ de contrario alexipharmacis motu *rhabarbari* ſcribit, ita ſe habere, ponamus, tantam tamen in *Theriacâ* vim ejus eſſe, quæ talem contrarium motum inducere queat, non admittitur; cùm nec *quinta pars grani unius, rhabarbari*, *drachmam unam Theriacæ* ingrediatur.

Idem verò de contrariâ operatione in *Pilulis antipeſtilentialibus* Zvelferi, ſuperiùs citatis, ſtatui debet; quas omnium primò defendere, Antagoniſtis incumbit.

6. Chalcitis pag. 160. à Zvelfero è *Theriacâ* rejicitur, ob vim, quam continet, corroſivam.

Minerale hoc *Vitrioli nativi* ſpeciem eſſe, & viribus cum *Vitriolo* coincidere, apud Zvelferum quoque in confeſſo eſt.

Galeni chalcitidem nihil aliud, quàm *chalcanthum* fuiſſe, ex *lib. 9. de ſimplic. medicament. facultat.* colligitur; ubi *chalcitidis* ſponte, poſt annos aliquot, è *chalcantho* natæ mentio fit; cui ſimilia *Paulus Ægineta lib. 7. cap. 3.* profert.

Prout autem *vitriolum* non unius generis eſt: ita *chalcitidis* quoque diverſas ſpecies dari, veneream, martialem, ſapore modò acriori, modò temperatiori, magis minusve adſtringentem, puriorem & impuriorem &c. veriſimile videtur.

Ut idcirco Zvelfero aliquando, talem, quæ guſtui nauſeâ pleniſſima, cuperoſa, odoratui tetrum quid ſpirans adparebat, obtigiſſe, facilè credi poſſit.

Id tamen de omni *chalcitide* adfirmari nequit. Sæpius enim hîc AUGUSTÆ *chalcitidem* rubri coloris, dulci, adſtringente, & martialem potius,

tius, quàm veneream prosapiam prodente sapore præditam, nihil tetri spirantem, *Theriacæ* elaborationi adhibitam fuisse, scio.

Cæterùm vim propter corrosivam à *Theriacâ*, quod Zvelferus, aliorum vestigia premens, facit, rejici haud debet.

Nulla enim à *Theriacæ* exhibitione, ventriculi, intestinorum, reliquarumve partium corrosio unquam observata fuit.

Angelus Sala cap. 4. hemetolog. illos, qui *vitrioli* vim corrosivam nimiam accusant, ideoque ab usu interno istud arcent, ne unicam historiolam, ad sententiam suam probandam, adducere posse, intrepidus exclamat.

Præterea tam parva *chalcitidis* dosis unam *Theriacæ* dosin ingreditur, quæ vix quidquam corrodendo præstare valeat; *drachmæ* nimirum *duæ Theriacæ, tertiam partem*, juxta Zvelferi; vel, secundùm exactum magis calculum, *quartam partem grani unius chalcitidis* recipiunt.

Imò hæc ipsa parva quantitas ab additis aliis temperatur.

Ut ideo *Sylvaticus, chalcitidem*, ob vim causticam, in *Theriacâ* non metuendam esse, benè hortetur; quia in eâ quantitate urentes suas vires exserere non posse, experientia manifestum faciat.

Pari modo *vitriolum* quoque, quod in *chalcitidis* defectu eidem substituitur, corrosionis crimine absolvitur; cujus patrocinium *Angelus Sala d. l.* imprimis suscipit, illudque intra corpus, absque acrimoniæ & corrosionis metu, præscribi tutò posse, diffusè propugnat.

Et certè pauca, inter simplicia, ad usum medicum adaptari solita, reperire licet, quæ de particulis acribus non participant.

Eminent hæ in *sale communi*, cujus tamen quotidianus in cibis usus summè salutaris, nullo modo corrosivus noxiusque observatur.

Saccharum, mel, sub summâ dulcedine, acerrimos corrosivos occultant spiritus; Et nihilominus utrumque sine corrosionis metu à Zvelfero in usum trahitur.

Quin ipse Zvelferus *pag. 171. Pharmacop. Reg.* pro *Theriacâ Andromachi correctâ, drachmam unam spiritus vitrioli* admittit; cui tamen, præcipuè si probè rectificatus fuerit, multò intensior corrodendi facultas debetur, quàm *unciæ dimidiæ vitrioli* vel *chalcitidis* calcinatæ.

Nimiùm autem à vero deflectit Zvelferus, dum *Pharmacop. Reg. pag. 161.* nonnullos, *ad mentem Augustanorum, vitriolum Romanum, veneris cæruleum, seu cuperosum*, quod infame & detestandum vocat, substituere, scribit. Monstretur pagina, signetur locus, in quo Augustani hoc præcipiunt! Nihil, totum Dispensatorium perlustranti, deprehendere mihi licuit.

In

In defectu verò *chalcitidis*, *vitriolum viride martiale* pro succedaneo Augustanos eligere, certiùs scio.

Romanum, sive *Italicum*, *Marti* potius, quàm *Veneri* ortum suum debens, infamiam non meretur.

Hinc *Tackenius cap. 17. Hipp. chim. Vitriolum Romanum ferro ditissimum*, vocat.

Valerius Cordus in *Dispensator.* non necessariò addi *chalcitidem*, vel *vitriolum*, statuit, quia horribili & æruginoso sapore totam compositionem inficiat. Quod tamen *Petr. Coudenbergius* in *schol.* somnium vocat, nec æruginosum horridumque saporem in *Theriacâ* præ cæteris sentiri, uti nonnulli sibi imaginantur, judicat.

A. G. Billichius de fermentat. Platon. oppositionem Cordi his verbis enervat: *Verùm enim verò quid in tantâ compositione possit tantillum chalcitidis? quid in magno obsonio parum condimenti? & in viginti circiter libris uncia dimidia chalcitidis, & in drachmâ unâ Theriacæ, chalcitidis non granulum, sed octava duntaxat granuli particula?*

Propter solius saporis gratiam non debere omitti, *Jo. Bapt. Sylvaticus lib. 1. cap. 9. de theriac.* arbitratur; quia aliàs plura ingredientia alia, ingrato sapore prædita, omittere, necessum foret.

Addo: *vitriolum martis*, & *chalcitidem*, ejusdem naturæ quæ est, metum illum sufficienter tollere.

Demonstrato itaque innoxio *chalcitidis* pro *Theriacâ* usu; an omitti queat, vel necessariò, & quem in finem addi debeat? nunc disquirendum restat.

Ut alexipharmacum considerari haud posse, Zvelferus arbitratur. Verùm hanc ob causam nec antiquitus additam *Theriacæ* fuisse, ex *Galeno* patet, qui, colorem nigrum *Theriacæ* inducendi gratiâ, eam commendat.

Quanquam non omni contra venena virtute destituatur.

Dioscorides lib. 5. cap. 74. vitriolum ad lumbricos necandos, pondere *drachmæ unius*; nec non contra fungorum venenum commendat.

Ebn Sina lib. 2. tract. 2. cap. 169. eandem contra fungos efficaciam *chalcantho* tribuit.

Paræus lib. de peste, cap. 25. vitriolum cum *aquâ rosarum* in peste laudat.

Thomas Bovius, *Veronensis*, in *flagello*, tam ad præservationem, quàm curationem pestis, *vitrioli crudi drachmam unam in mellis & aquæ partibus æqualibus soluti*, commendat, & se in peste atroci Veronensi plus quàm *decem vitrioli libras* consumsisse, atque è mille, undecim tantùm homines periisse, testatur.

Porrò

Porrò cùm obstructiones aperiat, putredinem arceat, humorumque pravorum secretionem promoveat, tali quoque modo symbolum suum in peste profligandâ conferre, dici posset.

Sed hæc ut urgeam, nulla cogit necessitas; quia longè alium in finem *chalcitidem Theriacæ* additam olim fuisse, è *supra citato Galeno* constat.

Is enim *de usu theriacæ ad Pamphilianum*, *chalcitidem ustam* nigro colore *Theriacam* commendare, memorat.

Eundem usum plures alij, *Galenum* secuti, producunt.

Et quanquam contra rationem agere videantur illi, qui hujusmodi ingrediens solius coloris causâ immiscent medicamento; ob consuetudinem tamen inveteratam, præcipuè cùm nocere nequeat, omitti vix potest.

Optimè id expressit *Galenus 1. de antidot. cap. 15: Danda est opera, ut nigram Theriacam efficiamus; nam hoc etsi quo pacto in consuetudinem venerit, nesciam, quisquis tamen hunc colorem non consequitur, irridetur; quanquam nullâ coloris qualitate medicamenti vis immutetur.*

Vulgus nimirum, cui rerum essentiam intimiùs perscrutari, datum non fuit, earum bonitatem vel perfectionem sæpe ab externo tali accidente venatur, quo non adparente, medicamentum, licet optimè elaboratum, nullius valoris & virtutis sæpius proclamat.

Balsamis apoplecticis officinalibus, pluribus in locis colore nigro imbui solitis, si Pharmacopœus tincturam illam non conciliaret, sinistrum admodum judicium certò certius conciliaret, cùm tamen color saltem sit, præterea que nihil virtutis balsamo largiatur.

Ne itaque similia medicamenta nobilia diffamentur, cur inveteratæ consuetudini satisfacere non liceat; quia Medicus, & qui ea præparat, colorem hunc observando, non propriis suis obstinatis desideriis, sed vulgi, cui aliquid dandum est, indulget?

Hanc tamen *Theriacæ* nigredinem non uni *chalcitidi*, sed quantitati *opij*, aliorumque succorum nigrorum, in majori pondere *Theriacam* ingredientium, *Billichius* adscribit.

Negari equidem nequit, tales succos aliquam nigredinem conferre; sed non omne momentum absolvunt.

Hinc in *Theriacæ* præparatione, colorem primò hepatico similem, & tandem, *chalcitide* additâ, magis nigricantem induci, deprehendi.

Zvelferus *crocum & rosas solum* in causâ esse, ut ultimatim infusâ *chalcitide*, atro pulloque colore *Theriaca* squaleat; *pag. 162. Pharmacop. Reg.* adstruit, eò quòd *omne vitriolum* roseo & aureo *croci* colori junctum, naturali quodam arcano, in dissymbolo & antipathiâ quadam radicato, nigerrimum colorem

colorem efficiat, inſtar ſepiæ. Verùm *roſas* quod ſpectat, uti illæ absque *chalcitide*, vel *vitriolo martiali*, colore nigro non imbuuntur: ita iis ſolis cauſam nigredinis adſcribere nequeo.

Aliàs etiam à *vitriolo venereo* idem color emergere deberet, quod tamen non fieri, & colorem viridem, videlicet ratione *cupri*, oriri, ocularis inſpectio demonſtrat; ut ita licet *roſæ* aliquid ſimul conferre queant, *chalcitis* tamen, & *vitriolum*, ratione *ferri*, ex quo in acido ſoluto conſtant, colorem illum nigrum ſimul, vel majori ex parte, producant.

Hinc quoque falſum eſt, quod ſcribit Zvelferus, *omne vitriolum* nigerrimum cum *roſis* colorem efficere.

Falſum etiam eſſe, quòd *crocus* cum *vitriolo* miſtus, atrum colorem producat, experimento inſtituto, facilè deprehenditur.

De illâ autem coloris nigri, ex *vitrioli Martis*, & vegetabilis alicujus conjunctione, *Otto Tackenius cap. 17. Hippocr. chim.* ſcitè agit.

Aſt quamvis *chalcitidem* ſolius nigri coloris causâ *Theriacæ* immiſcere, Veterum mens fuerit, præter hunc tamen uſum, alias quoque edere operationes, negari nequit.

Unde conſtringendo, ventriculum roborare valet; præterea exſiccandi vi inſigni prodeſt, fermentationem promovet, putrediniquе reſiſtit, quod nonnulli vi exſiccandi adſcribunt, aliter autem à *Chriſtiano Langio miſcellan. curioſ. medic. 33.* explicatur. Quibus de uſibus prolixiùs alij agunt. Mihi, eos obiter indicâſſe, ſufficit.

7. Denique longum catalogum pertexit illorum ſimplicium, quæ alexipharmacorum nomine indigna, ideoque inter *Theriacæ* ingredientia malè relata eſſe, judicat, dum *pag. 166. Pharmacop. Reg. comas hyperici, gummi arabicum, galbanum, ſuccum liquiritiæ, radicem iridis, marrubium, ſtœchadem arabicam, ſemen petroſelini, calamintham montanam, terebinthinam, pentaphyllum, chamæpithyn, nardum Indicam, ſchœnanthum, nardum Celticam, chamædryn, ſeſeleos ſemen, ſuccum acaciæ, hypociſtidis, ſemen thlaſpios, ammios, dauci, opopanacem, ſagapenum, polium Creticum* enumerat.

Quàm inconſtans eſt Zvelferus, qui in aliquâ antidoto nil niſi alexipharmaca rigidè depoſcit; & tamen ipſe antidotis ſuis alia nonnunquam, tali virtute deſtituta admiſcet!

Exemplum hujus præbent *flores hyperici, radices iridis, ſemen thlaſpios & ammios*, nec non *ſagapenum*; quibus utpote in recenſito modò ſimplicium non alexipharmacorum ordine locum pariter adſignat. Et tamen *flores hyperici Oleo ſcorpionum alexipharmaco, Pharmacop. Reg. pag. 269*; *radices iridis Liquori cordiali temperato*, ad præſervationem peſtis commendato, *pag. 209.*

Pharmac. Reg.; *ſemen thlaſpios, ammios*, atque *ſagapenum Theriacæ Andromachi correctæ & reſtrictæ Pharmacop. Reg. pag. 173.* addere, non dubitat.

Quare ſi enumerata ſimplicia non ſunt alexipharmaca, à Zvelfero malè pro dictis compoſitionibus adhibentur; cùm, ex propriâ ejus regulâ, antidotus mera depoſcat alexipharmaca. Sin dicta ſimplicia vi alexiteriâ pollere, dicendum eſſe, velit, malè ea ipſa à Veterum *Theriacâ*, tanquam inutilia rejicit.

Reliqua ibidem enarrata ingredientia licet talem vim reſiſtendi venenis haud obtinerent, *Theriacæ* tamen immiſceri poſſe, ex antedictis demonſtrari poſſet.

Quanquam nec ipſis omnibus virtus illa ſimpliciter denegari queat; ſi Medicorum ſcriptis, imprimis *Dioſcoridi, Botanico claſsico*, fides aliqua haberi poſſit.

Sic *Galbanum*, juxta *hujus Autoris* mentem, *lib. 3. cap. 81.* toxicis adverſatur.

Ebn Sina lib. 2. tract. 2. cap. 319. omni veneno reſiſtere dicitur.

Marrubium his, qui venena hauſerunt, aut à ſerpentibus demorſi ſunt, dari, *Dioſcorides lib. 3. cap. 102.* autor eſt.

Strabus Gallus hortuli cap. 9. ſic canit:

Si quando infenſæ quæſita venena novercæ
potibus immiſcent, dapibusq́ aconita doloſis
triſtia confundunt, extemplo ſumta ſalubris
potio marrubij ſuſpecta pericula preſſat.

Stæchas arabica, ſecundùm *Dioſcoridem lib. 3. cap. 27*, antidotis utiliter miſcetur.

Venenis eam reſiſtere, *Joh. Schröderus Pharmacop. medico-chimic. lib. 4. claſſ. 1. cap. 334.* memorat, qui etiam *Seſeleos ſemen* ſpecificum *cicutæ* antidotum *cap. 322.* nominat.

Semen petroſelini Dioſcorides lib. 3. cap. 64. contra ſerpentum venena commendat.

Alexipharmacum à *Schrödero* vocatur.

Calamintham, ſi bibatur aut illiniatur, à ſerpente demorſis opitulari, & præſumtam venenis reſiſtere, *Dioſcorides lib. 3. cap. 36.* tradit.

Galenus 7. de ſimplic. medicament. facultatib. ad venenatarum beſtiarum morſus adſumi, teſtatur.

Bibitam cum *vino*, venena mortifera expellere, *Ebn Sina cit. loc. cap. 157.* edocet.

Venenis

Venenis obluctari, sudores movere (quod etiam *Ægineta lib. 7. cap. 3.* habet) & pestem propellere, *Julius Palmarius lib. 7. de morb. contagios.* meminit.

Terebinthinam cum *vino* ad morsum rutelæ bibi, *Eben Sina d. l. cap. 310.* recenset.

Pentaphylli teneræ radicis succum adversus venena laudat *Dioscorides lib. 4. cap. 38.*

Eundem usum, contra *Ebn Sinam Leonhardus Fuchsius parodox. medic. lib. 1. cap. 15.* propugnat.

Chamæpithyn apud Heracleam Ponticam perinde atque antidotum contra *aconitum* in usu fuisse, ex *Dioscoridis lib. 3. cap. 157.* colligitur.

Contra *aconitum* valere eam, *Ebn Sina c. l. cap. 134.* similiter indicat.

Chamædryn adversus serpentum venena ex vino potam vel illitam, efficacissimam *Dioscorides lib. 3. cap. 96.* pronunciat.

Ex eâ Emplastrum contra morsus vermium venenatorum fieri, *Ebn Sina cap. 135.* narrat.

Hetruscos magni eam facere, acetarij modo à jejunis sumtam, quia pestilentiam non minùs, quàm *scordium*, arceat, *Matthiolus in Dioscor.* scribit.

Nardos & schœnanthi flores antidotis misceri, *Dioscorides lib. 1. cap. 6. & 16.* habet.

E *Panacis Heraclei succo*, qui officinis *opopanax* dicitur, Emplastrum contra morsum animalium rabidorum fieri; & *semen* plantæ cum *aristolochiâ* sumtum, adversus animalia, quæ venenum ejaculantur, prodesse, *Idem lib. 3. cap. 49.* testatur.

Polium contra ictus serpentum *Dioscorides lib. 3. cap. 107.*; adversus scorpionis puncturam & vermium venenatorum omnium morsum *Ebn Sina cap. 544.* commendant.

Sed longiùs, materiâ sic ferente, progressus, ad *animadversiones, in Theriacam Andromachi* scriptas, revertor; ubi

III. Zvelferum virtutem ejus, si quam in peste exserat, *opio* adscribere, observo; dum ponit: *Et sanè, si quid singulariter in peste valeat, id ipsum non tam ratione insignis virtutis alexipharmacæ, quàm ratione opij fieri, existimo; hoc enim præter vim narcoticam, etiam peculiari vi quasi dementatrice pollet, quâ ipsâ impregnata THERIACA, salubriter adhuc degentibus, qui ratione præservationis illâ utuntur, ac firmam fiduciam in illam collocant, veluti animositatem quandam, ceu tempore infectionis summè necessariam, addit, sicque nonnullos quandoque immunes conservat.* Verùm equidem est, timorem in peste

magni momenti ad contagium recipiendum esse; attamen nec animositas illi opposita omnem pro evitandâ infectione paginam absolvit.

Aliàs Mahumetani tuti à peste forent; quorum tamen tot millia quòd sæpius ab eâ trucidentur, historiæ loquuntur.

Illi enim fatali quadam necessitate pestem hominibus immitti putant, verba sunt *Incomparabilis Athanasij Kircheri scrutin. pestis sect. 3. cap. 1, ac proinde neque fugiunt eam, neque correpti medicinam adhibent, sed temerè sese contrahendæ contagionis periculo exponunt, ea opinione freti, ut si fatale tempus urgeat, moriantur; sin minùs, evadant: nullum siquidem naturæ antidotum fato prævalere posse putant, sed omnibus & singulis mortis terminum constitutum, qui nulla medicamentorum efficacia præteriri possit.*

Vina dementatrice vi pollent, animosque parant, ut vel timidus quisque cornua sumat. Unde Baccho strenuè litantes, à lue dirâ immunes præservari deberent. Contrarium tamen ipse eventus multoties testatus fuit.

Longè falluntur, ait *Hieronymus Mercurialis cap. 22. tr. de pestilent. qui arbitrantur, edendum & bibendum esse largiter. Scio ego plurimos suo periculo hoc esse expertos: & Patavij & Venetiis vidimus bibaces plures extinctos esse, qui existimabant, vinis generosis sese propulsaturos esse pestem.*

Et qua ratione *opium* tam efficacem vim narcoticam & dementatricem in *Theriacâ* exserere potest, cujus, ad præservationem, ultra *drachmam unam* raro exhiberi solet? Hanc autem *drachmam*, *granum dimidium* saltem *opij*, & *tertia circiter grani unius pars* ingreditur.

Quæ ipsa minima quantitas (loquor ex hypothesi Zvelferi) à reliquâ ingredientium, & quantitate, & qualitate discrepantium, insigni mole non leviter inhibetur, infringitur, debilitatur.

Sed etiamsi *opium* in *Theriacâ*, vi suâ dementatrice homines à contagio, animositate inductâ, præservare dicatur; huic soli tamen omnis hæc efficia haud adscribi debet; neque enim reliquæ *opij* facultates (quas ad præservationem à peste ipsum conferre posse, supra innui) sopitæ erunt; neque additorum alexipharmacorum virtus feriabitur.

Sed quid opus est verbis, ubi tot annorum fida magistra Experientia, *Theriacæ* laudem antiloimicam stabilivit, & à circumspecto Medico ipsam exhibitam, non tantùm præservando, sed & curando (ubi hoste valido jam recepto, sola in debili corpore animositas, à dementatrice *opij* vi inducta, parum efficere valet) multum præstare, invidis frementibus, evicit?

Si Zvelfero, celebre elogium titulumque alicui suorum antidotorum tribuenti, credendum est; ubi ejusdem efficacia ab unico aliquo Medico commendatur; quis nobis vitio vertat, si non unius, sed plurimorum Medicorum

dicorum fidem secuti, antidoti elogium *Theriacæ* sartam tectamque servare velimus?

IV. *Trochiscos Hedychroi*, supra jam sine ratione exagitatos, iterum hîc cavillatur; cùm eorum *singula propemodum* ingredientia ipsi *Theriacæ* inserta sint, quæ denuo separatim adjicere, planè inconcinnum & absurdum Zvelfero videtur. De hoc quid statuendum sit, *Examen Confectionis Pectoralis* edocet.

Hîc saltem notet Lector Amicus, ingredientium *Trochiscorum hedychroi* tertiam quasi partem inter reliqua *Theriacæ* ingredientia non deprehendi, sicque illud: *propemodum*, arctè satis constringendum esse.

Istud verò inconcinnum & absurdum ut demonstretur, adhuc requiritur; quòd scilicet compositum aliquod, in officinâ pro aliis usibus locatum, malè in aliam compositionem recipiatur; si hæc unum alterumque simplex recipiat, quod ipsum quoque speciatim in illo composito ponitur. Sed de hac materia in *Classe undecimâ* actum pluribus fuit.

Nunc inconcinnitati huic ut sese subtrahat, species omnes Trochiscos prædictos ingredientes, ipsi Compositioni, *Theriacæ*, in debito & exacto pondere se adjecturum esse, promittit. Quod in primâ ingredientium enumeratione quidem præstat; (*folij* tantùm, sive ejus succedaneorum, *drachmas quinque* sumendo, debitum & exactum pondus non adjicit, cùm *drachmæ sex* requirantur) ast in secundâ, dum ea in classes distribuit, ab exacto & debito pondere nimiùm declinat.

Schœnanthi namque, *calami aromatici*, *phu pontici*, *cinnamomi an. drachmam unam*, *folij*, *nardi indicæ*, *croci*, *casiæ ligneæ an. drachmas duas*, *amomi unciam dimidiam* omittit; & ita *mellis* quoque definitam quantitatem, quam, cum Veteribus, *triplam* respectu specierum, adsignat, minùs ritè determinat; dum ob illam *drachmam unam folij* omissam, non *libræ quatuordecim*, *unciæ quinque & drachmæ duæ*; sed *libræ quatuordecim*, *unciæ quatuor*, *& drachmæ septem mellis* solùm requiruntur; sin dosin ingredientium, quatenus ea in distributione horum per classes ponitur, quis observet, multò minor *mellis* quantitas requiritur.

In *Appendice ad animadversiones*, *pag. 25.* hoc incommodi quoque ex *Trochiscis hedychroi* accedere, objicit; quòd specierum virtutes in exsiccatione Trochiscorum multùm exhalent, & consequenter effœtæ reddantur; quia earum efficacia utplurimum in subtili partium tenuitate consistat, promtè exhalabilis; quam *vinum Falernum*, quod totum exhalare debere, contendit, maximè promoveat. Verùm perpaucum est, quod de *vino Falerno*, pro

speciebus

speciebus in massam, Trochiscis effingendis commodam, redigendis additur; neque enim plus, quàm *quantùm sufficit*, sumere convenit.

Et hoc ipsum perpaucum totum ut iterum exhalet in exsiccatione, nulla est necessitas; cùm utique de liquore aliquid cum Trochiscis remanere queat.

Consideret quis saltem Trochiscos Zvelferi, in *Pharmacopœiâ Regiâ* delineatos; in quibus si omnem humiditatem exhalare debere, quis concedat; eo ipso *aquæ rosarum*, *florum aurantiorum*, *olei benzoës*, *caryophyllorum*, *cinnamomi*, *moschi*, *ambræ* aliorumque ingredientium, subtilibus & promtè exhalabilibus preciosis atomis refertorum, efficaciam simul amitti, & effœtos remanere Trochiscos, concedere cogitur.

Parùm autem tenuium partium in exsiccatione *Trochiscorum hedychroi* exhalare, maximamque odoratarum atomorum partem superesse, quibus præsentibus, Zvelferus hos Trochiscos effœtos dicere minimè sustinet, qui non credit, eos ritè præparando experiatur.

Interea parum illud, quod exhalat, tanti non est faciendum.

Hoc ipsum tamen, ne ullam odoratarum particularum jacturam Pharmacopœi incurrant, conservari fortè posset; si, normâ Zvelferi observatâ, Trochiscorum chartâ inclusorum exsiccatio tentaretur; quo singulari artificio liquores odorati forsitan figuntur (scilicet) atque condensantur.

Hanc enim ἐγχείρησιν Zvelferus *pag. 119. 120. Pharmacop. Reg.* observat; ubi *saccharum*, cum *succo è corticibus citri*, nec non *aurantiorum* expresso, *aquâ* etiam *rosarum* aliquoties irroratum, atque postea chartâ inclusum, studiosè exsiccat.

V. De *Trochiscis viperinis* quæ deblaterat, jam supra disquisitioni submissa fuerunt.

Dum verò *pag. 25. Append. ad animadvers.* eosdem, licet ad mentem *Galeni* cum *quartâ parte panis biscocti* paratos, ob *panem* adjunctum rejicit, frivolâ certè innititur ratione. Nam neque *pani* virtutes eximias, & alexipharmacas, neque veneni *carnis viperarum*, si quod haberet, correctorias inesse, objicit; cùm potius *panis*, tanquam *verum venenorum attractivum*, illud venenum attraheret & retineret. Sed sterile hoc argumentum antea jam sufficienter excussi, ubi *panem* non ob virtutem alexiteriam, vel veneni correctivam, sed formæ Trochiscorum causâ addi, edocui.

Quamvis *panem* ad corporis nostri sustentationem & confortationem magnarum esse virium, satis notum sit. Et huc facit, quod eleganter in suâ *Chrysogoniâ animali & minerali Excellent. Johan. Tackius, pag. m. 45. & seqq.* differit,

Si

Si tamen *panis* verum venenorum, peſtilentis etiam, attractivum eſt, quo cibo, ſæviente contagio, tu tuos reficies? Debetne publicè proſcribi panis?

Quin ipſæ carnes, & multa alia uſitatiſſima alimenta, de medicamentis, veſtibus, plumis &c. ut nihil dicam, ſe ab infectione tuta ſemper præſtare nequeunt.

Præterea tam exigua eſt *panis*, à *Trochiſcis viperarum*, ad mentem *Galeni* paratis, doſi uni *Theriacæ* accedentis quantitas, ut ne *ſextam* quidem *partem grani unius* in hac doſi ſive drachmâ reperire liceat; cujus quoque debilis virtus à potenti reliquorum virtute, ſecundùm Zvelferi fundamentum, infringitur; ut ita venenum attrahere ampliùs haud poſſit.

Trochiſcos viperinos cum *panè* debitè confectos, brevi tempore ſitum & corruptionem experiri, inque vermium eſcam cedere, ſi negligentem poſſeſſorem nanciſcantur, concedo; debitè autem tractatos, tres quatuorve annos à corruptione perſiſtere, ſimul tenendum eſt.

Cæterùm cui, *panis* loco, gummi aliquod adhibere, placet; illi vel gummi, vel aliam aliquam *Theriacæ* ſpecierum ſumere, per me licet. Auguſtanis *panem*, antiquam juxta methodum, ſine virtutum *carnis viperinæ* diſpendio, aut Trochiſcorum corruptionis metu, adhiberi poſſe, ſufficit.

Trochiſcos è ſcilla, quos ordine nunc adgreditur Zvelferus, ventilatos jam exhibui.

VI. Modum *Theriacam* componendi primum, ab Auguſtanis adnexum, maximè obſcurum, imò inconditum & ſtolidum proclamat. Sed ad quid hæc injurioſa verba? Præſtaſſet, errores in eo contentos placidè examinâſſe, non ita meris calumniis exagitâſſe.

Aſt miſſum hunc facio; quia Auguſtani huic, à Galeno deſcripto, alium conficiendi modum demum ſubjungunt, adprobantque.

VII. Ingredientibus in ſuas claſſes, ordine parùm ab Auguſtanorum differente, diſtributis, *Schœnanthum & Nardum Indicam* difficillimè in pulverem redigi poſſe, objicit; cùm ſemper, diu etiam multumque trita, piloſa quaſi vel villoſa remaneant. Quamvis hoc ita foret, nihil tamen indè *Theriacæ* præparationi adimeretur. Sufficeret nimirum, *Schœnanthum & Nardum Indicam* in minutas fibrillas diſcerptum & contuſum *Theriacæ* admiſcere, quæ per totam compoſiti molem diffuſæ, ſuas ipſi vires, accedente cumprimis fermentatione, impertirentur, nihil de formâ medicamenti immutantes, incommodumve aliud parientes.

Servari autem noſtrâ in Urbe vidi *Nardum Indicam*, pro uſu quotidiano in tenuiſſimum pulverem per ſe tritam, in quo pauca fibrillarum veſtigia, nullas mortarij ſquamulas, deprehendere potui.

Interea

Interea multis aliis modis dictorum simplicium substantiam & virtutem *Theriacæ* communicari posse, haud nego; quorum quicunque arridebit, Pharmacopœo sagaci eligere, per me licet, dummodo virtus eorum nullam vim inimicam experiatur.

VIII. *Resinam styracis*, *granis ejus* longè præfert; cùm hæc, quàm pura etiam sint, *resinæ* puritatem non adæquent, & utplurimum aliorum gummatum granis adulterata prostent. Duplici cumprimis ratione, *resina* puritatem *granorum* superare potest; vel intuitu partium lignosarum: vel adulterationis cum aliis gummatibus perpetratæ.

Si illud Zvelferus pertimescat; cùm *styracis grana* ab omni immunditie selecta & pura ad consimiles usus sumi debeant, frustrà *resinam* obtrudit.

Sin hoc, libenter scirem: an *Styrax calamita* sic adulterari possit, (frequenter enim eam adulterari, extra dubium positum esse, mihi videtur) ut simplicium diligentem & peritum Judicem fraus ista latere queat, nec ne? Si dicatur, non posse tam artificiosè (dummodo artificium dicendum sit) adulterari, ut fraus non cognoscatur; quo jure contrarium de *granis* dici queat, haud video. Sin adfirmetur; nullâ prærogativâ *resina styracis*, è *styrace calamitâ* producta, præ *granis* fruetur; etiamsi enim vel centies *resina* dissolvatur, reliquæ fraudulenter admistæ resinæ simul solventur, sicque à *resinâ styracis* inseparabiles erunt.

Duplici autem modo *resinam styracis* præparari posse, *pag. 236. animadvers.* docet; per expressionem scilicet, & extractionem.

Per expressionem, dum *styracem calamitam optimam* in patellâ, adfuso *vino* vel *aquâ rosarum*, supra ignem, unicâ ebullitione dissolvit, exprimit, & resinam ab aquositate separat.

Per extractionem, *styracem* cum *spiritu vini rectificato*, extrahendo, extractiones in M. B. ad remanentiam quartæ, vel sextæ partis leniter abstrahendo, atque innatantem *resinam*, postea cum *aquâ rosarum* aliquoties lavandam, separando.

Quis traditas has *resinæ* præparationes methodo Zvelferianæ directè contrariari, dubitet, in quibus nimirum per coctionem cum *vino*, destillationem cum *spiritu vini* rectificato, liquoris reliqui separationem, quin denique *resinæ* ablutionem, non levis partium subtilium, penetrantium & odoriferarum *styracis* jactura procuratur? Ast his aliàs, contra Augustanorum compositiones decertans, majores, imò interdum omnes simplicium vires adscribit.

Quæro insuper: utrùm in hisce præparationibus, post dissolutionem, humorisque segregationem nihil aliud à *styrace*, quàm segmenta lignosa, à Zvelfero

Zvelfero indicata, remaneat; an verò alia etiam ſubſtantia non reſinoſa ſegregetur? Si ſaltem ſegmenta fuerint, præparationes tales non extractionis, ſed potius purificationis à ſordibus lignoſis factæ nomen merentur; ſin aliquid de *ſtyracis* ſubſtantiâ tollatur, an talis præparatio conducat, dubito; quia hoc non eſſet *ſtyracem* meliorare, ſed pejorare, & ex parte virtutibus caſtrare.

His ritè perpenſis, Lectoris Benevoli æquo judicio decidendum relinquo: an *reſina ſtyracis*, Zvelferianâ normâ parata, *ſtyracis granis electis* æquiparari, non dicam, longè præferri, jure queat?

Quanquam hic de *granis ſtyracis* diſcurſus propriè huc non ſpectet; cùm ab Auguſtanis non *grana*, ſed ipſa *ſtyrax calamita*, quæ, uti reliqua ingredientia cuncta, ſelecta & optima ſumi debet, præſcribatur.

IX. Modum Zvelferi, *Theriacam* miſcendi, quod concernit, eum impugnare, animus non eſt.

Auguſtanorum tamen adſcripta methodus pariter improbari haud debet; cùm vix quidquam in eâ deſideretur, quod juſtam Opiatæ formam, dummodo peritus Pharmacopœus præparationem abſolvat, eidem deneget.

Magis tamen vel minùs commodè, pro vario mixtionis ordine, illam formam impetrari, haud diffiteor.

Facile eſt, inventis quid addere, mutatiſque aliquibus, novitatis larvam alicui rei inducere.

Hæc ad ἐγχειρήσεις φαρμακευτικὰς pertinent, quarum Pharmacopœum divitem eſſe oportet.

Paucula tamen in mutatâ hac à Zvelfero *Theriacæ* mixtione notare libet.

Et quidem *Pulverem* vel *Trochiſcos viperarum*, nec non *piper album & nigrum* quam ob cauſam omittat, neſcio. Si tamen quid dicendum eſt, negligentiæ potius, quàm ſingulari alicui rationi hoc adſcriberem; cùm eadem ingredientia in priori ſpecierum enumeratione poſita deprehendantur.

Gummi arabicum in *Eſſentiâ viperinâ*, cum *ſpiritu vini* factâ, juxta propriam animadverſionem, Zvelferus fruſtrà ſolvere tentat.

Mel quàm optimè clarificatum, & ad craſſam conſiſtentiam inſpiſſatum ſumere jubet; contra quam tamen *mellis* præparationem in *Pharmacopœia Regia claſſe primâ* acriter decertat.

X. Quæ de *terebinthinâ*, Venetiis ad nos delatâ, monet, ſuperflua eſſe, exiſtimo. Uti enim omnia *Theriacæ* ingredientia ſelecta, pura & optima eſſe debent: ita quoque *terebinthina* ut talis ſit, requiritur; quam puram & limpidam ad nos ſæpius deferri, res ipſa loquitur.

XI. *Chalcitidis* præparationem perluſtrat; in cujus calcinatione ſpumam ſupernatantem duntaxat accipere, opus eſſe, negat; & loco ejus *vitriolum* ad flavedinem, ſive rubedinem calcinatum tantùm addere, præcipit; parùm enim in colore *vitrioli* ſitum eſſe, judicat; quòd, quomodocunque leniter calcinatum fuerit, non colore flavo, vel rubro, ſed nigro *Theriacam* imbuat. Nolo his multùm inhærere. Si nimiùm curioſum in hoc *Galenus* ſe præbuit, condonandum id ipſi erit; præcipuè cùm nullum ex iſtâ curioſitate damnum ipſa compoſitio perpetiatur.

Quisque ſuos patitur manes.

XII. *Vitriolum viride*, ſive *martiale* tantùm poſſe *chalcitidi* ſubſtitui, ſtatuit; *cœruleum* verò *venereum* planè rejicit; quia quoddam venenum huic commixtum eſſe, ſuſpicatur. Verùm, quanquam in *Theriacâ vitriolum Martis* quoque admittam; attamen unde *venereum* quod eſt, recipiat iſtud venenum, ignorare me profiteor.

Ex *ſpiritu* enim *acido* & *cupro* conſtat. *Spiritui* autem *acido* venenum hoc non ineſſe, quotidianus tutiſſimus ejus uſus evincit; ſin *Veneri* debeatur venenum; quo jure *Pharmacop. Reg. pag. 344. Flores vitrioli Veneris*, qui nihil aliud ſunt, quàm *cuprum* in *ſpiritu vitrioli* ſolutum, & poſtea per *ſal tartari* in ſubtilem pulverem præcipitatum, uſui interno deſtinat?

XIII. Schema *Theriacam* in duplo, quadruplo &c. conficiendi, ab Auguſtanis adjectum, ob operis compendium, & quia quilibet Pharmacopœus, vel leviter ſaltem in arithmeticis inſtructus, pondus ingredientium ad libitum multiplicare poteſt, eliminat. Zvelferus hîc nomen inter illos profitetur,

qui Curios ſimulant, & Bacchanalia vivunt.

Supervacaneum enim laborem vocat, *Theriacæ* computationem, ad illam majori in quantitate, quàm ab *Andromacho* præſcripta fuit, facilè parandam, inſtituere, ne ſcilicet libri moles nimiùm excreſcat.

Si quis jam prolixam *Confectionis pectoralis*, & *Trochiſcorum pectoralium*, aliarumque compoſitionum, ſupra à Zvelfero, licet minùs exactè, peractam reſolutionem conſideret, fateri cogetur, illam, dum operis compendium deſideratur, optimo jure, ceu ſupervacaneam, omitti potuiſſe; dum quilibet vel leviter ſaltem in arithmeticis inſtructus, laborem talem abſolvere queat; imprimis ſi tam concinnè & exactè, (ſcilicet) prout Zvelferus, calculo uti ſciat.

Quanquam illum Auguſtanorum ſchematiſmum, utilitate non deſtitui, ille, qui *Theriacæ* in diverſâ quantitate præparationem fieri, conſiderat, fatebitur. Acti enim labores ſunt juçundi; atque minùs errorum, oculis tali oppoſitâ tabellâ, committitur.

XIV.

XIV. Non adeo ſtrictè opus eſſe, exoticis ingredientibus ſe alligare, arbitratur, ſi conſimilium illis in terris, ubi *Theriaca* conficitur, proventus habeatur; idque *ſcordij* exemplo declarat, quod noſtris in oris enatum æqualibus, ſi non majoribus pollere virtutibus, ab ipſo creditur, quàm ex *Cretâ*, aliiſque longinquis oris ad nos transportatum. Verùm Auguſtani ad ſimilia exotica Pharmacopœos ſuos ſtrictè non alligant; quin potius meliorum habent rationem, & ubi *ſcordium Creticum* vetuſtate effœtum, aliove modo corruptum eſt, noſtris autem in oris productum ſuppetat, utique huic etiam præ illo locum in *Theriacâ* concedunt.

Interea tamen tenendum eſt, quòd non omnis ferat omnia tellus, nec *ſcordium* ubique creſcat, vel ubique creſcere, neſciatur.

Nec inſuper unum ſimplex diverſis in locis enatum, easdem ſemper obtinere virtutes, credibile eſt; præcipuè ſi ab altero in ſpecie differat; prout *ſcordium Creticum* à noſtrate toto cœlo, formam externam ſi ſpectemus, diſcrepare, omnibus, qui utrumque viderunt, notum eſſe debet.

Galenum etiam ſuos ad *ſcordij Cretici* uſum ſtrictè admodum haud alligaſſe, *liber 1. de antidotis, cap. 12.* comprobat, ubi *ſcordium* pulcherrimum è *Cretâ* mitti, ſcribit; quanquam aliis in regionibus minimè contemnendum quoque reperiri, concedat.

Sed ſatis de *Andromachi Theriacâ*. Nunc ad reliquas Compoſitiones accedamus.

THERIACAM AUCTAM A MEDICIS ROMANIS ET BONONIENSIBUS pag. 237. quoad præparandi modum cum præcedente convenire, ac parùm etiam in reliquis ab ipsâ diſcrepare, cavillatur, niſi quòd plures diverſæ ſpecies ſuperadditæ ſint &c. Omnia quæ hîc objicit, in antecedd. cùm ſufficienter jam enucleata fuerint, ſine morâ ad

THERIACAM DIATESSARON MESUES *pag. 239.* me confero; cujus præparationem facilem vocat, & compoſitionem ipſam *Theriacæ Andromachi* præfert, præſertim ſi loco *ariſtolochiæ rotundæ, angelica* vel *zedoaria* ſubſtitueretur. Quænam harum melior ſit, hujus loci non eſt inquirere. Pharmacopœi Auguſtani utrique locum in ſuis Officinis concedunt, *Andromachi* (quæ præſtantior meritò cenſetur) in hominum uſum, *Meſues* verò *Theriacam* pro jumentis utplurimum præparantes. Sufficit utramque utiliter exhiberi poſſe; nec in hujus præparatione quidquam deſiderari.

Cur *ariſtolochiæ rotundæ angelicam*, vel *zedoariam* ſubſtitutam velit, ſingularem cauſam non habet; cùm illam virtute alexipharmacâ excellere, negari nequeat.

In THERIACA COMMUNI, SEU AUGUSTANA *pag. ead.* minùs utilia quædam coacervari, uti *cornu cervi ustum & præparatum, cuperosam, santalum* &c. objicit. Quia tamen causam, ob quam inutilia dici merentur, haud addit, responsione indigna hac vice censetur hæc objectio.

Per *opij* præparationem si tostionem intelligat, ea an necessaria sit, *Laudani opiati Examen* aperit.

Opium autem solutum admisceri debere, cuivis artifici, *Theriacæ* elaborationem consideranti, notum est.

Oleum juniperi speciebus subtilissimè tritis, ante *mellis* additionem, instillandum esse, ut aliquid dixisse videatur, monet. Observari hoc posse, non contradico. Commodè tamen in fine, mixtis jam speciebus & *melle*, instillatur.

Prout idem in *Theriacæ* præparatione cum *oleo caryophyllorum* fieri consuevit; ipse etiam Zvelferus *Pharmacop. Reg. pag. 176. Theriacæ simplici*, nec non *Antidoto theriacali, oleum juniperi*, & *rutæ, ultimò* inspergere, præcipit.

Oxymelli scillitico ipsum *succum*, vel *pulpam scillæ*, aut *allium* substituere, non consultum fore, & prægnantem deesse causam, existimo.

MITHRIDATIO DAMOCRATIS *pag. 240.* quoad componendi & præparandi normam eadem adplicari posse, statuit Zvelferus, quæ de *Theriacâ Andromachi* præmissa fuerunt. Cujus igitur Examen pariter huic quoque compositioni adcommodari debet.

In specie verò multis superfluis, ac multivariè conglomeratis ingredientibus scatere hanc compositionem, nugatur, quorum plurima optimo jure elidere liceret. Quod ut probet, *Trochiscos cypheos* adducit, quibus inter *Mithridatium* constituentes species locus destinatur; cujus compositionis tamen ingredientia omnia, præter *uvas passas, cyperum, baccas juniperi, & aspalathum*, antea huic composito, sive *Mithridatio*, insunt. Tandem à parvâ illâ horum denominatorum simplicium quantitate *Mithridatium* singulares alexipharmacas virtutes adquirere, ridere potius, quàm disquirere, opus se habere, concludit. Mera sunt verba & scommata, quæ hic producit Zvelferus, & præterquam quòd inanem edant sibilum, nihil quidquam probant.

An autem *baccæ juniperi*, de reliquis ut nil dicam, superfluum quid & inutile dicendæ sint, quarum virtus alexipharmaca ubique decantatur?

Annon ipse Zvelferus *baccarum juniperi Extractum & Oleum Pilulis antipestilentialibus Pharmacop. Reg. pag. 68.*; idem *Extractum* suis *antipestilentialibus Extractis pag. 81.*; *Extractum, baccas pulverisatas, & Oleum Theriacæ simplici*, atque *Rob* unà cum *Oleo Antidoto theriacali pag. 176.* admiscet?

Licet

Licet parvas à recensitis ingredientibus *Mithridatium* adquirat vires; an propterea eorum additio risu excipienda est? Nequaquam certè. Omnem quidem paginam ipsa non absolvunt; suum tamen symbolum quoq; conferunt; sic ut compositionis ingredientia, ab horum accessione aucta, majori efficaciâ operentur.

Quin simili methodo Zvelferi compositiones etiam resolvi possent; si v. g. in *Morsellis vel Rotulis pectoralibus, Pharmacop. Reg. pag. 125.* descriptis, (quorum in *Classe undecimâ* mentionem jam feci, quam ideo Lector Benevolus revolvere dignetur) *camphoræ grana circiter tria*, aliorumque ingredientium parvam dosin quis observet, atque idcirco eadem superflua, inutilia, risuque digna judicet.

Plura alia *cachinno digna pomposæ* huic compositioni inesse, subjungit, quæ tamen pleraque in *Theriacæ* præparatione ventilata fuerint. Malum omen Zvelfero, in risum toties resolvi! Utrùm *Mithridatium* pomposa compositio dici queat, nolo hîc disquirere; pomposum tamen & fastuosum quid, secus ac *Regiarum* nomen superbè nimis sibi tribuentes compositiones Zvelferi, in eo haud deprehendo.

Nunc Lector Amicus calculum *Trochiscorum cypheos* subducenti Zvelfero iterum auscultet; eorum enim ingredientia *in debito & exactè computato pondere* se reliquis *Mithridatij* speciebus adjecturum, promittit. Sumit autem *uvarum passarum*, & *terebinthinæ an.* ℥i ß, *myrrhæ, atque schœnanthi an.* ℈ij. *gr.* v, *calami aromatici* ℥ß. *gr.* iv. &c. Ast si debitè & magis exactè hoc pondus eruatur, *uvarum passarum*, ac *terebinthinæ an.* ℥i ß. *gr.* vij $\frac{2}{7}$. *circiter, myrrhæ, schœnanthi an.* ℈ij. *gr.* viij $\frac{2}{7}$. *incirca, calami aromatici* ℥ß. *gr.* vj ß. *circiter &c.* accedere debere, patescit. Quin & reliquorum ingredientium omnium, *cinnamomi, spicæ indicæ, casiæ ligneæ, cyperi, baccarum juniperi, aspalathi* & *croci*, debitum exactumque pondus nequaquam addidit, sed in omnibus infra illud substitit; sic ut horum pondus, prout à Zvelfero ponitur, *drachmas sex, cum granis triginta tribus* constituat; cùm tamen *Trochiscorum cypheos drachmæ septem*, non *drachmæ sex & grana triginta tria* in *Mithridatij* compositionem à *Damocrate* recipiantur, atque ita *scrupulus unus, & grana septem specierum* à Zvelfero detrahantur.

Præter hoc, aliud insuper erronei sui calculi specimen edit; dum ad *Mithridatij* omnes species, *mellis triplum* sumi debere innuit, quod *triplum* per *libras novem, uncias octo, & drachmas duas cum dimidiâ* explicat. Sed species, prout ab Augustanis recensentur, *libras novem, uncias octo & drachmas duas*, pro *triplo* agnoscunt; atque, prout à Zvelfero producuntur, *libras novem, uncias octo, drachmam dimidiam & grana novem* requirunt.

Cur

Cur verò *mellis* quantitati, ab Auguſtanis denominatæ, *drachmam dimidiam* ſuperaddat, certi quid ſcire nequeo. Si tamen ratione *Trochiſcorum cypheos* acceſſiſſe eam, quis dicat; quia ij de *melle* aliquid pro ſuâ efformatione recipiunt, rem totam non exhaurit; de quo tamen, certi cùm nihil conſtet, plura dicere ſuperſedeo.

Species in diſtinctas claſſes dividere, non admodum neceſſarium eſſe, ſcribit; cùm quilibet prudens Pharmacopœus antea norit, quæ mixta, & quæ per ſe contundi debeant, nihilominus *majoris facilitatis & melioris informationis ergo*, diviſionem illam adjicit. Potuiſſet igitur utique tempori & chartæ parcere; & vel animadverſionem, quam ratione ſchematis, *Theriacam* atque *Mithridatium* in diversâ quantitate parandi normam exhibentis, acriter contra Auguſtanos urget, omittere, quia & illud ab Auguſtanis *majoris facilitatis & melioris informationis ergo*, additum fuit; vel ſpecierum tam *Mithridatij*, quàm *Theriacæ*, in diverſas claſſes diviſionem, utpote non neceſſariam, præterire.

Prout autem Zvelferus in *Sirupi de pomis ad Confectionem alchermes expetiti*, compoſitione, Auguſtanorum, ob poſitas *ſacchari drachmas duas*, parſimoniam miratur: ſic mihi, inſignem liberalitatem Zvelferi mirari, convenit; dum in ingredientium *Mithridatij* enumeratione, *croci unciam unam, drachmas duas, grana quatuor* ponit; aſt in ſpecierum per claſſes diſtributione, his *quatuor croci granis unum* adhuc ſuperaddit.

Quam tamen liberalitatem majori parſimoniâ obfuſcat; dum illas *ſeminis aniſi drachmas tres*, ſpeciebus in claſſes diſtributis ſubtrahit; neque an integrum, vel pulveriſatum, aut quocunque alio modo præparatum *aniſum* compoſitioni, in principio, medio, vel fine præparationis, inferri debeat, edocet.

ANTIDOTUM MATTHIOLI pag. 244. mirum in modum perſtringit; quam æquè fœdis ac ſtolidis, imò majoribus, quàm Theriacam & Mithridatium, ſcatere erroribus, cavillatur; *quos omnes*, inquiens, *ſi mihi centum linguæ eſſent, oraq; centum, enumerare vix poſſem.* Inſignis ſanè hyperbole, & frivola inſimulatio! Quam in generalibus conſiſtentem, ulterius proſequi, operæ precium non eſſe, duco; & ſaltem illos, quos recenſet errores, licet Compoſitio hæc Auguſtanis in officinis Pharmaceuticis ut parata proſtet, haud exigatur, advoco.

I. Ex *ſedecim diverſis compoſitis* eam conſtare, objicit; nimirum è *Theriacæ quadrageſimâ parte*, *Trochiſcis hedychroi* per ſe, & ratione *Theriacæ* huc atque ita bis accedentibus; *Mithridatio*; *Trochiſcis cypheos* bis poſitis; pariter *Trochiſcis de viperis*, & *de ſcillâ* duabus vicibus huc venientibus; *Specie-*

bus

bus diambræ; *Speciebus diamargariti frigidi*; *Speciebus cordialibus*; *Speciebus diamoſchu dulcis*; *Trochiſcis Galiæ moſchatæ* bis poſitis; *Trochiſcis de camphorâ*, nec non *Speciebus de gemmis frigidis*. Ubi in arithmeticas regulas denuo impegiſſe Zvelferum, facilè cuivis adparet; dum v. g. *Theriaca exactè ad calculum revocatæ* non *quadrageſima*, ſed potius *trigeſima octava ferè pars cum dimidiâ* huc accedat.

Cæterùm *tredecim* tantùm *diverſa compoſita*, è quibus *Matthioli Antidotus* conſtat, videre mihi licet. *Trochiſci* enim *de ſcillâ*, nec non *Trochiſci viperini*, quatenus & per ſe, & cum *Theriacâ* huc veniunt, non diverſa compoſita, ſed ejusdem naturæ eſſe, dici debent. Ita pariter *Trochiſci Galiæ moſchatæ*, ſi per ſe, & cum *Speciebus diamoſchu dulcis* Antidotum præſentem ingrederentur, non diverſa compoſita vocari poſſent.

Quanquam ratione dictarum Specierum ſaltem huc trahatur dicta *Galia moſchata*; per ſe enim minimè neque à *Matthiolo*, neque Auguſtanis, nec ipſo Zvelfero eam adjungi, obſervo. Aliàs *lignum aloës* non *ſexies*, ut paulò infra monet, ſed *ſepties*; *moſchus* non *quinquies*, ſed *ſexies*, compoſitionem hanc intrarent.

Similiter *hedychroi* & *cypheos Trochiſci* ſemel tantùm recipiuntur. Unde ſi ordinem, à Zvelfero hîc recenſitum, ſequamur, non *tredecim*, ſed *octodecim* Compoſita; ſin prout à *Matthiolo* Antidotus deſcribitur, computatio Compoſitorum fiat, *quindecim*; vel ſi diverſitas Compoſitorum unà ſpectetur, *tredecim* tantùm, uti dixi, Compoſita adeſſe, colligitur.

Utrùm verò tantam reprehenſionem mereantur, qui Compoſita invicem miſcent, in antecedd. jam data fuit diſquirendi occaſio.

Aſt regerit Zvelferus, impoſſibilem eſſe ſingulorum ingredientium, pro qualibet doſi, diviſionem; & ſic *Matthiolum* neſcire potuiſſe, quantùm de uno vel altero ingrediente quamlibet doſin intret; quod tamen ſcitu neceſſarium eſſe, ſi certi aliquid de remedij effectu habere velit, exiſtimat. Negari quidem nequit, minutâ admodum diviſione opus fore; non tamen ita impoſſibili, ut Medicus, exactâ calculum ſubducendi arte, non rudi illâ Zvelferianâ, inſtructus, eam, licet aliquo cum labore, ſic ſatis benè eruere valeat; quantùm quidem pro ipſius ſcopo requiritur.

Centeſimam enim, milleſimam &c. *grani unius* partem, in medicamentis hiſce benignis & naturæ noſtræ non adverſis, tanti æſtimare, haud eſt neceſſe.

Attamen non usque adeo ſcitu neceſſarium ſemper eſſe Medico, arbitror, quantùm de uno vel altero Compoſiti cujusdam, in aliud Compoſitum ingredientis, medicamento ſimplici doſin quamlibet intret. Habitâ enim, ex dili-

ex diligenti simplicium ingredientium computatione, (cui si experientia accedat, quæ dosin confirmet, tantò melius erit) certâ unius compositi dosi; non ampliùs semper opus est, eorundem computationem, ubi tale Compositum alteri compositioni additur, repetere; sed illa prima Compositi dosis confirmata, instar alicujus simplicis medicamenti doseos se habet; v. g. *Theriacæ Andromachi* ritè elaboratæ dosis una, ingredientium ejus debitâ factâ computatione, & experientiâ suffragante, *drachma una* constituitur. *Theriacæ* autem *unciæ sex* in *Antidotum Matthioli* recipiuntur. Quæ utraque si invicem computentur, in quamlibet Antidoti dosin, *Theriacæ grana tria & partem sextam circiter grani unius*, sive *partem* ferè *decimam nonam dosis unius Theriacæ* intrare, colligitur.

Idem reliquis Compositis, superiùs enumeratis, adplicari potest.

Ubi tamen Lectorem admonitum volo, *Antidotum Matthioli*, si ejus *drachmæ duæ* pro *dosi unâ*, juxta Zvelferi opinionem, (*Matthiolus* usque ad *drachmas tres* adscendit) ponantur, non *quadringentas & septuaginta cum duabus dosibus*, ceu iterum negligenter computat Zvelferus; sed *nongentas & duodecim circiter doses* continere; siquidem tota compositio, non ex *libris novem, unciisq́ decem*; sed *libris novendecim cum dimidiâ drachmâ*, construitur.

II. De multiplicitate simplicium, & eorum nonnullis ter, quater, quinquies, sexies, septies, & octies Antidotum hanc ingredientibus quæ profert, non ad præparationem, sed compositionem potius medicamentorum spectant.

Interea multis ingredientibus referta medicamenta per me, qui velit, parvi æstimet; & cui cum Zvelfero aliisque Medicis, à quibus, *Helmontio* imprimis, (qui *Pharmacopol. ac Dispensator. modern.* §. 5. sic scribit: *Credo simplicia in sui simplicitate, esse sufficientia pro sanatione omnium morborum.* Quamvis & ipse sententiam hanc, ubi ad praxin devenitur, non semper ritè observet) ille mutuatus hoc est, simplicibus tantùm, vel saltem ex paucioribus coagmentatis medicamentis, uti placet, illi litem non movebo.

Mihi hac vice sufficit, Antidotum hanc Augustanis Medicis in usu ampliùs haud esse; nec ista, quæ Zvelferus objicit, contra præparationem ejus quidquam evincere; imò ipsum Animadversorem rigorosum in *Pharmacopœiâ Regiâ* à simplicitate medicamentorum sæpiu deflectere, & ultra viginti, triginta, imò quadraginta ingredientia uni eidemque composito imiscere.

De unius simplicis trinâ &c. locatione in uno eodemque medicamento, in *Specierum pectoralium Examine* actum fuit.

III. *Ficus, nuces juglandes, & pistacia* lepidè pro basi & fundamento posita esse, scribillat, quasi ab aliquot eorum granis tam insignes virtutes

alexi-

alexipharmacæ dosi uni accederent; quorum vel integræ libræ comestæ, neminem à peste aut alio morbo, in quibus hæc Antidotus celebratur, immunem præservare, aut iisdem infectum liberare possint. Quid basis in medicamento sit, scitè explicat *Sennertus* in suis *Institutionibus Medicis*; nempe illam esse medicamenti partem, quæ indicationi, quam morbus, vel causa, vel symptoma suppeditat, opponitur. Hæc autem duplex est: simplex & composita; quorum hæc plures usus præstat; illa uni tantùm indicationi satisfacit, licet non ex uno, sed pluribus interdum medicamentis simplicibus constet.

Zvelferus verò *ficus, nuces juglandes & pistacia* baseos nomine dignatur, quia reliquorum ingredientium respectu, in octuplo, decuplo, duodecuplo, centuplo &c. adduntur.

Quidquid sit, ubique lepidè agit Zvelferus.

Nam *Sennerti*, aliorumque Autorum classicorum communi sententiæ si subscribatur; quænam præsentis Antidoti basis erit? Certè non aliud, nisi quod venenis opponitur, alexipharmacumque dicitur. Unde etiam compositio hæc Antidoti nomen in fronte gerit; atque contra venena pleraque, pestem, morbosque malignos commendatur. An verò recensiti fructus soli, inter omnia *Antidoti Matthioli* ingredientia, virtute alexipharmacâ præditi sunt? Nequaquam. Censum quidem alexipharmacorum ingrediuntur, sed parva eorum pars existunt. Hinc absurdum admodum est, eos à reliquis separare velle.

Sin basis, secundùm novam Zvelferi methodum, illud adpelletur, quod, reliquorum ingredientium intuitu, majori in pondere ponitur; tunc non *caricis, nucibus ac pistaciis*, sed *succis* (de *vino* & *melle* ut nil dicam) *oxalidis, sonchi, scordij, echij, buglossi*, & *melissophylli*, baseos titulus debebitur, quorum nimirum singulorum *libra dimidia*, & sic multò major, quàm fructuum, videlicet quorum singulorum dimidia saltem pars, sive *unciæ tres* accipiuntur, quantitas sumitur.

Quòd verò fructus prædicti, nimirum *ficus, nuces juglandes & pistacia*, neminem à peste præservare, aut liberare queant, Zvelferus equidem dicit, sed non probat. Unde eâdem facilitate, qua objectio hæc adfertur, rejicitur.

Contrarium enim à convenienti eorum usu successisse, firmis argumentis, debitisque experimentis adhuc confirmandum adversæ parti restat.

Nec ullo modo valet argumentatio: *caricarum* &c. integræ libræ comestæ, à peste non præservant aut liberant; Ergo parva quoque earum quantitas idem non præstabit.

Tanta enim horum fructuum moles corpori potius obest, quàm prodest; & sæviente contagio, illud ad suscipiendum contagium disponere, aut hosti jam recepto auxiliares ad vitæ ægroti destructionem manus præbere potest.

Ubi illud Hippocraticum etiam locum invenit: πᾶν τὸ πολὺ τῇ φύσει πολέμιον. *Omne nimium naturæ inimicum, 2. Aphorism. 51.*

Sic multa præstantissima alexipharmaca, si immoderatiùs sumantur, veneni naturam quodammodo æmulantem vim induere possunt.

Sed dato, vim antiloimicam in fructibus dictis haud inveniri, omni tamen virtute venenis adversâ, non orbatos esse, plurium Scriptorum testimoniis comprobare liceret. Non enim omne, quod huic vel illi veneno adversum est, mox quoque contagio pestifero contrariari, plus quàm notum est.

Unicus mihi sufficeret *Dioscorides*, qui *lib. 1. cap. 140. pistacia* trita cum *vino* contra serpentum ictus prodesse, & *cap. seq. nuces juglandes* cum *rutâ & caricis* ante alios cibos sumtas, venenis resistere, ut & si à veneni haustu comedantur, testatur; cui non dissimilia habet *Galenus lib. 2. de alimentor. facultat. cap. 28. & de succ. bonit. & vit. cap. 8.*

Quibus aliisque Scriptoribus majorem fidem, quàm, præ unico reformandi pruritu, neganti meritò habeo. Ubi tamen contrarium sufficienter probabitur, in hoc aliisque consimilibus sententiis faciles dare aures, non defuturum me, polliceor.

Nunc sibimetipsi, contra taxatam à se exiguam nimis simplicium quorundam in qualibet dosi quantitatem, objectionem format Zvelferus; dum non considerandam esse molem & efficaciam cujusvis simplicis sigillatim, sed potius qualitatem ex omnibus emanantem, sive manifestam, sive occultam, eamque vel simplicium illorum naturæ pristinæ æmulam, vel novam planè, in nullo simplici antea conspicuam, objicit. Mox tamen prolixam responsionem adnectit, &

1. Singula collecta juvare, concedit, si singula in unum effectum conspirent, & ejusdem virtutis ac efficaciæ sint, nec invicem sibi contrarientur. Hæc autem requisita procul à compositionibus modò examinatis exulare, regerit. Verùm quod ipsam objectionem concernit, eam, quatenus præsentem cumprimis Antidotum petit, perlustrare, utique licebit.

Objicio etiam Zvelfero, in hac Antidoto non considerandam esse molem & efficaciam cujusvis simplicis, v. g. modò enucleatarum *nucum, caricarum & pistaciorum*, sigillatim; sed qualitatem ex omnibus reliquis quoque collectis

collectis emanantem, tam manifestam, quàm occultam; non quidem omnimodè novam, sed simplicium suorum pristinæ naturæ æmulam.

Cæterùm minimè opus esse, existimo, ut unius compositi ingredientia singula in unum effectum conspirent, ejusdem virtutis, nec sibi invicem contraria existant.

Hujus enim Antidoti effectus esse debet, ut venenis resistat, quem effectum major ingredientium pars producit; alia autem eorum pars dirigentis, excipientis &c. munere funguntur, nec propriè venenatæ qualitatis eradicationem respiciunt.

Solam basin propter curationem, reliqua propter basin in composito medicamento expeti, comunior Medicorum est sententia, hîc quoque optimè locum inveniens.

Inesse verò quoque, quæ sibi invicem contrariantur, uti frigida, calida, humida, sicca, lubens concedo; quod prout vel ad contemperationem quorundam simplicium, in hac illâve qualitate excedentium, fit; vel quia illæ qualitates primæ, cùm occultarum tantùm habeatur ratio, minoris æstimantur: ita contrarietas ista effectui medicamenti nihil derogat.

Quin ipsum Universi, & ita medicamentorum quoque, Creatorem sapientissimum, diversas & contrariantes tales qualitates simplicibus indidisse, observamus; ut ea non tantùm de particulis igneis, sed & aqueis, aëreis, terreisque participent.

Ast quis & medicamentis Zvelferianis compositis, ejusmodi species manifestè sibi contrariantes inesse, negare ausit; sic ut dentur, quorum singula non in unum conspirent effectum, nec ejusdem virtutis ac efficaciæ sint, sibique invicem contrarientur?

Clarissimum exemplum suppeditat *Sirupus emeticus*, *Pharmacop. Reg. pag. 32.* delineatus; cujus effectus esse debet, ut per vomitum vitiosos humores evacuet; cui scopo *vitrum antimonij*, in eo positum, inservit. Additur præterea *vinum album*, *saccharum* & *oleum cinnamomi*, quorum tamen nullum in eundem cum *vitro antimonij* conspirat effectum, nec ejusdem virtutis emeticæ est; quin potius *antimonij* efficaciæ contrariantur; sic (ex ipsius Zvelferi sententiâ loquor) *oleum cinnamomi*, quod aromaticæ est prosapiæ, ad expulsionem materiæ noxiæ stimulatam ab *antimonio* naturam compedibus quasi restrictam tenere, quò minùs id, quod intendit, expellere queat, nemo negabit, nisi qui Zvelferi in *Sirupum Angeli Salæ animadversiones* irritas reddere, & refutare velit.

Ratione autem qualitatum occultarum in *Matthioli Antidoto* contrarietatem, imprimis quæ magni sit momenti, dari, ut scilicet unum ingrediens

pestem vel aliud venenum debellet, alterum eadem inducat, probandum Antagonistis incumbit.

Quin potius vim ejus antiloimicam Experientia multoties comprobavit; cujus etiam testimonium *Felix* ille *Platerus lib. 2. observat.* præbet.

2. Zvelferus objectioni suæ satisfacere conatur, dicendo, in alexipharmacis propriè ad caloris vel frigoris gradus non esse respiciendum; nec in peste alexipharmaca calida, ut calida, adhiberi. Hoc quidem ipsa dictitat ratio. Nullam tamen caloris, vel frigoris habendam esse rationem, non dixerim.

Sæpe enim in morbo aliquo qualitatum occultarum, uti febre pestilente, non tantùm ad alexipharmacorum virtutem, quatenus venenatæ qualitati resistit, sed etiam eorundem caliditatem, vel frigiditatem &c. respiciendum est.

Nam hoc non observato, & aliquo alexipharmaco, quod insigni calefaciendi facultate præditum est, exhibito, non solùm morbus difficiliùs expugnabitur, sed quandoque majus in periculum ægrum conjiciet.

Theriacam, ob caloris prædominium, in temperaturis calidis cautè administrari debere, sagacior Practicorum pars prudenter monet.

Secus qui faciunt, & indiscriminatim eam propinant, non Medici, sed Agyrtæ nomine ut insigniantur, merentur.

Porrò tot tantaque contra unum adfectum pugnantia à Creatore (quod nomen soli DEO competit) creata esse, urget Zvelferus, non ut pro libidine cujusvis cervicosi ineptè confunderentur, sed ut inexhaustam Ejus sapientiam & providentiam admiraremur, quæ divitibus & pauperibus, omnibusque populis sua esse voluit antidota, quorum alia calida, alia frigida, nonnulla capiti, alia cordi, hepati, utero, magis amica condidit, *ut prudens Medicus sine vanâ multorum additione cuilibet ætati, regioni, temperamento apta medicamenta, nullâque correctione indigentia, sibi commissa esse intelligeret*; pestem etiam & reliquas intemperies convenientissimè, monitore *Sennerto lib. 5. institut. medic. part. 2. sect. 2. cap. 1.* uno curari simplici &c. Quæ omnia veritatis aliquam speciem habent; simpliciter tamen cuncta admitti vix possunt.

Meritò autem homo Creatoris sui, in tantâ innumerabilium penè medicamentorum, pro usu humano creatorum, ubertate, sapientiam & clementiam veneratur; Licet vicissim, in magnâ imbecillis nostræ mentis caligine, nos, quibus viribus huic vel illi morbo resistendi, singula eorum præpolleant, toties ignorare, fateri cogamur.

Quis enim noſtrûm decantatam illam *Salomonis* in plantis cognoſcendis ſapientiam in ſe derivatam, gloriari auſit?

Ob id verò ſolis ſimplicibus curandum eſſe, minimè evincitur.

Neque per artificioſam illam præparationem & miſtionem, ullam naturæ vim infert Medicus, quin potius conatus ejusdem, miniſter utpote & diſcipulus naturæ, promovet ac imitatur.

Annon eadem in uno ſimplici diverſas partes oſtendit, calidas, frigidas, humidas, ſiccas, adſtringentes, laxantes, capiti & cordi, hepati vel ſpleni &c. dicatas, id quod in *roſâ, rhabarbaro* &c. manifeſtè deprehenditur?

Simplicibus quandoque morbos curari poſſe, neminem fore, puto, qui negabit. His ſcopo non ſatisfacientibus, quid vel tunc ad compoſita tranſire, prohibet? Quæ tamen ſi ex ineptè confuſis ſimplicibus conflentur, & improvidè propinentur, reprehenſionem meritò incurrunt.

Alia plura hinc indè apud Autores, pro compoſitionis medicamentorum defenſione notata, tranſeo; qui ſimul, quòd ſimplicia nullâ correctione indigeant, vanam eſſe opinionem, monſtrabunt.

Unicus prodeat ipſe, contra quem decerto, Zvelferus; qui exemplo ſuo hanc ſuam ſententiam propriis viribus enervat.

Si enim ſolis ſimplicibus, non correctis, morbos curare Medicus valet, & debet; cur tantam medicamentorum compoſitorum farraginem ipſe *Pharmacopœiæ* ſuæ *Regiæ* inſeruit? Cur ſæpius calida frigidis, humida ſiccis permiſcuit? Cur cordialia cephalicis, hepatica ſpleneticis &c. adjunxit? Cur nonnullorum, *opij* cumprimis, neceſſariam correctionem inculcavit?

3. In compoſitis ſæpe novam aliquam oriri qualitatem, quæ in nullo ſimplicium præexiſtebat, concedit Zvelferus; ſed qualisnam illa ſit, nobis non innoteſcere, ſæpe noxiam eſſe, quam nos proficuam arbitrabamur. Id quod à contrarietatibus rerum oriri, ſtatuit, quæ contrarietas in medicamentis illis, Theriacâ &c. ádparere ipſi dicitur, in fucatâ illâ, & non verâ fermentatione, quam antipathicam ebullitionem vocat. Non mihi animus eſt, hanc quæſtionem: an nova aliqua in *Theriacâ*, vel aliâ conſimili compoſitione qualitas, in nullo ſimplici antea conſpicua, oriatur? meam facere; cùm *Theriacæ* &c. integritas ſimili defenſione vix opus habeat.

Attamen negari nequit, *Theriacam* tali, ob diverſorum ſimplicium acceſſionem, quæ mediante fermentatione magis uniuntur, virtute eſſe præditam, qualem nullum ex omnibus illis ingredientibus, ſingulatim conſideratis, antea poſſedit.

In compoſitis autem, ubi nova oritur qualitas, nobis non innoteſcere, quænam illa ſit, ſæpeque noxiam eſſe, quam nos proficuam arbitrabamur,

non

non adeo ſimpliciter admittere poſſum; ex. g. è duobus ſibi contrariis & diverſiſſimis, nempe *ſpiritu vitrioli*, acidæ; & *ſale tartari*, alcalicæ naturæ, conficitur *Tartarus vitriolatus*, qui novam poſſidet qualitatem, nec ampliùs acidus, vel alcalicus dici poteſt. Si autem propterea hujus nova qualitas nobis non innotuit, atque ideo noxius eſſe poteſt, cur Zvelferus eundem medicamentis ſuis immiſcere audet?

Sufficiat nobis, quòd *Theriacæ*, *Antidoti Matthioli &c.* qualitas non noxia, ſed ſummè proficua jam dudum nobis innotuerit.

Utrùm fermentatio *Theriacæ* fucata, & non vera ſit? alij diſquirant, dummodo prius certus quis eſſet, quam differentiam, veram inter & fucatam fermentationem, fecerit Zvelferus?

An ſympathica, vel antipathica ebullitio vocari debeat? huc non ſpectat, ut diſcutiatur; & lis de lanâ caprinâ eſſe videtur. Certo tamen reſpectu antipathica vel ſympathica dici poteſt.

4. Zvelferus pergit, & ſi ex tantâ farragine medicamentum, unam habens vim calefaciendi, refrigerandi, oriri poneretur, Medicum tamen probè debere callere, reponit, quantum de hoc vel illo quamlibet doſin ingrediatur. Poſito quòd ita res ſe habeat; in hujusmodi tamen medicamentis, de quibus hîc agitur, non gradus caloris, vel frigoris, uti paulò ante Zvelferus ipſe monuit, ſed vis venenis reſiſtendi ſolummodo ſpectanda eſt.

5. Similium medicamentorum non eſſe *veram miſtionem*, objicit, ſed tantummodo *congeſtam appoſitionem & inordinatam confuſionem*, adeo ut unumquodque ſimplex, niſi invicem contraria ſint, & ſe mutuò deſtruant, ſuas proprias ſervet dotes; quod exemplo *opij* demonſtrat. Dato, & hoc verum eſſe. Nullibi tamen Auguſtanos in *Theriacæ*, *Mithridatij*, & *Antidoti Matthioli* confectionibus veram miſtionem venditare, reperio.

Eadem quoque congeſta adpoſitio & confuſio (vocula: *inordinata* ſuperfluè à Zvelfero additur) ſimplicium, veræ miſtionis nomine indigna, in Zvelferi Antidotis, hiſce Auguſtanorum ſubſtitutis, deprehenditur.

Quid verò miſtio ſit, & an illa *Theriacæ* competat? *Guerner. Rolfincium ord. & meth. medic. ſpecial. comment. lib. II. ſect. 2. cap. 6.* explicantem conſule.

Quod ipſam Antidoti præparationem attinet; ſi ea, juxta *Matthioli* præceptum, eo modo, quo *Theriaca*, aut *Mithridatium* conficiuntur, fiat, nullam reprehenſionem meretur.

An verò *ſuccorum expreſſorum* cum *melle* inſpiſſatio, ſi *vinum* ſimul adhibeatur, neceſſaria ſit, uti quidem velle videtur Zvelferus, illis, qui Antidotum præſentem elaborare conſueverunt, judicandum relinquo; hoc interim

certum

certum esse adserens; quòd per illam coctionem, spirituosa eorum pars, quibus potior, ex ipsius Zvelferi sententiâ, efficacia inest, in auras abigatur.

DIACORUM MESUES *pag. 248.* præ aliis commendat; ejus quoque præparationem, juxta præscriptum modum, institui posse, concedit. Melius tamen fore judicat, si *radices secacul*, vel ipsis substitutæ, nec non *acori seu calami aromatici* coctæ, non pistarentur, aut in pulverem tererentur, sed grosso modo, minutimque & quadratè conscinderentur; prout etiam species aromaticas non pulverisatas, sed conscissas, & crassiusculè contusas admiscere, præcipit; sicque Electuarium saporis gratiâ, & majori efficaciâ illud vulgare superaturum, pollicetur. Licet mihi non proposuerim, de medicamentis Augustanorum agere, quatenus meliori modo fieri possunt; sed tantùm ipsas eorum præparationes, prout in Dispensatorio traduntur, ab erroribus, quorum insimulantur, vindicare; ipse autem Zvelferus *Diacori hujus* præparationem non rejiciat, nihilominus tamen, uter modus, Augustanorum, vel Zvelferi, melior sit? hoc in loco, provocante Zvelfero, disquirere libet.

Existimo autem, illi modo palmam deberi, in quo ingredientium virtutes magis integræ conservantur.

Quo minùs enim, verba adduco Zvelferi *Append. ad hujus Electuarij animadversiones pag. 27, medicamenta simplicia & composita in virtutibus castrata & mutilata sunt, eò certiores & potentiores effectus ab usu eorum experiemur.* Nunc, Augustani nihil aliud coctioni, præter *radices secacul*, i. e. *Pastinaca Syriaca*, de qua vid. *Leonh. Rauwolfij Itinerar. part. 1. cap. 6. pag. 74. & part. 4*, committunt, quibus tamen parum, vel nihil exin decedit. Econtra Zvelferus, præter has, *acorum* quoque, vel *calamum aromaticum* coctioni submittit, post decoctionem exsiccat, decoctum remanens inspissat, radices siccatas iterum cum *melle*, coquit; in quibus certè laboribus vix quidquam spirituosarum, subtilium, & aromaticarum partium, si ipsum Zvelferum judicem constituamus, salvabitur, quod non exhalare cogatur. Clarè enim hoc in *animadversionibus Sirupi de polypodio pag. 63.* testatus fuit; ubi *calami aromatici* vim aromaticam coctione deperdi, Augustanis objecit; & hoc ne fieret, *elaosaccharum ejus* addi, voluit. Jam verò dum Augustani nobilem hanc, & studiosè à Zvelfero aliàs quæsitam partem, conservant; ipse eandem violentis coctionibus, nec non exsiccatione, expellit; atque hanc jacturam, tanquam egregium aliquod artificium, magni facit; sic ut *Diacorum* suum, *calami aromatici* vi aromaticâ castratum, Augustanorum *Diacoro*, eâdem nobilitato, longè præferre, non erubescat,

Obviam

Obviam quidem dubio huic in *Append. l. c.* ire, tentat; dum aquam, post decoctionem *pastinacæ* & *acori* se adservare, & cum *melle* inspissare, scribit, quia majorem hæc addat medicamento efficaciam; namque *omnia vegetabilia aqua*, in coctione, virtutes suas communicare, statuit, quorum alia terrestriora integras servent vires; alia verò sulphureæ & subtilioris naturæ, maximam ejus partem coquendo exhalent, remanente saltem parte crassiore. E numero itaque vegetabilium, quorum virtutes, licet largiter decoctorum, in residuo manent, has quoque *pastinacæ*, & *acori radices* esse, adserit, proindeque decoctum earum inutiliter effundendum non esse, existimat.

Prout autem Augustani aquam, in qua *radices secacul, vel pastinacæ marinæ &c.* coctæ fuerunt, non abjiciunt, sed eandem exhalare permittunt, ut id, quod aqua, inter coquendum, è radicibus extraxit, cum iisdem conjunctum, toti dein composito accedat: ita hæc animadversio de inutili aquæ effusione Augustanos non tangit.

Ast *radicum acori seu calami aromatici* virtutes omnes, licet largiter decoctarum, in residuo manere, & consequenter ipsas radices purè terrestriores esse, nec sulphureâ ac subtiliori naturâ gaudere, hoc omni rationi, experientiæque refragatur.

Si verò terrestrioris tantùm indolis sunt; cur earundem decoctionem Zvelferus toties in Augustanorum compositionibus carpit, exagitat, execratur?

Dicet fortè quispiam, Zvelferum, *acorum vulgarem* illum, aliàs *pseudoacori, acori falsi, adulterini, lutei, palustris* &c. nomen gerentis, hîc intelligere; cui parum de tenuibus partibus, & nihil odoris ferè inesse, nemo ignoret. Verùm, non de hoc, sed de *acoro vero*, qui officinis *calamus aromaticus*, licet, quod Botanici nos docent, perperam, vocatur, in hoc medicamento, & Augustanis, & Zvelfero, sermo est.

Unde hîc duabus vicibus utrumque nomen ponit, scribens: *si radices Secacul vel Pastinacæ aut Eryngii, & Acori seu Calami Aromatici coctæ non pistarentur &c.* & : *Rec. Rad. &c. Acori seu Calami aromatici* ℔j ß. Quo ipso sanè *acorum*, & *calamum aromaticum* idem simplex esse, innuere videtur.

Sed posito, Zvelferum per τὸ : *acori*, *acorum inodorum* illum, *palustrem*, *spurium*; & per *calamum aromaticum*, *radicem* illam *odoratam*, *aromaticam*, denotare; dum tamen parum interesse, concedit, ut Pharmacopœo tali modo liberam electionem, sive *acori inodori*, sive *calami aromatici* radices sumat, relinquit; propter *acorum* quidem *inodorum*, non verò *calami aromatici* ratione, excusari posset.

Omnia

Omnia vegetabilia aquæ, in coctione, virtutes suas communicare, contra Zvelferum, obiter nego; quia res resinosas, quales *agaricum*, *gialappa* &c. sunt, quæ utique inter vegetabilia comprehenduntur, alio menstruo, sulphureo nimirum, tanquam homogeneo, si virtutes suas emittere debeant, requirere, idem Zvelferus in *præcedd.* Augustanis objecit.

Utrùm radices grosso modo incisæ, aromata etiam crassiusculè conscissa & contusa, radicibus conquassatis, atque aromatibus pulverisatis meliora sint? nunc quæritur.

Radices quidem, à quibus per coctionem magna virtutum pars jam extracta est, quadratè incisas digestioni magis laborem facessere, quàm minutim pistatas, credo, (prout & alimenta non benè masticata si deglutiantur, difficiliùs in stomacho digeri, communis est sententia) præcipuè ubi medicamentum hoc, pro stomachico aliquo remedio, quis cùm Zvelfero habeat. Si enim ventriculum roborare debet, taliter comparatum sit, necesse est, ut, quantùm fieri potest, quàm minimè difficilis sit digestionis.

Nec certè quidquam, dum radices minutim conteruntur, ipsarum substantiæ decedit, aut in essentialibus virtutibus immutatur.

Aromata quidem crassiusculè contusa, cùm, præ pulverisatis, in ventriculo diutius hærere credantur, à multis, pro majori ventriculi corroboratione, hisce præferri, scio; sed hoc, uti unius ventriculi causâ fit: ita in præsenti medicamento tam studiosè observandum haud est; quia non ventriculo, sed aliis partibus roborandis potius, à *Mesue*, & Augustanis, propriè dicatur.

Quod aromata crassiusculè incisa tempore longiori efficiunt, illud aromata pulverisata breviori absolvunt; ut sic virtus ipsa in *Diacoro*, aromata pulverisata recipiente, nequaquam immutetur.

Miror autem, si tam præstans sit aromatum, pro stomacho confortando, in crassiori formâ usus, quòd Zvelferus *Pharmacop. Reg. pag. 106.* aromatum pulverisationem in *Pulvere stomachico*; *pag 119.* in *Speciebus stomachicis*, & alibi, suadeat, atque sic virtutem eorum temerè infringat. Eadem enim similium horum est ratio.

Unde *Ludov. Septalius* in *Aromatico rosato*, species non in tenuissimum pulverem, sed crassiusculè tantùm contundendas esse, monet.

An denique *Diacorum* hoc ori oculisque gratius, ut vult Zvelferus, evadat, si eo, quem ipse tradit, modo paretur? dubito.

Radicum enim & aromatum partes crassæ, dum per os adsumuntur, inæqualibus suis angulis linguam, & palatum molestè tangere, ac facilè ca-

vernis dentium inhærere possunt; unde sæpe nausea ægro, præcipuè si aliàs fastidiat medicamenta, ventriculumque debilem possideat, concitatur.

Cui tamen dentibus medicamenta conterere lubet, illi radices & aromata crassè incisa, vel etiam integra, exhibere, per me nihilominus cuivis integrum esto.

Nam *quot capita, tot sensus.*

Oculi autem permista liquidioribus rebus corpora solida observantes, vix gratiam aliquam indè haurire poterunt.

Ratione ingredientium aliquam mutationem quoque instituit Zvelferus, dum ipsis *unciam unam & dimidiam Conservæ rosarum* admiscet; quæ num singularem aliquem usum præstet? hæreo, cumprimis ubi parvam ejus pro singulâ dosi quantitatem intueor.

Namque *Diacorum* ad pondus *unciæ unius*, autore *Mesue*, præscribitur; quam ferè *grana quatuor conservæ rosarum* ingrediuntur; hæc autem *grana quatuor*, si *conserva*, juxta Zvelferi regulam, ex *anaticâ sacchari & florum rosarum parte* parata sit, *grana duo sacchari*, & *totidem rosarum* continent. Proh! quantæ igitur vires, in tantâ reliquorum ingredientium copiâ, à *duobus sacchari totidemq; rosarum granis*, Electuario huic accedere possunt!

Saccharum quòd *melli* in hoc, aliisque Electuariis similibus substitui possit, res est notissima; sed tunc aqua, in qua radices coctæ fuerunt, non penitus evaporare debet.

Possunt & alia in *Diacoro*, pro cujuscunque prudentis Medici voluntate, immutari, addi, vel adimi.

ACORO CONDITO VULGARI *pag. 249.* eædem, quæ præcedenti Electuario, animadversiones debentur, monente Zvelfero. Quare earundem Examen ex parte huc trahatur.

Nunc celebratissimum illud *ELECTUARIUM ALCHERMES MESUES pag. eâdem*, se offert; de quo, cumprimis ratione *setæ, succo granorum chermes* tinctæ, quædam in *Sirupo de pomis* dicta fuerunt.

Cæterùm Augustanos, quòd *Monspeliensium*, vel *Lugdunensium confectione* utantur, falsè traducit, conaturque ostendere, *Mesues* descriptionem, præ *Monspeliensi*, longè efficaciorem fore; cùm in hac *sacchari* pondus reliquas species non parùm excedat, sicque viribus inferiorem compositionem efficiat. Quare an tanta inter has sit differentia, circumspiciendum est.

Tota itaque *Monspeliensium Confectio*, prout à Zvelfero hîc è *Catelano* adducitur, continet, ipso dictitante Zvelfero, *libras tres & uncias duas cum dimidiâ*; (quas *uncias duas cum dimidiâ*, tanquam pondus *medium* inter *uncias duas & uncias tres*, à Zvelfero dubitante adsignatas, ponere libet; quanquam vicissim

vicissim parùm sibi constans, in *Vindiciis contra Vernium pag. 242.* eam *libras tres & uncias octo circiter* pendere, scribat) *Mesues* verò descriptionem, ab Augustanis traditam, ultra *libram unam & uncias duas* non excrescere, monet. *Confectionis* igitur *Monspeliensium doses* erunt *trecenta & octo*, si *drachma una*, cum Zvelfero, dosis constituatur. Econtra *Mesues compositio doses centum ac duodecim* habebit; quarum singula continebit:

ambræ,
margaritarum,
lapidis lazuli *an. gr. j. & partem decimam quartam grani unius*,
moschi *undecimam circiter partem grani unius*, non *quadragesimam*, uti malè in *Vindic. contra Vernium* habetur,
ligni aloës,
cinnamomi *an. granum unum cum dimidio, & partem circiter nonam grani unius*,
auri *quartam ferè partem grani unius.*

Ast *Monspelienses* in *Confectionis* suæ dosin unam recipiunt:

ambræ,
margaritarum,
lapidis lazuli *an. tertiam partem grani, & decimam octavam incirca grani unius*,
moschi,
auri *an. quintam circiter partem grani unius*,
ligni aloës,
cinnamomi *an. granum unum, & sextam ferè partem grani unius.*

Superat ergò *Mesues* Confectio illam *Monspeliensem* ambræ, margaritarum & lapidis lazuli *an. grano dimidio, & sextâ circiter parte grani unius*; ligni aloës & cinnamomi *dimidio ferè grano*; ratione auri perparùm. *Ratione moschi inferior est.*

Verùm hanc *moschi* eminentiam videns, in *Vindiciis contra Vernium*, odoris saltem gratiâ eum addi, statuit. Quod uti hac vice impugnare nolo: sic robore hujus sententiæ Zvelferianæ fretus, eodem jure & facilitate, *ambram, lignum aloës, & cinnamomum*, quorum pondus in *Mesues Confectione* præpollet, odoris saltem gratiâ addi, adsero; sicque propter hæc nihil efficaciæ *Monspeliensi Electuario* demitur.

Quod autem *margaritarum* etiam dosis in *Mesues Confectione* emineat, parùm refert. Quid enim illud *granum dimidium, & paucum quod excedit,*

 efficiet;

efficiet; cùm *margaritarum integras drachmas* potius exhiberi debere, ſupra in *animadverſionib. Claſsis undecimæ de Confectionibus aromaticis*, voluerit?

Lapidis lazuli doſis aliàs *drachma una* (ſi *Schröderum* alioſque ſequi liceat) conſtituitur. Quid igitur, parva illa, quæ ſuperabundat quantitas, *granum unum minimè attingens*, ſingulare præſtabit?

Auri foliati quamvis paulò plures atomi à *Meſue* in doſin unam ſumantur, nullam tamen prærogativam Electuario huic propterea accedere, dici debet; cùm *auri foliati* uſus nec ab ipſo Zvelfero magni æſtimetur.

His ita poſitis, an tam parva rerum, magnâ aliàs in doſi exhibendarum, *margaritarum* &c. in *Monſpelienſi Confectione* deficiens quantitas, quæ collecta vix ad *granum unum cum dimidio* adſcendit, tantam exaggerationem meretur?

Ut jam non urgeam, præcipuas Electuarij hujus virtutes in *granis tinctoriis* conſiſtere; uti hoc ex *Catelano* Zvelferus animadvertit.

An verò *ſacchari* pondus in *Monſpelienſi Confectione* adeo ſuperabundat, ut multum infringere & diminuere virtutes, effectum, & operationes ſingularum doſium, quoad efficaciam & energiam ingredientium, dici poſſit; ceu rigoroſus Animadverſor contra *Vernium pag. 242.* oſtendere, conatur?

Quæro itaque: an *Meſues Confectio* ſimiliter à *ſacchari* pondere, quoad virtutes, infringatur & diminuatur? Zvelferus *l. c.* illam majori quidem proportione, *ſacchari* quantitatem continere; *Monſpelienſium verò in quantitate, vel pondere ſacchari adhuc magis excedere*, ſcribit. Verùm præterquam quòd utramque legitimè, ſecundùm nominatorum Autorum mentem præparatam, virtutes ſuas potenter ſatis exſerere, quotidianâ experientiâ erudiamur, inſigniter etiam Zvelferum hallucinari, obſervo; dum *ſacchari* pondus *magis* in *Monſpelienſium Electuario*, quàm in *Meſues*, excedere, nobis perſuadere, laborat; cùm potius contrarium, ſi calculo res committatur, compareat, & *ſacchari* pondus in ſingulâ *Confectionis Meſues* doſi, plus, quàm *integro grano*, majus, quàm in *Monſpelienſium*, eſſe, deprehendatur. Ibi enim ſingulam doſin, *ſacchari grana triginta octo cum dimidio, & decimâ quartâ parte grani unius*: hîc verò ſaltem *grana triginta ſeptem & dimidium*, vel *tertia ferè pars grani unius* ingrediuntur.

Seductus fortè Zvelferus fuit; dum à *Monſpelienſibus ſacchari libras duas*, à *Meſue* autem ſaltem *uncias novem*, & ſic multò minorem quantitatem præſcriptam fuiſſe, animadvertit. Verùm conſiderare unà debuiſſet, Confectionem, quatenus in doſes diviſa eſt, expendendam eſſe; atque ita multò

multò plures quoque doses, nimirum *trecentas & octo* in illâ; quàm in hac, videlicet quæ *centum* saltem & *duodecim* continet, observasset.

Quòd si nimia hæc est *facchari* quantitas, miror certè Zvelferum; quòd ipse pro singulâ *Confectionis suæ Alchermes*, quam tantopere deprædicat, dosi, *grana ferè triginta tria facchari* ponat, sicque non adeo longè à *Monspeliensium* & *Mesues* quantitate recedat.

Sed qua ratione *saccharum* virtutes Electuarij nostri infringere & diminuere valeat, nondum video; cùm nullam ingredientibus reliquis adversam qualitatem contineat. Unde hæc, tanquam somnia, missa facio.

Libenter autem scirem, qua de causâ, & ex quo fundamento, *Confectioni alchermes Monspeliensium, non specierum vel pulverum unciæ duæ & dimidia, sed unciæ undecim circiter*, prout *Vernio* Zvelferus objicit, competant, *si hæc ad normam & methodum antiquorum competenter pararetur?*

Nunquam enim tantam specierum molem ei, ad Veterum normam paratæ, competere, quocunque tentetur modo, evincere quis poterit.

Pergit Zvelferus, & *sericum* minùs rectè addi, existimat. Si enim quis eximias à *serico* virtutes Electuario huic accessuras putet, illum persuasum sibi habere, vult, *sericum* eas, dum lavando, coquendo & multivariè præparando à Sericariis elaboratur, dudum amisisse. *Crudum* verò *sericum* unà cum folliculis, ob vermes vel papiliones in iis putrefactos, magnâ infectum esse malignitate. Sed, utrùm *sericum* à *Mesue*, ob singulares aliquas ejus vires, vel aliam propter causam, huic compositioni destinatum fuerit, me latet. Meras enim circa hoc nonnullorum conjecturas esse, constat; nec quisquam certi aliquid hac in re statuere potest.

Quanquam omnium optimè illi agere videantur, qui ad virtutem cordialem, ab Arabibus *serico* adjudicatam, *Mesuen* respexisse, arbitrantur, præcipuè cùm & aliis suis compositionibus illud, sine *granorum chermes* tincturâ, admiscuerit; cujus exemplum *Confectio diaxyloaloës*, quæ *Confectionis alchermes* descriptionem, *tract. de Electuariis*, proximè subsequitur, exhibet.

Quidquid sit, de *præparato serico* negari nequit, non levem virium ejus partem coctione illâ extractam jam fuisse; Ast *crudum* tantâ malignitate quòd præditum sit, dubitari potest. Hoc enim ubi adhibetur, non folliculi cum ipsis inclusis vermibus sumi debent; sed hi prius eximuntur, atque folliculi, si sordidi fuerint, abluuntur; unde postea cocti, odorem illum fortem abominandum, qui in præparatione, à Sericariis institutâ, observatur, non ampliùs spirant; & si quid tetri odoris inest, per ipsam coctionem, cum *succo pomorum* & *aquâ rosarum*, aufertur.

Neuti-

Neutiquam tamen, etiamsi odor fœtidus exhalet, ille folliculorum malignitatem mox arguit.

Neque illos, qui vel integros dies ſerici elaborationi inſudantes illum exhalantem fœtorem reſpiratione in corpus attrahunt, de malignitate aliqua conqueſtos fuiſſe, obſervare potui.

Quin ſæpe fœtida ſummam in arte medicâ utilitatem præbent. De *urinoſo odore*, ad malignam peſtis qualitatem expugnandam à Zvelfero commendato, ut nil dicam; *allij* inſigni fœtore dotati uſum alexipharmacum multi, & inter hos quoque Zvelferus, magni æſtimant. *Aſa fœtida*, *fumus combuſtarum pennarum*, *cornuum* &c. rerum fœtidarum numero eximi nequeunt; quis verò propterea malignitatem ipſis mox adſcribere audeat?

Providè *Laurent. Eichſtadius cap. 12. de confect. alchermes*, non ſerica fila, id eſt, ſericum præparatum, ſed ipſos purgatos folliculos, exemto quoque vermiculo, ne folliculus indè aliquid putredinis contrahat, uſurpandos eſſe, monet.

Ludov. Septalius animadverſ. & caution. medic. lib. 9. §. 43. in examine *Confectionis alchermes*, globulos recenter conglomeratos commendat, quibus apertis, eximendus ſit bombyx, & interna levis atque tenuis ſuperficies pelliculáve abſtergenda, ac, ſi ſorditie aliquâ eſſet infecta, eximenda.

His præmiſſis, ad præparationem præſentis medicamenti Zvelferus accedit; quam, omiſſo *ſerico*, cum *Sirupo*, ſive is è *ſucco chermes*, ſive è *granis*, ad normam, quam ipſe *animadverſionum paginâ 33.* præſcripſit, confectus ſit, inſtituere, præcipit; & ſic longè efficacius fore Electuarium, ſcribit, illo, *quod multis ſigillis munitum, vel ex Gallia vel Belgio adfertur.* Sed de *ſerico* & *Sirupo chermes* illa, quæ modò produxi, nec non *Examen animadverſ. in Sirupum de pomis ad Confectionem alchermes expetitum*, Lector conſulat.

Confectio alchermes ad nos non, niſi ex *Monte Peſſulano*, & *Lugduno* adfertur.

Quòd Zvelferus *Belgij* quoque mentionem faciat, ob nomen: *Lugdunenſi*, ab Auguſtanis poſitum, factum eſſe, ſuſpicor; ac ſi ſcilicet ipſi *Lugdunum Batavorum* innuerent; cùm potius *Lugdunum*, celeberrimum illud *Galliæ Celticæ* emporium, vulgò *Lyon* dictum, intelligant; ubi non exiguâ in quantitate nobile illud Electuarium pariter præparatur.

Ambram in oleo aliquo aromatico ſolutam addere, præcipit, ut ita exactiùs cum *ſaccharo* uniatur. Multipliciter *ambræ* additionem fieri poſſe, omnibus notum eſt; interea quam *Meſue* & *Monſpelienſes* normam, videlicet per liquefactionem in *ſaccharo* ad *mellis* conſiſtentiam coctо, tradunt, non omnino ſpernenda eſt; ſiquidem *ambræ* ſubſtantia per totum

Electua-

Electuarium ritè dispergitur, sicque odorem & vires suas per minima distribuit.

Id quod nec Zvelferus negare potuisset; quia ipse *pag. 123. Pharmacop. Reg.* in *saccharo*, cum *aquâ cinnamomi & rosarum* in tabulati consistentiam cocto, *ambram*, nullâ aliâ re prius solutam, subactam, vel mistam, dissolvere jubet. Et *pag. 255. Vindic. contra Vernium*, *Norunt*, inquit, *etiam apud nos, in Germaniâ, Tirones ambram in saccharo, ad consistentiam syrupi aut tabulati cocto, liquare & solvere; citra odoris aut fragrantiæ dispendium.*

Majorem verò efficaciam Electuario *ab aliquot guttulis* (hîc Zvelfero incubuisset, quantitatem istarum guttularum exprimere, nec eam Pharmacopœi arbitrio relinquere, qui, vel in excessu, vel defectu additionis, facilè vacillare potest; Medicus autem talem præscripturus Confectionem, ex Zvelferi sententiâ, scire debet, quantùm de hoc, vel illo ingrediente dosin unam intret) *olei cinnamomi, rosarum* &c. accedere, equidem non nego; Zvelferi tamen hypothesis, de *moscho*, odoris saltem gratiâ addito, contra hanc Zvelferi opinionem decertare valeret.

Si autem alicui Medico, efficacius *Electuarium alchermes* obtinere, placet, illi, si vel parùm in re medicâ versatus fuerit, multivariè alia addendo, vel priora ingredientia augendo, scopum suum obtinere, difficile hoc esse haud potest.

Ast tanta si vis oleis illis aromaticis inest, Zvelferum demiror; dum nullum consimilium oleorum, ad *ambræ* dissolutionem, in suâ *Confectione alchermes Pharmacop. Reg.* adhibuit, eamque cum *seminum citri unciâ dimidiâ* subigere, tantùm præcepit.

An Confectio præsens antiqua, stimulo summopere, quod vult Zvelferus, indigeat, si consuetâ in dosi, quæ ab autore, *Mesue*, ad *aureos duos ac dimidium*, id est, *drachmas ferè tres*, extenditur, exhibeatur; illi, qui ejus usum, longâ experientiâ confirmatum, familiarem sibi reddiderunt, judicent; non tales, qui perversè præconceptâ opinione seducti, usum ejus abhorrent.

Quanquam etiam rariùs per se, sed mixta utplurimum cum aliis, quæ pro variâ Medici intentione, & ægroti necessitate, diversorum stimulorum loco esse possunt, à Medicis præscribatur.

Semen verò *citri*, à Zvelfero ad *ambram* subigendam adhibitum, tantarum virium non est, ut stimulare queat, cujus tantùm *tertia pars & centesima ferè grani unius*, *dosin* sive *drachmam unam* ingreditur; quæ paucissimæ atomi, respectu integræ doseos, magni momenti haud esse, videntur.

Tandem, rejectâ *Monspeliensium* & *Mesues* compositione, suam, in *Pharmacop. Reg. pag. 179. & 180.* delineatam, utrique, tanquam longè efficacio-

caciorem ambitiosè præfert. Sed revera nullas singulares hæc, præ illis, meretur laudes.

Tota quippe *Monspeliensium compositio*, prout in his *animadversionibus* habet, & supra jam notavi, continet *libras tres, uncias duas & dimidiam*, ex quibus *specierum* simul cum *sacchar o libræ duæ, unciæ duæ atque dimidia* existunt, & sic reliqua *libra una liquori* debetur, ac consequenter *libra una, uncia una & drachmæ duæ specierum, dimidiam libram liquoris* requirunt. *Zvelferi* autem *Confectio specierum libras quinque & drachmas duas*, si *saccharum* quoque addatur, complectitur, quæ ut ad debitam Electuarij consistentiam, qualis in dicto *Monspeliensi* conspicitur, redigantur, *succorum libras duas, uncias tres, ac drachmas duas circiter*, si pariter ad *libram unam, unciam unam & drachmas duas specierum, libra dimidia liquoris* sumatur, requirunt; atque ita tota *Zvelferi Confectio ferè libras septem, uncias tres ac dimidiam* continet, sicque, pro *dosi unâ, drachmâ unâ* constitutâ, *septingentas doses* complectitur; sicuti *Monspeliensium, doses trecentas & octo* fore, eâdem lege evincitur.

Nunc, collatis inter se duobus hisce Electuariis, *ambræ, moschi & cinnamomi, margaritarum*, & *lapidis lazuli* dosin in *Zvelferi Confectione* minorem, quàm in *Monspeliensium* esse, calculus ostendit.

Quamvis vicissim pondus *ligni aloës* aliqualiter adaugeat, ita ut quælibet dosis *grano dimidio atomisq; nonnullis ligni aloës*, auctior evadat.

Quæ tamen exigua quantitas parvi momenti est, eò minorem differentiam faciens, cùm *ambræ, moschi, cinnamomi* &c. quantitas vicissim diminuatur.

Nec dissimilis est *Mesues Confectio*, quæ hanc *Zvelferi*, ratione *ambræ & cinnamomi*, ultra *dimidium granum*, superat; in dosi etiam *moschi, lapidis lazuli* & *margaritarum, aliquot atomis* superior est; ratione *ligni aloës* tantùm paucissimis atomis deficiens.

En! ipsam resolutionem dictarum Confectionum:

Continet CONFECTIO ALCHERMES

	MESUES, ab Augustanis, *pag. 250. Pharmacopœiæ suæ* descripta,	ZVELFERI, *Pharmacopœia Regia pag. 179. & 180.* tradita,	MONSPELIENSIUM à Zvelfero *pag. 250. Pharmacopœiæ Aug.* è *Catelano* inserta,
ambræ	*grana 120.*	*240.*	*120.*
moschi	*10.*	*60.*	*60.*
ligni aloës	*180.*	*1200.*	*360.*
cinnamomi	*180.*	*720.*	*360.*

margari-

margaritarum	*120.*	*720.*	*120.*
lapidis lazuli	*120.*	*720.*	*120.*
ſacchari	*4320.*	*23040.*	*11520.*
drachmas, ſive doſes	*CXII.*	*DCC.*	*CCC.VIII.*

Nunc porrò continet (NB. circiter) *doſis*, ſive *drachma una* CONFECTIONIS ALCHERMES

MESUES:

ambræ - - - *granum unum, & partem decimam quartam grani unius.*
moſchi - - *partem undecimam grani unius.*
ligni aloës - - *granū unum cum dimidio, & nonam partem grani unius.*
cinnamomi - - *tantundem.*
margaritarum - *granum unum, & decimam quartam partem grani unius.*
lapidis lazuli - *tantundem.*
ſacchari - - *grana triginta octo cum dimidio, & decimâ quartâ parte unius grani.*

ZVELFERI:

ambræ - - - *partem tertiam, & centeſimam quartam grani unius.*
moſchi - - - - *duodecimam grani unius.*
ligni aloës - - *granum unum cum dimidio, & quintâ grani unius parte.*
cinnamomi - - - - - *& partem trigeſimam quintam grani unius.*
margaritarum - *tantundem.*
lapidis lazuli - *tantundem.*
ſacchari - - *grana triginta tria.*

MONSPELIENSIUM:

ambræ - - - *partem tertiam & decimam octavam grani unius.*
moſchi - - - - - *quintam grani unius.*
ligni aloës - - *granum unum, & grani unius ſextam partem.*
cinnamomi - - *tantundem.*
margaritarum - *partem tertiam, & decimam octavam grani unius.*
lapidis lazuli - *tantundem.*
ſacchari - - *grana triginta ſeptem, & partem tertiam grani unius.*

His debitè invicem collatis, parvam ſanè differentiam inter omnes illas tres Confectiones dari, quilibet fateri tenetur.

Zvelferus quidem compoſitionem ſuam *pulvere coraliorum rubrorum præparatorum*, ad *unciam unam & dimidiam* addito, inſuper adauget; unde quamlibet doſin *granum unum & pars trigeſima quinta grani unius* ingreditur.

 Sed

Sed quid tam parva *coraliorum* quantitas (ut iterum cum Zvelfero loquar) præstabit, quæ aliàs ad *scrupulum unum*, vel *drachmam unam* usque præscribi solent?

Porrò à *corticibus citri* & *aurantiorum*, quorum extractionem, cum *succo pomorum* redolentium factam, coquit, nil nisi amarum extractum in residuo manet, subtili ac fragrantissimâ essentiâ per cocturam pereunte; cui soli tamen omnes vires cordiales &c, superiùs, quò in Augustanos debacchandi ansam haberet, adscripsit.

Quod *Magisterium granorum chermes* concernit; illud an providè huic Confectioni adjungatur, Zvelferus ipse scrupulum mihi movet. Ob defectum equidem veri, & recentis *succi granorum chermes*, eo utitur, *cùm turpis quæstus omnia ferè adulteret, nobisq́, qui peregrina adoramus, illudat.*

Parcius ista Viris tamen objicienda memento.

Erunt, qui Zvelferum quoque, v. g. *aquam elementarem*, pro *sale tartari volatili*, pro famoso *liquore alcahest*, orbi obtrudere velle, animadvertunt.

Si verò tantus omnium ferè peregrinorum, sive exoticorum medicamentorum, ne illa adulterata sint, metus Zvelferum invasit, ut ea è Republ. medicâ ferè proscribere, non vereatur; cur medicamenta sua non è solis domesticis simplicibus conscripsit? cur ipse tot utitur exoticis?

Annon plus, quàm dimidia pars medicamentorum *Pharmacopœiæ Regiæ* peregrina & adulterationi obnoxia admittit ingredientia?

Annon *Pharmacop. Reg. pag. 209.* Pharmacopœis consilium suggerit, ut *aquas florum citri* & *aurantiorum*, si horum copia ipsis desit, ex Austrinis partibus sibi adduci, procurent?

Annon hæc ipsa ejus Confectio, quæ præ manibus jam habetur, *saccharum Canariense*, *ambram*, *moschum*, *cinnamomum* &c. recipit? An hæc simplicia tellus Viennensis producit?

Certè neque hæc adulterationis, variè à fraudulentis institui solitæ, metu omnino libera existunt; prout varias *moschum* adulterandi fraudes in *Dissertationis meæ*, sexennio abhinc, *Jenæ*, de *moscho* habitæ, *cap. 15.* detexi.

Quin & ipsa *grana chermes*, è quibus Magisterium suum parat, exoticorum catalogum Zvelferi ingrediuntur; quibus, si cui fraudulenter agere, animus est, partem purpuræ extrahere, & ita grana, succo nativo ex parte orbata, vel alio modo illegitima, nostras in oras, additis de eorum bonitate multis promissis, transmittere, & Te interea, qui mercibus his verbisque fidem habes, ridere, non adeo difficile erit.

Verùm non ita de omnium fide dubitare debet, nisi quis fide indignus ipse haberi velit.

In

In ipsâ magisterij præparatione observatur, quòd 1. *Uncias duas granorum chermes* extractioni committat, à quibus dein duplo plus, i. e. *unciæ quatuor magisterij*, sive *Laccæ Florentinæ*, per præcipitationem separatur. Ipse verò *uncias tres* saltem hujus magisterij Confectioni suæ adjungit.

Ad quid ergo reliqua, *quarta* nimirum, *uncia*, vel quod excurrit?

An illa humida (quod fieri tamen ferè nequit) aliud in tempus, pro Confectione hac noviter parandâ, adservari debet?

Annon, si *uncia granorum*, *uncias duas* magisterij largitur, *unciam unam & dimidiam granorum* tantùm accepisse, quæ nempe quantitas ferè *uncias tres* magisterij suppeditat, præstasset, sicque *granorum chermes*, *aluminis*, *salis tartari*, temporis quoque, & laboris dispendium non fieret?

2. *Grana chermes integra*, *non contusa*, sumi debere, studiosè à Zvelfero monitum observo. Sed quæso, quem usum curiositas hæc sibi vindicat?

Annon contusa æquè succum suum rubicundum, vel etiam faciliùs, quàm grana integra, aquæ impertiuntur?

Annon ipse Zvelferus *grana contusa* in *priori Pharmacopœiæ Regiæ editione*, *pag. 60*, adhibenda esse, judicavit?

3. Magisterium, adinstar pulpæ cujusdam, non totaliter exsiccandum esse, vult. Verùm superflua hæc est curiositas; neque enim singulares aliquas virtutes pauculæ illæ aquæ guttulæ, cum magisterio nonnihil humido remanentes, Confectioni impertiri possunt.

Quin etiam totaliter exsiccatum & pulverisatum, pro meliori rosei coloris, per totam Confectionem, distributione commendarem.

Pulposum enim illud & humidum magisterium, dum reliquis Confectionis ingredientibus in fine demum additur, nisi Confectio diu & diligenter agitetur, ubi tamen multum fragrantiæ evaporat, perfectè non miscetur; faciliùs autem magisterium in pulverem redactum, & cum cæteris pulveribus mistum, per omnes Confectionis partes distribueretur, purpuramque suam ipsi conciliaret.

4. Id, quod præcipitatur, non est pura *granorum chermes* extractorum substantia, sed majori ex parte *aluminis* pars terrestris, quæ sanè singularem in hoc Electuario usum præstare nequit, & potius calx inutilis, secundùm Zvelferi fundamenta, dicenda venit.

Ipse etenim *pag. 448. animadvers. perlas & coralia*, in acido liquore soluta, & cum contrario præcipitata, inutiles vocat calces, quibus non exigua menstruorum solventium, & liquorum præcipitantium portio, à contrarietate dictorum liquorum exorta, ac difficulter ampliùs per corrosiva solubilis, tenaciter adhæreat; atque hoc *Laccæ Florentinæ*, è *granis chermes* paratæ,

quæ nihil aliud est, quàm *magisterium dictorum granorum*, exemplo comprobat; cujus ferè duplo plus adquiritur, quàm ante præparationem granorum fuerat.

Negari equidem nequit, calcem illam, quæ in præcipitatione extractionis *granorum chermes* cum solutione *aluminis* producitur, ab actione & reactione (quæ num contrarietati, vel amicitiæ debeatur, inutilis videtur esse quæstio) *salis tartari*, & *aluminis* fieri; attamen haud est ipsa substantia acidi *aluminis*, & alcali *salis tartari*, in corpus tale terrestre, & indissolubile mutata, sed tantùm ferè, uti dixi, *aluminis* pars terrea, quam, instar *vitrioli, ferrum* vel *cuprum* continentis, possidet, & post *aluminis* ustionem, qua spiritus acidus in fugam vertitur, superest.

Dum enim *sal tartari aluminis* acidum absorbet, hoc solutam, & in se contentam terram albam in fundum cadere permittit.

Econtra si *aluminis* spiritum, vel alium acidum liquorem, qui tamen nihil prius corroserit, & *sal tartari*, ab heterogeneis aliis partibus probè purificatum, confundas, vix ulla terra indè præcipitabitur.

Parum autem de *granis chermes* calci huic præcipitatæ inesse, ipsum granorum pondus comprobat; ubi ab *unciis duabus granorum*, post extractionem, *unciam unam circiter* superesse, cognoscitur; ipsum autem *magisterium*, Zvelfero consentiente, *unciarum quatuor* pondus adæquat. Unde *granorum chermes* una tantùm, & terræ *aluminis* tres partes in eo continentur.

Sed satis de hoc Electuario.

Nunc CONFECTIO ANACARDINA MESUES *pag. 252.* se offert; quam paratu quidem facilem esse, sed cum *butyro* paratam ingratum evadere edulium, præcipuè si diutius adservata rancorem contrahat, objicit. Ast quid hoc ad præparationem? Tale potius, in compositionem animadvertere, dici debet.

Et licet absque *butyro* pararetur præsens Confectio, magnam delicatulo palato gratiam daturam eam esse, vix credo.

Magis tamen ingratam evasuram, cum *butyro* paratam, si diu adservetur, minimè nego.

Interea ad incommodum hoc evitandum, minori in copiâ, quæ nimirum pro dispensatione per unum vel alterum mensem sufficere possit, parare eandem, licet.

In CONFECTIONE ARCHIGENIS *pag. 253.* Augustanos incivili cavillo excipit; dum, ubi animadversione & monitis summoperè opus esset, eos piscibus & Seriphiis ranis magis mutos, in aliis verò rebus nauci & nihili plus satis loquaces, vocat. Tales autem insulsi & iniqui Animadver-

madverſores meritò in Inſulam Seriphum relegandi eſſent; quò nimiam ſuam loquacitatem, & ſine ratione multarum animadverſionum adcumulationem, ranarum Seriphiarum exemplo ducti, dediſcerent, nec inurbanâ ſuâ coaxatione, aliorum Bonorum aures moleſtarent.

Sed, quæſo, quanam hîc animadverſione, quibusve monitis Auguſtanorum opus eſt?

Circa præparationem fortè monitum aliquod deſiderat Zvelferus. Utique hoc dari potuiſſet; ſummopere tamen neceſſarium haud fuit. Peritus enim & prudens Pharmacopœus facilè dextram ejus præparationem eruere valet, præcipuè ſi methodum componendi *Theriacam* probè, ceu par eſt, perſpectam habeat.

AUREAM ALEXANDRINAM NICOLAI pag. 254. penitus improbat, & carbone ex albo pharmaceutico delendam eſſe, exclamat; cujus abſurditates è *Theriacæ Andromachi*, *Mithridatij*, & *Antidoti Matthioli animadverſionibus* ſatis evidenter patere, exiſtimat. Verùm uti dictarum compoſitionum abſurditates non niſi in cerebello Zvelferi deprehendi poſſe, Examen earum oſtendit: ita & hujus *Aureæ Alexandrinæ* eodem in loco quærendæ ſunt.

Aureæ titulum majori jure ſibi vindicat, quàm multa *Pharmacopœiæ Regiæ* medicamenta, ſpecioſiſſimum *regium* nomen in fronte gerunt.

Interea cui uſus ejus diſplicet, ille eandem apud Auguſtanos quoque jam exoleviſſe, recordetur.

In *ATHANASIÆ MAGNÆ NICOLAI pag. 255.* præparatione, nihil animadverſione dignum invenit, niſi quòd gummata in *ſuccis* adjectis, & *vino*, vel *aceto*, ſi illi non ſuffecerint, ſolvenda eſſe, præcipit. Quod ſi neceſſe eſt, peritus Pharmacopœus, quid factu opus ſit, ipſe ſciet.

Ratione verò computationis Auguſtanos erráſſe, obſervat; dum *mellis libram unam, unciam unam, drachmas quinque ſemis*, non *triplum* pondus eſſe, reſpectu *quatuordecim unciarum & drachmarum quinque ſpecierum*, ſcribit. Sic eſt, adſignatum *mellis* pondus minùs rectè ſe habere; cùm *mellis libra una, unciæ ſeptem, drachmæ ſex, grana quinquaginta ſeptem* triplum pondus ſint, ſi, quod hîc innui ab Auguſtanis exiſtimo, tantùm ad ingredientia ſicca reſpiciatur; vel, cùm *libræ tres, unciæ decem, drachmæ ſex, grana quinquaginta ſeptem, triplum* conſtituant, ſi cum cæteris ingredientibus omnibus, ſuccis etiam, conferantur.

Sed errare, eſt humanum.

Zvelferus

Zvelferus autem, qui exactiorem computationem instituendam esse, monet, ipse eundem in lapidem impingit; dum ingredientium, *melle excepto*, *uncias quatuordecim*, & *drachmas quinque* esse, scribit; cùm eorum si multò exactior fiat computatio, *unciæ quindecim*, *drachmæ quatuor* & *grana quinquaginta novem* deprehendantur.

Alia exactissimæ Zvelferi computationis exempla supra aliquot jam exhibui.

ELECTUARIUM E BACCIS LAURI RHASIS *pag. 256*, juxta modum ab Augustanis præscriptum, parari posse, concedit.

In *ELECTUARIO CHALYBEATO pag. eâdem*, *Vitriolum chalybis*, vel *Martis*, cum *spiritu vitrioli* factum, *chalybi cum aceto præparato* longè præfert; cùm hic tantopere penetrabilis, & resolubilis non sit, ac pro majori sui parte ita, uti ingestus est, excernatur, quin noxam insuper ventriculo adferat. Quidquid hîc profert Zvelferus, ipse laudatus Electuarij usus refellit; quo *obstructiones feliciter expediri*, observatum fuit.

Quin ipsa *chalybis limatura* toties saluberrimo cum effectu propinata fuit.

Quòd si interdum, uti ingestus est, iterum excernatur *chalybs*, noxamque ventriculo inferat, hoc usui vero nil quidquam derogat, sed abusum redolet.

Hinc nonnulli Practici celeberrimi, à *chalybis* exhibitione abstinendum esse, suadent, ubi excrementa alvi nigro colore ampliùs non tinguntur, ac si foret signum manifestum, non abundare in corpore, vel impediri, quò minùs ferrum rodat, acidum inimicum.

Ex quo etiam, resolubilem satis esse *chalybem crudum* in corpore, patet.

Hac de materiâ multa præclara *Otto Tackenius cap. 28. Hippocrat. Chim.* tractat.

Libet quoque huc adscribere integrum problema, quod *Excell. Dn. D. Joh. Theodor. Schenckius*, *Professor Publicus Jenensis*, *jam* ἐν ἁγίοις, aucto *Collegio suo Problematico Institutionum medicinæ*, *Anno M. DC. LXVIII.* adornato, *sect. 5. num. 18.* de hac materiâ inseruit: *Præstatne chalybem crudum hypochondriacis offerre?* Resp. *Cùm propter modum substantiæ multas partes separatu difficiles chalybs in se habeat, quibus magis debilitetur coctio & calor, plerique præparatum offerre malunt. Nos respectum habentes ad ipsas naturas hypochondriacorum, non planè crudi limaturam rejectamus. Experientiâ enim probatum tenemus, hypochondriacum quendam ℥j. limaturæ hujusmodi beneficio, cum pane butyro illito, manè sumta ad pluscũlos dies continuata, investe-*

inveteratum malum istud profligasse; maximè ubi motio seu deambulatio post adsumtum hocce medicamentum unà instituatur. Ut taceamus, vires integras in crudo, dummodo à calore ille prius fuerit dissolutus, multò potentiùs vim suam exercere. Constat enim ab adsumtione ejus iteratâque, materiam viscidam, granularem, albam, multam, per alvum rejectam, ægrumq; pristinæ sanitati postea restitutum fuisse. Econtra non semel observavimus, à medicamentis chalybeatis præparatis, obstructiones, siccitates, quin dolores majores obortos fuisse, quin ipsa intestina aliquando erosa, uti Johanni Travizio, Medico Practico clarissimo, contigit Lipsiæ, qui doloribus ventris atrocissimis miserè periit.

Ipse quoque Zvelferus, *pag. 194. & seqq. Apolog. contra Tackenium*, suo se gladio jugulat, dum pro *crudi Martis* usu salutari militare cogitur.

Quanquam vicissim *Mantiss. Spagyr. class. 1. cap. 3. pag. 335.* metalla, & in specie *Martem*, nisi in principia & elementa chimica redigantur arte & industriâ, Viri boni remedia haud esse, temerè deblateret.

Ubi tamen, *Martis* in *vitriolum* redactionem, veram in principia & elementa chimica resolutionem, minimè dici posse, & consequenter *vitriolum* illud Viri boni remedium non esse, quod tamen in reformato hoc Electuario commendat, contra Zvelferum obiter notare, juvat.

Nec certè quisquam sibi persuadeat, Electuarium præsens, cum *ferri vitriolo*, ad mentem Zvelferi confectum, salutarem semper producere effectum, cùm & ipsum, minùs ritè propinatum, ventriculo aliisque visceribus noxam adferre queat.

Utrùm autem ab *unciis quatuor* talis *vitrioli* Electuarium palato gratius, quàm ab *unciis septem chalybis præparati*, evadat, dum ille sapore non tam notabili, ac *vitriolum*, quod non usque adeo grati saporis, præditus est, aliis decidendum relinquo?

Species aromatici rosati haud efficacius, sed nauseosum potius reddere Electuarium, pernegatur. Si quis enim specierum istarum vires perpendat, eas Electuario huic auxiliares præbere manus, facilè intelliget.

Nec video, quid tantopere nauseosi in dictis speciebus contineatur?

Rhabarbari exiguam quantitatem compositioni huic nil quidquam conferre, & de eo meritò effari posse: quid hoc inter tam multa? mera est inscitia.

Quis unquam *rhabarbaro* vires hepaticas dubias reddidit, quæ in hoc medicamento expetuntur?

Rhabarbarum cum aliis, liceat *Magni Rolfincij* verbis, *sect. 12. artic. 1. cap. 10. tract. de purgantib. vegetabilib. notatis*, uti, *quæ epar cæteraq; viscera deobstruunt & roborant, mistum, aperiendo & roborando mirificè eorum vires adauget.* Ubi etiam *animam, vitam & Theriacam epatis* adpellari, memorat.

Unde

Unde vel ex hoc patet, quòd Zvelferi in medium adducta quæstio nullius sit valoris.

Quid si vicissim ex Zvelfero de *olei macis scrupulo uno* interrogaretur: *quid hoc inter tam multa?* Totius enim compositionis tantùm *octingentesima & vigesima pars* est.

Quò CONDITUM PRO FAMILIA ANTIDOTALE STAPEDII *pag. 257.* legitimè paretur, necessum esse, ducit, ut *grana juniperi recentia, nec nimis exsiccata,* & *caricæ* ac *nuclei juglandes* diu multumque in mortario lapideo, cum liquore aliquo irrigata, contundantur, & per cribrum setaceum, instar pulpæ, trajiciantur: Cur *grana juniperi* recentia sumi debeant, nullam singularem causam video; exsiccata enim magnis pollere virtutibus, vel potius, apta esse, ut Electuariorum, de quibus hîc sermo est, compositionem intrent, nec Zvelferus diffiteri potest; qui ipse *pulverem baccarum juniperi*, & consequenter *baccas juniperi* exsiccatas adhibet; ejus rei *Theriacâ simplici Pharmacop. Reg. pag. 176.* exemplum suppeditante.

Illa tamen grana, quæ, sive nimiam vetustatem, sive violentam exsiccationem experta fuerint, minùs idonea esse, non abnego, neque ab Augustanis ea commendari, observo.

Caricas, & *nucleos juglandes* in pulpam non contundendos esse, (quanquam Augustani hoc propriè non præcipiant) animadversiones Zvelferi in *Diacorum Mesues* evincere posse, videntur; in quo dum Augustani *radices,* & *nucleos pineos* in pulpam contritos, non sine causâ, præscribunt, Zvelferus, reformandi œstro incitatus, contrarium suadet; hîc autem, ut aliquid animadvertisse videatur, circa *caricas,* & *nucleos juglandes* diversam iterum rationem adprobat, Augustanorumque ad partes, antea à se rejectas, sponte accedit.

ELECTUARIUM CONTRA DYSENTERIAM D. D. PHILIPPI HÖCHSTETTERI *pag. 258.* easdam, quas *Antidotus Matthioli*, mereri laudes, irrationabiliter cavillatur; quia *ex novem diversis compositis & ducentis ingredientibus ejus compositio conglomerata sit, ita ut in infinitum procedente atomorum divisione hîc opus foret, si singulorum ingredientium, quantum de unoquoque ad quamlibet dosin accederet, exacta institui deberet computatio.* Quid de hoc dubio decernendum sit, illa, quæ in *Antidoti Matthioli Examine* dicta fuerunt, repetantur.

Interea ex *novem diversis compositis* constare hoc Electuarium, calculus, vel obiter subductus, non admittit. Nam præter *Theriacam Andromachi*, & in eâ contentos *Trochiscos scilliticos*; *viperinos*; & *hedychroi*; nec non *Trochiscos de spodio*; *de terrâ sigillatâ*; *Ramich*; *Galiæ moschatæ*; *Species diar-*

rhodon.

rhodon Abbatis; insuper *Conserva* etiam *rosarum rubrarum vitriolata*; & *pimpinellæ sanguisorbæ*; ut & *Sirupus ex rosis siccis*; atque *myrtillorum*, in eo conspiciuntur; quæ omnia Compositorum nomine utique digna sunt.

ELECTUARIUM DE SCORIA FERRI RHASIS pag. eàdem, juxta modum præscriptum parari posse, concedit; usum autem ejus se ignorare, profitetur, atque eos, qui adstrictoriam vim indè sibi pollicentur, decipi, testatur. Cùm modus præparandi censuram non incurrat, frustrà de usu medicamenti præparati litem movet Zvelferus; dum ipse non in compositionem, usumve medicamentorum, sed unicam præparationem animadvertere, sibi proposuit.

Cui autem fini ab Augustanis olim, cùm adhuc in usu esset, destinatum fuerit, scire, parùm refert; ejus usu, quod Zvelfero literæ minores indicarunt, jam obsoleto reddito.

Interea, qui adstrictoriam vim indè frustrà expectari, profitetur, is decipit, & decipitur.

ELECTUARIUM DIURETICUM BARTHOLOMÆI MONTAGNANÆ pag. eàdem, iniquè rejicit, ejusque eradicationem exoptat.

Quod licet, ob temporis ita ferentis conditionem, Augustanis in usu esse, desierit; cur tantâ tamen exagitatione dignum sit, non video; cùm in præparatione, de qua controvertitur, nihil acerbâ animadversione, aut correctione indigum reperiatur.

Unde si quis talium animadversionum examen instituere vellet, is *vix ab indignatione se temperare posset, quoties vel blandis oculis hanc Zvelferi animadversionem adspiceret.*

ELECTUARIUM GUIDONIS CONTRA PESTEM, QUOD ALII ELECTUARIUM PAPÆ VOCANT; necnon ELECTUARIUM DE OVO MAXIMILIANI I. IMP. P. F. AUG. *pag. 259.* facilis præparationis esse, fatetur; hoc tamen præ illo inconcinnius sibi videri, scribit.

De *ovi* quidem *vitello*, in frontispicio ELECTUARII IMPERATORII posito, 1. multa dicenda esse, monet, an is tam singulare alexipharmacum sit? interim tamen, brevitatis causâ, nihil decidit. Quare & mihi, de eo tacere, libet.

2. *Vitellum* testâ inclusum *impedire*, objicit, *quò minus sine combustione Crocus exsiccari possit. Nam*, pergit, *ovi testa, quamdiu integra & incombusta perstat, vitelli unctuositatem & humiditatem haud facilè exhalare sinit, quod provida Natura jam dudum pravidit, & nostra irrita conamina ridet, quasi*

verò nostris ineptiis auscultare deberet. Si Augustani similia scripsissent, proh! quantum Zvelferri cachinnum & rigorosam censuram experti fuissent!

Quis Augustanorum hìc *vitelli*, in testâ suâ inclusi, exsiccationem tradidit?

An *ovi* testam integram sumi debere, volunt? Annon *albumen* per foramen testæ inflictum educitur?

Annon in calore temperato diuturniori *vitellus* in integrâ testâ conclusus crassescit, suamque fluiditatem amittit?

An Augustani, *croci* in *ovi* testâ combustio ut fiat, volunt?

Ubi,& quomodo provida Natura, *vitelli* unctuositatem & humiditatem per lentam assationem non facilè exhalare, prævidit?

Quis providam Naturam ridere conatus nostros, vidit?

Quis eam ineptiis nostris, quæ nullæ sunt, auscultare cogit? Num verò ineptiis Zvelferi, quas illo verbo: NOSTRIS, fortè indicat, auscultet? me non angit.

Ipse econtra monet, sedulò observandum esse, ne *crocus* cum *vitello* permistus, leniterque assatus comburatur; sed post aliqualem assationem, è testâ exemtus, unà cum *vitello*, reliquis speciebus permixtus, totaliter exsiccetur. Verùm nec contrarium Augustani volunt; dum *crocum*, *vitello ovi* in testâ commixtum, assare præcipiunt, *diligenter cavendo, ne crocus comburatur.*

Deinde assatam hoc modo materiam, *crocum* nimirum cum *ovi vitello*, *è testâ exemtam* demum, non autem testæ adhuc inclusam, *exsiccari*, jubent.

In ELECTUARIO PAPALI ineptam & incongruam multorum ingredientium farraginem accusat, sed non demonstrat; sicque eâdem facilitate, ineptè & incongruè illam ingredientium conjunctionem ineptam & incongruam à Zvelfero vocari, repono.

In specie vitium esse censet, quòd *Conservæ* nonnullæ eidem adjungantur, quæ efficiant, quò minùs Electuarium hoc in liquoribus dissolvi queat, quin semper flocculi à floribus contusis supernatent. Ast nec Electuarium hoc in liquore aliquo, ubi in usum trahitur, dissolvere, necesse est, nec ab Augustanis præcipitur.

Et licet quandoque, ægroti conditione sic postulante, liquidâ in formâ exhibeatur, prudens Pharmacopœus probè novit, non ita ruditer solutum, sed prius colatum, vel per setaceum transmissum, ad ægrotum amandari debere.

Accedit, quòd nonnulli Pharmacopœi *Conservas* non, nisi prius per setaceum transmissas, in hujusmodi Electuaria recipiant.

Quin ipse Zvelferus, non solùm radices & fructus quadratè incisos, & aromata

aromata crassiusculè contusa, sed etiam *Conservas* suis Electuariis aliquando immiscet; cujus exemplum *Electuarium*, sive *Confectio hepatica calida Pharmacop. Reg. pag. 184*, aliaque Classis illius medicamenta ostendunt.

Unde eadem ipsum tangit animadversio, hîc Augustanis scripta. Radices enim quadratè conscissæ, aromata grossè contusa, & *Conservæ* ægrè in liquoribus dissolvi possunt, quin semper radices illæ tessellatim incisæ, & aromata grossè confracta, vel supernatent, vel fundum petant, & difficulter cum liquore deglutiri queant; *Conservæ* autem flocculos liquori supernatantes exhibeant.

In *MYCLETA NICOLAI MYREPSI pag. 260.* imprudenter *semina, & myrobalanos* in *aceto* macerari; hoc autem, cujus non multum requiri statuit, haud effundendum, sed unà cum speciebus dictis leniter exsiccandum esse, observat. Verùm, cur *seminum & myrobalanorum* in *aceto* maceratio imprudenter fieri, ipsi dicatur, ignoro. Interea imprudenter hoc à Zvelfero adstrui, repono.

Nec multum de *aceto* pro maceratione requiri, ipsi Augustani his verbis: *macerentur in modico aceto vini*, innuunt. Multò minùs *acetum* effundendum, sed potius speciebus, inter exsiccandum, subinde adspergendum esse, monent.

In PHILONIIS: *MESUES*; PERSICO EIUSDEM; MAIORI, SIVE ROMANO NICOLAI MYREPSI, *pag. 261*; & *TARSENSI GALENI pag. 262.* præparandis, nihil notat, sed cavere sibi istos, tantùm vult, quibus illa frequenti in usu sunt, ob *opium* non ritè prius præparatum, ac *semina*, præcipuè *hyoscyami*, in largâ satis quantitate illis addita. Ast innocuum *opij non torrefacti, seminumq; hyoscyami albi* usum, in *Laudani opiati Examine*, jam ostendi; & absque incommodo *Philonium Persicum*, atque *Romanum* (reliqua duo enim medicamentorum obsoletorum catalogo adnumerantur) à prudenti Medico in usum trahi, crebra experientia ostendit.

Unde, meo quidem judicio, utrumque, non sola *Confectio Archigenis*, in pharmacopoliis prostare, ac in medicum usum trahi potest.

Si verò periculum ab *opio*, tostione non castrato, *seminibusq; hyoscyami* imminet, non solùm illos, quibus hæc *Philonia frequenti in usu sunt*, sed etiam eos, quibus minùs frequens, & rarus satis horum obtingit usus, cavere sibi decet; quia vel semel peccâsse, Medico piaculum esto.

Confectio *pag. 262.* REQUIES NICOLAI dicta, nil singulare monendum Zvelfero exhibet, nisi quòd *tragacanthum* prius in *aquâ rosarum*, deinde *saccharum* solvendum sit; quibus tandem pulveres reliqui, & *opium*

præparatum &c. artificiosè jungantur. Ita est; præparatio hujus medicamenti ut ritè succedat, Pharmacopœo, *artificiosè* jungere ingredientia incumbit; qui etiam vel modicè peritus, officio suo hîc satisfacere potest, & leves istas animadversiones *pro ludibrio nunc & in posterum habebit.*

Utrùm *facchari canthi drachma una* acutè addatur, nec ne? parùm refert. Sufficit, non inutiliter eam comiſceri, vel præparationi nihil derogare.

Plurima his similia in *Pharmacopœiâ Regiâ* observantur, quæ tamen adducere nolo; cùm hæc, & illud erroris insimulari nequeant.

Ratione præparationis ELECTUARII DIASATYRIU NICOLAI, *pag. 263*, cum Zvelfero, *Diacorum Mesues* consulendum esse, suadeo.

ELECTUARIUM MAGNANIMITATIS *pag. eàdem*, juxta normam, in *Dispensatorio Augustano* præscriptam, confici posse, equidem non diffitetur, consultius tamen fore, arbitratur, ut Electuario præcedenti, quod in hujus fronte, tanquam ingrediens aliquod, ponitur, nonnullæ saltem hujus species addantur, sicque majori cum fructu in usum trahi possit; ne officinæ tot tantisque scaterent vetustate consumtis compositis; & medicamenta quoque tali modo efficaciora nobis fore, autumat. Hac methodo plures Zvelferi compositiones exagitare liceret. Siquidem huic vel illi composito, modò aliqua ingredientia detrahi, modò adjungi, à prudenti & perito Medico, possunt; unde vel medicamenti vis quodammodo infringetur, mutabitur, vel augebitur.

Electuario Diasatyriu, cui, pro variâ intentione, Medicus quædam addere potest, sua debetur laus; nec propterea *Electuarium magnanimitatis* exulare tenetur.

Ac licet unum in effectum conspirent, utrumque tamen in Officinis publicis admitti potest.

Aliàs nec duos *Sirupos coralinos*, tres *nephriticos*, duos *mercuriales purgantes*, duo *Extracta antipestilentialia*, duas *Confectiones cordiales* &c. in *Pharmacopœiâ suâ Regiâ* commendare Zvelfero, licuisset.

Sed mitto hoc, cùm πάρεργον sit, & contra præparationem neutiquam militet.

DIASCORDII HIERONYMI FRACASTORII *pag. 264.* dextram & genuinam præparationem ex *Animadversionibus super Confectionem Archigenis* optimè elucescere, scribit. Quam itaque revolvere, Lectorem moneo.

De *Conservæ rosarum* additione, *Electuarij Guidonis* paulò supra traditum *examen* consulatur.

Inter TRYPHERAS, MAGNAM NICOLAI, *pag. eàdem*; *MINOREM PHOENONIS MESUES*; & *SARACENICAM EIUSDEM*

DEM pag. 265, prima cumprimis Zvelfero arridet. Cæterùm *myrobalanorum* in *secundâ* cum *butyro* assationem, & in *tertiâ* eorundem cum *butyro*, ut & reliquorum ingredientium cum *oleo amygdalorum dulcium* fricationem, haud benè, & ridiculè præcipi, statuit. Sed quæso, cur malè illa præparatio audit? cur tantopere ridicula videtur?

Joh. Jacob. Weckerus Antidotar. general. lib. 3. cap. 29. myrobalanos butyro vaccino, & cæteras species cum *oleo amygdalorum dulcium* in *Tryphera Phanonis* &c. involvi, testatur, ne partes nutritorias valenti adstrictione suâ exasperent.

Verùm nihil hæc ad Augustanos, quibus sola *Tryphera magna*, in qua nullum ingredientium cum re pingui fricatur, placet, atque usurpatur.

In *ELECTUARIO VITÆ ARNOLDI DE VILLA NOVA pag. 266*, majorem aquæ quantitatem, pro *passularum majorum* virtute per cocturam perfectè eliciendâ, requiri, 1. objicit. Hoc licet adhuc controverti posset, Augustanos tamen non tangit, qui *aquæ fontis uncias quindecim, aut quantum satis*, pro coctione illâ, præscribunt.

An ergo major aquæ quantitas, pro perfectâ virtutum è *passulis* extractione, requiritur, quàm *quantum satis* est?

2. *Saccharum* cum decocto ad crassiorem Sirupi consistentiam coqui debere, animadvertit, si Electuarij consistentia expetatur. Verùm Augustani dum simpliciter ad formam Sirupi, dictam coctionem fieri debere, monent, nihilominus debitam Electuarij consistentiam sibi procurant; Alia enim Electuaria crassiora sunt; alia verò molliora, quæ tamen & ipsa tractu temporis magis magisque inspissantur.

Quòd si quis *Confectionem anacardinam cephalicam* Zvelferi *pag. 281. Pharmacop. Reg.*, cum hoc *Arnoldi Electuario* attentè conferat, parvam inter utrumque medicamentum, ratione consistentiæ, differentiam deprehendet; imò si Zvelferi adductum Electuarium debitâ gaudet consistentiâ, eandem multò magis huic, Augustanorum in Dispensatorio memorato, competere, fatebitur.

Ut jam nil dicam de Siruporum consistentiâ, qui crassiores, dilutiores, vel inter utrumque medij, ceu communiter solent, esse possunt; atque ita Pharmacopœus, artis peritiâ & ratione instructus, ipse, qualisnam hîc expetatur, dijudicare valet.

Sed & hæc Confectio Augustanis in usu esse, jam dudum desiit.

SOTIRELLÆ PARVÆ *pag. eâdem* si *opium* ritè præparatum & purificatum additum esset, *Laudani opiati* vices eam supplere; sin verò doloribus

loribus dentium duntaxat dicata sit, ut eorum cavernis indatur, modo ab Autore proposito parari eam posse, animadvertit; *camphoram* autem in *oleo caryophyllorum* solutam admiscendam esse. Supervacanea planè hæc est animadversio.

Dentium enim dolori medicamentum hoc, ipsorum cavernis inditum, commendari, clarè satis ab Augustanis innuitur.

Quanquam purificatum si sumatur, usum internum, *Laudani opiati* instar, minimè recuset.

Camphoram in *oleo caryophyllorum* dissolvere, vel alio modo admiscere huic medicamento se posse, Pharmacopœi jam dudum cognovêre.

Ipsam autem hanc Zvelferi animadversionem *Sotirellæ ipsius*, sive *Massæ ad dentes Pharmacop. Reg. pag. 186.* adplicare licet; quæ & denti dolenti imponi, & *Laudani opiati* vices supplere valet; quia *opium correctum* recipit.

Quod tamen *opium correctum* addere, an necessarium sit? hæreo; siquidem *Sotirella* ista, prout titulus & adsignatus usus comprobat, solis dentibus dolentibus commendatur; quibus tamen *opium crudum* non incomodè destinari, adducta Zvelferi animadversio testatur. Si igitur eundem effectum *opium crudum* cum *præparato*, tali in casu, sortitur; cur laboriosâ præparatione & purificatione ejusdem Pharmacopœos onerat?

Camphoram pariter in suâ *Sotirellâ* præscribit, sed ejus dissolutionem cum oleo aliquo minimè præcipit. Si autem necessariò *camphora* cum oleo aliquo solvi prius debet, antequam reliquis conjungatur, cur illud in suo medicamento non præcipit? Sin minùs necessaria est ista solutio; cur eandem, ab Augustanis clarè non expressam, exigit?

CONDITA, *pag. eàdem*, quamvis peritiores Pharmacopœi perpulchrè conficere sciant, unicum tamen admonere, libet Zvelfero; ne scilicet aqua, cum qua res condiendæ prius decoquuntur, vel emolliuntur, abjiciatur; sed cum eâ *saccharum*, quod ad condituram adhibetur, dissolvatur & percoquatur, sicque virtus in eâ contenta reliquo corpori reddatur. Illorum autem modum, qui fructus & flores statim cum *saccharo* coquunt, & sic unâ operâ emolliunt & condiunt, præ aliis commendat. Hæc licet Augustanos propriè non tangant, unum tamen & alterum in hac animadversione obiter notare libet.

1. Non simpliciter concedi potest, aquam, in qua res condienda prius decocta & macerata fuit, iterum in conditurâ ipsi reddendam esse, v. g. in *cichorij radicibus*, in quibus amarities illa nimia multis nauseosa existit, quæ per infusionem cum aquâ ex parte prius demitur; præcipuè ubi refrigerationis gratiâ radices illæ conditæ adhiberi debent; si amara, juxta Zvelferi quidem

dem regulam, in *Muchari rosarum Animadversionibus* positam, non refrigerare, sed calefacere, dicamus.

2. Licet per aquæ prædictæ additionem, & cum *saccharo* decoctionem, Condito pars crassior, sive terrestrior rei conditæ, ab aquâ extracta, imprimatur; quia tamen pars subtilior, aromatica nonnunquam, & fragrantissima, quam aqua in se recepit, per coctionem exhalare cogitur, minùs artificiosum, secundùm ejusdem Zvelferi hypothesin, dicendum erit artificium; cùm in parte illâ subtili, fragrante, & penetrante major, quin, uti ex Zvelferi locis, hactenus aliquoties citatis, patet, omnis virtus residet; pars autem remanens terrestris effœtum & inutile crassamentum dicitur; quod ideo, in aquâ contentum, caput mortuum, *saccharo* adjungere, haud proficuum semper esse potest.

3. Qui fructus & flores statim cum *saccharo* coquunt, an semper benè agant, cùm sæpe sæpius pars aromatica & subtilis, si quam habent, tali modo perdatur, quivis judicare, citra aliquam difficultatem poterit.

Hi tamen non semper simul emolliunt & condiunt. Flores enim, quales ab Augustanis ad condituram trahuntur, emollitione vix opus habent, *aurantiorum* nimirum, *citriq; flores*, quos recentes huc trahere, necesse est, si ob fragrantiæ, per exsiccationem, jacturam, Zvelferi effugere censuram quis velit. Nec omnes fructus emollitionem efflagitant, quod *cerasa acida*, *citri caro*, *ribes* &c. testantur.

In CONSERVARUM SIMPLICIUM *pag. 267.* præparatione nihil contra Augustanos adfert. Interea multa adducere se posse, gloriatur, quo modo flores integri pulchrè *saccharo* condiri possint, (sed hac ratione non Conservæ florum, sed Conditi nomen, de quo in præcedd. agitur, reportabunt) & similia; quæ tamen exercitatos Pharmacopœos latere nequeunt.

In CONSERVA HEDERÆ TERRESTRIS COMPOSITA *pag. 268.* observandum esse, monet, quòd radices prius in tenuissimas taleolas conscindendæ sint; ne Conservam filamentis refertam efficiant. Hoc verò neque periti Pharmacopœi ignorant, neque ab Augustanis omissum fuit, id quod ipsorum verba: *ex incisis & contusis fiat Conserva*, clarè satis indicant.

DIACYDONIUM SIMPLEX, & AROMATISATUM *pag. cit.* juxta modum præscriptum parari posse, admittit,

EXA-



EXAMEN
APPENDICIS IN CLASSEM DECIMAM QUARTAM
De Salibus Theriacalibus.

NOn diu huic materiæ immorabor; cùm *Salium Theriacalium Antiquorum* usus apud nos jam eviluerit, qui potius volatile illud, tanquam, in certis casibus, multò efficacius, adhibendum esse, non diffitemur.

Quanquam illa propterea omni virtute destitui, censeri minimè debeat.

Sincerum de his prostat *Galeni* judicium, *cap. 18. de Theriacâ ad Pisonem* consignatum; ubi, *Facit autem*, inquit, *& hic Sal ad omnia, quæ ante diximus, sed modicè facit, nec nisi longo post tempore remedium adparet: si quis tamen frequenter eo utatur, sensim auxilium adfert. Unde plerique hoc Sale medicati, cùm inter initia celerem remedij sensum non habuissent, ne prorsus quidem ipsum conferre, arbitrabantur, præsertim cùm redactum in cinerem, vim medicam incendio amisisse, censeant. Equidem ut Antidoto parem facultatem non habere Salem, adfirmo; sic omnem ipsius vim aboleri, penitus nego.*

Dioscorides etiam Sal hoc minori efficaciâ, quam *carnem viperarum*, pollere, *lib. 2. cap. 16.* testatur.

Quod de *Pulveris viperarum* facultate ad morsus harum bestiarum, dubium movet Zvelferus, meum non faciam; nec defendendum in me suscipiam, quòd solus *viperarum* aliorumque *serpentum pulvis*, præsumtus, vel etiam si post venenum, per morsum corpori communicatum, sumatur, tantæ sit energiæ, ut homo demorsus nihil indè periculi sibi metuendum habeat; cumprimis dum probè cognitum mihi sit, de alexipharmacæ, *carni viperinæ* adscriptæ, virtutis fide, multos præclaros Viros dubitâsse.

Sic *Joh. Ingolstetterus*, *pulverem colubrinum* plus prodesse venditoribus & præconibus, quàm ulli ægro, fatetur, additque: *Non ita temerarius fui, ut fiderem*

fiderem soli in venenatis affectibus. Praeconia illa magnifica, mihi semper suspecta fuerunt; eoq́, cum ratione uteretur nemo &c. Nos relinquamus ista & similia Thrasonibus, qui crepant experientiam, ignorantes, quæ, & quot ad eam requirantur. Vid. *Joann. Hornungi cista medica, epist. 221.*

Eundem impugnat usum *Clarissimus Caspar. Bauhinus Append. tractat. de lap. Bez., cap. de bezoard. animali.*

Augustani quoque nullam ejusmodi Pulveris descriptionem Dispensatorio suo inesse voluerunt; cui tamen Zvelferus *pag. 212. & 213.* aliquot, præter rationem, adglutinavit.

De *viperis*, sine periculo à nonnullis pro lubitu tractatis, discursum excutere, instituti ratio non permittit.

Non solùm autem, ob duas à Zvelfero adsignatas causas, illud fieri, sed plures insuper dari, si *Trochiscorum viperinorum Examen* conferatur, unicuique patefiet.

Et quis omnes Circumforaneorum fraudes, quibus spectatoribus, auri aucupandi gratiâ, imponunt, detegere valeat? Ad quid enim non auri sacra fames mortalia pectora cogit?

Ipsam postea *Salis Theriacalis Antiquorum* præparationem adgreditur, quam tam infantilem ac absurdam esse, calumniatur, ut nullibi Veterum simplicitas dilucidiùs, atque in illa, adpareat. Cui tamen intempestivæ reprehensioni *Tackenius cap. 2. & 11. Hippocrat. Chim.* obviam ire, nititur.

Non diffiteor, multò præstantiora ex *viperis*, quàm talismodi sal est, præparari posse medicamenta; interea tamen cum tanto furore, ac *viperino morsu, imagine iræ, veneno illaudabili, imbuto*, in Veteres, Præceptores nostros, qui fundamenta artis nobis pro viribus tradiderunt, ulteriusque excolenda reliquerunt, debacchari, haud Viri boni, docti, & sapientis, sed impotentis potius, puerilis, ac imprudentis animi indicium existit. Non omnia simul inveniuntur, excoluntur, & perficiuntur. Nec adhucdum artificiosa, medicamenta parandi ratio finem consecuta fuit. Errare, proprium est humanæ naturæ; sicut nunquam labi, divinæ competit.

Post multa secula; verbis *Tackenij* utor, *fortasse ridebitur & Reformator, quòd tam absurda, suo tempore scripserit*; imò, & hac jam ætate, absurdas Zvelferi sententias & ἀναλογίας risui exponere, cogimur.

Ipsi Veteres, velut ex antea citatis *Galeni*, & *Dioscoridis* locis constat, Salium istorum tantam non esse efficaciam, probè sciverunt; unde nec eosdem sesquipedalibus verbis commendarunt, aut specioso, *regio* &c. nomine exornare voluerunt.

Auguſtanorum in Officinis Salia hæc non neceſſariò proſtant; nec ut proſtare debeant, eorum hîc fit mentio; ſed tantùm ferè, ne ignorentur.

Præparationem verò antiquam ideo rejicit, quia poſt violentam calcinationem, ſola terra mortua, omni virtute medicâ exuta, ſalinisque partibus ſpoliata, relinquatur; cui ſi parum ſalis fixi inſit, & forſitan *ex mille viperis vix uncia una*, id tamen tanti precij non eſſe, quin potius alterius cujusdam ſalis fixi vires æmuletur, ſtatuit. Poſito, ſal volatile omne avolare, an id, quod remanet, *terra* ſcilicet *mortua*, uti Zvelfero dicitur, *& oſſa, ſalinis partibus ſpoliatum* eſſe, dici poterit? Neutiquam; dum enim, uti non negat Zvelferus, aliquid ſalis fixi, licet haud in magnâ quantitate, (de qua ſermo mihi hîc non eſt) remanet, terra iſta mortua, *omni virtute medicâ exuta, ſalinisq́ partibus ſpoliata*, non ita generaliter dici poteſt. Quippe ſali fixo ſalinas partes denegare, eſſet, ſal, non ſal vocare.

Sal inſuper fixum tanti precij non eſſe, & vires ſolùm alterius ſalis fixi æmulari, è Zvelferi fundamento (cui tamen minimè ſubſcribo) negari poſſet; dum *pag. 121. Apolog. contra Tacken.* ſcribit: *Scimus, mi Tackeni, etiam obmuteſcente tuâ Suadâ, in cinere ſalem, in ſale, tanquam in gremio cujuscunque entis, aut vegetabilis, ſemina, quin & plaſticam virtutem, latitare.* Si itaque in ſale, è cineribus elixiviato, ipſius vegetabilis, cujus ſal eſt, ſemen & plaſtica virtus ineſt, utique etiam multis paſſibus ſalia, è diverſis rebus producta, à ſe invicem diſtabunt.

Cæterùm parvam cinerum *viperarum* combuſtarum quantitatem ſingulis doſibus accedere, Zvelfero negari nequit; quibus tamen ſolis omnes virtutes Veneranda Antiquitas non adſcripſit.

Unde *viperis* incinerandis alias quoque ſpecies incinerandas, nec non poſt incinerationem nova alia ſimplicia Ipſam ſuperaddidiſſe, conſtat.

Parum etiam refert, ſi parva cinerum quantitas ſit; quia illi, terra mortua & inutilis, juxta Zvelferi deciſionem, dici debent.

Aſt in *Salibus Theriacalibus* Zvelferi, *ſeq. pag. 278.* deſcriptis, parum de virtute viperinâ, à brodio illo ſingulis doſibus accedere, cuivis, calculum ſubducenti, quoque innoteſcet.

Ulterius inſtat Zvelferus, & quòd nonnullæ ſpecies ante combuſtionem in trochiſcos redactæ fuerint, miratur. Sic placuit Antiquis; nec eo ipſo tam magnum errorem perpetrarunt.

Quamvis non ſine ratione à Veteribus trochiſcos, præ ipſis integris ſpeciebus, expetitos fuiſſe, ſuſpicari liceat; non tamen, ut ad combuſtionem eas hoc modo aptas redderent (quod ſcomma eſt Zvelferi) reſpexiſſe ipſos, dici debet.

Scillam,

Scillam, quæ pariter additur, non ex ſolâ aquosâ & volatili ſubſtantiâ conſiſtere, in *Examine Trochiſcorum ſcilliticorum* animadverti.

Denique non cineres, ſed carbones integros, peractâ calcinatione, & ollâ reclusâ inveniri, objicit, ſubjungens: *Verùm, carbones ſali permixtos exhibuiſſe ægris, id equidem inſulſum planè & abſonum eſt, quippe illi ipſi ferculum fecêre nimis ingratum, quodq́ vel ſolo intuitu ſtomachum movere potuerit.* Non usque adeo gratum eſſe poſſe medicamentum hoc, per ſe exhibitum, quis neget? Unde etiam *Dioſcorides*, plerunque cineri, ut ori gratior evadat, *ſpicam, folium nardi, aut malabathrum* immiſceri, ſcribit.

In illâ autem *Salis Theriacalis* deſcriptione, quam Auguſtani adducunt, alia ſimul ſimplicia adduntur, quibuscum iſta medicamenti, guſtui ingrata, qualitas emendatur.

Accedit, quòd non carbones integros, ſi tales poſt combuſtionem deprehenſi fuerint, ſed prius ſubtiliter pulveriſatos, exhibere, conſuetudo fuerit; uti hoc ex *Dioſcoride*, & *Galeno* ſufficienter patet.

Quare nullum carbonum fruſtulum, quod oculis oblatum nauſeam movere potuiſſet, conſpicere licuit.

Quanquam dubitari adhuc queat: an carbones ſolùm, & non majori ex parte cineres per celebratam calcinationem adquiſiverint? Non enim illa in vaſe clauſo, ſimpliciter, ſed ollâ, operculo, ſpiraculis ſeu foraminibus pervio, occlusâ, inſtituta fuit.

Confectiones viperinæ Quercetani, non usque adeo, ſecus ac putat Zvelferus, de nihilo ſunt.

Nonnullorum Italorum parandi *Sal viperarum* mos ad Auguſtanos non ſpectat; nec multùm à Zvelferi præparatione diſcrepat; ſi nimirum *viperas* cum aliquot *ſalis marini* libris in aquâ coquant, & liquorem iterum in ſal cryſtallinum redigant; cùm Zvelferus *Salia alcalia* quorundam vegetabilium cum aliquot *viperis* coquat, iterumque inſpiſſando in cryſtallos cogat; vel etiam cum *ſale gemmeo*, ſive *marino* coquat, atque ſali cryſtallizato odorem *ambræ*, & nonnullorum oleorum conciliet.

His ita diſcuſſis, ad genuinas ſalium, ex *viperis*, aliisque animalibus conficiendorum, præparationem progreditur; & in hoc opere imprimis ſe caviſſe, ac à nullâ re magis abhorruiſſe, præfatur, quàm ſcripta ſcribere, aliena corradere, ac non intellecta mendacia, eaque abſurdiſſima, adfirmare.

Quod an ita ſe habeat, meum non eſt, operoſiùs inquirere; cuilibet tamen ulteriùs de his cogitandi anſam traditum hactenus ipſius Animadverſionum Examen, tum quæ jam ſubſequentur, ſuppeditare poterunt.

Quod animalium, *viperarum* imprimis, in ſal volatile, deſtillationis ope, reſolutionem attinet, ſuo illa ſtat vigore; quam ante Zvelferum, per plurimos annos, cognitam jam fuiſſe, nemo Chimicorum tam rudis eſſe poteſt, qui ignoret; quibus ſubinde aliæ aliæque, in reſolutione iſtâ utiles, ἐγχειρήσεις obſervandæ occurrunt.

Cùm autem ſal hoc ſummè volatile ſit, & difficulter à fugâ coërceri poſſit, variè à variis tum ejus, tum conſimilium fixatio, ſive fugæ inhibitio, inſtituta fuit; ſcilicet per ſalium ſolutionem in propriis ſuis ſpiritibus, in quibus nempe diutius ea conſervari, crediderunt; item mediante aëre, ubi pars aliqua eorum auras petit, reliquum verò fixum remanet; cum *ſale tartari fixo*, vel alio conſimili lixivioſo; *arcano tartari*; *calce vivâ*; capite mortuo aliquo, v. g. *cornu cervi uſto* &c.

Zvelferus etiam hîc ſuum (ſi ipſius ſit) commendat artificium; quo *ſpiritum ſalis communis rectificatum* ſali volatili, ad hujus ſaturationem, ſive quousque nulla ampliùs contrarietas, vel ſtrepitus percipitur, infundit; eoque ipſo novam aliquam *Salis ammoniaci* ſpeciem producit, ſimilem illi, cujus, ſub nomine: *Salis ammoniaci artificialis, ex ſtillatitiis ſanguinis ac ſalis liquoribus coaliti*, *Ant. Gunth. Billichius lib. 1. obſervat. ac parodox. chimiatr. cap. 8.* mentionem facit.

Sal Armoniacum, verba produco *Angeli Salæ ſect. 1. aphoriſm. chimiatr. 38, duabus partibus eſt compactum, ſale videlicet volatili, quod in fuligine lignorum, ſanguine item, atque urinis animalium reperitur; & ſale communi. Id quod evidenter apparebit, ſi partem ſalis volatilis cum debita ſpiritus ſalis communis quantitate ad artis præſcriptum miſceas: ſal inde Armoniacum, ejusdem cum ſale Armoniaco vulgari qualitatis conficiens.*

Sic ſpiritus ſalis ammoniaci urinoſus oleo vitrioli miſtus &c. decantatum illud *Glauberi Sal ammoniacum ſecretum* conſtituit.

An ergo tantum arcanum hîc revelaverit Zvelferus, cuilibet, ſiniſtro judicio non præoccupatum animum habenti, judicandum relinquo.

Sed *ammoniacum ſal* hoc eſſe, Adverſam partem nolle concedere, ſcio. Aſt certè, ſi res intimiùs penſitetur, artificioſâ illâ & arcanâ fixatione, vix aliud, quàm *ſal ammoniacum*, purius & ſubtilius quidem illo vulgari, obtinetur.

Conſtat enim ex acido ſale, & urinoſo, in quæ iterum utrumque, tam vulgare, quàm artificiale, per ignem ſolvitur.

Quod ſi ſpecificas illas *viperarum* virtutes obtinere hoc ſal Zvelferi, putes, ne decipiaris, vereor. Per intenſam enim Vulcani violentiam, ac *vi-*

perarum

perarum destructionem productum, virtutibus, quibus *viperæ* ante istam destructionem adhuc gaudebant, plurimùm immutatur; nec, alias virtutes sal hoc, è *viperis* productum, urinosum, quàm reliqua salia urinosa, ex animalibus eâdem normâ parata obtinere, hactenus observatum fuit.

Quis *Sali ammoniaco vulgari puro*, easdem virtutes, quas Zvelferus suo *sali viperino fixato* tribuit, neget? Siquidem *ad extremas usque corporis partes indeperditis viribus penetrare, sanguinem depurare, excrementa tenaciter infixa & veluti assimilata, podagrica præsertim, egregiè resolvere, urinas & cum iis calculosam materiam pellere, melancholicis affectibus putrediniq́; summoperè resistere, diuturnas viscerum obstructiones insigniter reserare, atque exindè orta ac inveterata varia febrium, aliorumq́; morborum genera à Genio domestico sequestrare, propellere*, eodem modo valet.

Cæterùm non opus est, sal volatile magno cum labore prius à liquore sublimare, aut cariorem *spiritum salis rectificatum*, ad Zvelferi imitationem, pro illius salis fixatione adhibere; cùm etiam *spiritus salis vulgaris* non dephlegmatus liquori viperino urinoso, ab oleo, juxta normam Tackenianam, separato, infusus, in eum agat; mutuoque facto amplexu, abstractâ humiditate, sive phlegmate, tum quod à liquore urinoso, tum salso provenit, in salis fixati formam, quod postea, per solutionem in aquâ &c. purificari potest, uterque liquor transeat.

Si verò *omnia acida*, uti Zvelferus fatetur, *naturam salium volatilium immutant; unde fit, ut eadem postea diversas nonnihil edant operationes?* quid cum *fixato* ejus *viperarum sale* fiet? Annon per *spiritum salis* acidissimum (cui etiam *spiritus vitrioli, sulphuris* &c. pariter acidi, substitui possunt) natura ejus immutabitur, ut postea diversas nonnihil edat operationes, sicque non ampliùs summas illas penetrandi vires, putredinem arcendi, obstructiones viscerum reserandi, febribus, epilepsiæ, apoplexiæ, morbis malignis & contagiosis resistendi, ex hoc quidem fundamento, possideat?

Clariùs hoc in *Append. animadvers. pag. 38.* exprimit, scribens: *Acida omnia salsis* (loquitur de volatilibus illis urinosis) *contraria; illa scilicet salsa in aliud ens transmutare solent, acido reciprocè destructo, ut neutrum horum pòst, nec acidum nec salsum nativas suas vires amplius exserere possit.*

Egregiam itaque contrariorum horum salium commistio meretur commendationem, qua *sal viperinum* ab acido sale in aliud ens transmutatur, & destruitur, ut postea nativas suas vires, quas post destillationem obtinuit, ampliùs exserere nequeat!

Quamvis, aliquo modo mutari saltem & ligari salia hæc, sic commixta; non

non verò planè *destrui*, plus quàm notum sit; siquidem facili operâ, addito alcali aliquo fixo, iterum separari ab acido possunt.

Unicum adhuc est, quod ut moneam, Zvelferus ansam exhibet, dum sic de fixato sale suo scribit: *Sal in fundo cucurbitæ relictum boni est odoris, subacidi & salini saporis, ejusdem ponderis, si totaliter exsiccatum est, ac antea erat sal volatile, nec quicquam in pondere ex additione illâ spiritus salis accrevit.* Verùm hac de re cùm animum dubitatio subiisset, ejus experimentum cum *sale volatili ammoniaci*, cujus hîc par ratio, ac *salis volatilis viperarum*, esse videtur, singulari cum diligentiâ institui, & præterquam quod sal nullius vel parùm acidiusculi odoris, saporisque salini, i. e. ex acido & alcalico emergentis, post totalem exsiccationem, inveni, parte quoque sui dimidiâ ferè adauctum fuisse, deprehendi.

Hunc fixandi modum (prout reliqua omnia, quæ invenisse se, putat, magni æstimat) tanti facit Zvelferus, ut scribere non vereatur: *Nec velim Tibi, quisquis es, persuadeas, salis hujus extrahendi, vel fixandi, aliam esse viam, licet plurimi de secretioribus modis multùm glorientur, at fucus & impostura impediunt, quò minùs istos ulli ingenuè communicare & publici juris facere audeant, ne fraus & dolus ipsorum manifestetur.*

Mox tamen cautior redditus, cantilenam longè ab hac diversam exorditur, his verbis: *Si tamen quis esset, qui majorem in hisce laboribus haberet experientiam, ipsi ansam præbeo, ut boni publici causâ illa, quæ hac in re expertus est, secum commori non patiatur, quin cum suo proximo faciat dividua.*

Certè non velim, Tibi, quisquis es, persuadeas, salis hujus fixandi nullam aliam dari viam. Et licet plurimi de secretioribus modis multùm glorientur, eos verò, cùm fraus & dolus subsit, apertè communicare nolint; nihil tamen proinde artificiosis nonnullorum, sed hactenus adhuc occultatis, modis derogatur. Nec quenquam fraudis dolive insimulatio talis, ad illa, quæ multo labore & studio invenit, indiscriminatim propalanda, compellere debet: Vana sunt terriculamenta, & bruta fulmina.

Cæterùm communicata *salis ammoniaci* nova præparatio (cujus tamen fundamenta paulò superiùs ex *Ang. Salâ, & Billichio* ostendi) vix merebitur, ut, redhostimenti loco, alia artificiosior salium volatilium fixatio exhibeatur. Cui tamen, quæ hac in re singularia experimenta possidet, communicare ea lubet, sicque famam æternitati consecrare se posse, arbitratur, non repugno; quin potius eidem, cum aliis, adplaudere, nunquam intermittam.

Artificiosiorem talem salia volatilia urinosa figendi modum, cujus fundamenta hinc inde in Chimicorum libris leguntur, *magni nominis Chimiater*, cujus intimo consortio in almâ Antenoreâ frui, datum mihi fuit, invenit;

venit; quem olim publicatum iri, non eſt dubium. Mihi verò eundem hac vice ſilentio tranſire, aliiſque, quin ipſi Autori propalandum relinquere, hoc tempore ſtat ſententia.

De *aquâ elementari*, aliàs aquæ ſpirituoſæ, & virtutibus nativis ſimplicis ſui præditæ, oppoſitâ, quæ in *viperarum* exſiccatione abſtrahitur, inquirere, ſuperſedeo: an nimirum ullius uſus ſit?

Si autem ſalis volatilis quid continet, tam exiguum id erit, ut vix memoratu dignum ſit; multò minùs ut aqua illa adeo ſtudiosè ſeparetur, aut loco *vini*, in *Theriacæ* præparatione, pro ſuccorum concretorum diſſolutione, adhibeatur.


Quam tamen, ſi uſui adaptari debet, ne precioſi ſalis, cùm ſubtiliſſimum eſſe, tradatur, jactura fiat, additis mox poſt deſtillationem, vel vaſi recipienti immiſſis, aliquot *ſpiritus ſalis* guttulis, probè cuſtodire, ejus admiratores non obliviſcantur.

De *ſpiritu viperarum vivifico*, per alembicum à fugâ coërcendo, alij ſint ſolliciti; mihi parùm is æſtimandus eſſe videtur; quin potius non ſine metu, ſi jocari liceat, eundem, ob modò peractam ſtrangulationem, imagine iræ venenoſo horrendum, præcipuè ſi *carni viperinæ* confundatur, ſorberi exiſtimo.

Sed de hoc ſatis; nunc *Claſsis de Aquis deſtillatis* &c. ſe ſiſtit.



RESTI-



RESTITUTA
CLASSIS DECIMA QUINTA,
Aquas Compositas & Simplices, Vina & Aceta medicata tradens.

IN AQUA ACOUSTICA, SIVE AD AUDITUM D. D. MINDERERI *pag. 279.* contra multarum rerum aromaticarum decoctionem imprimis insurgit, in quâ universam eorum substantiam spirituosam & subtilem, quæ maximè ad hos adfectus expetitur, evaporare, putat. Negari equidem nequit, coctionem illam aliquod spirituosæ substantiæ dispendium procurare; sed hoc tanti momenti non est, cùm pauca admodum quantitas sit specierum aromaticarum, quarum jactura tantopere exaggerari haud debet; cùm in consimilibus satis prodigus Zvelferus etiam deprehendatur; ceu in ventilatis hactenus animadversionibus multoties ostendi.

Jactura quoque ista à *Minderero*, additione medietatis priorum simplicium pro destillatione, quodammodo compensatur.

Neque universam eorum substantiam spirituosam in præcedente coctura exhalare, unquam concesserim.

Nostri autem Pharmacopœi, coctione omissâ, omnibusque ingredientibus conjunctis, destillationem absolvunt, sicque nullum substantiæ subtilis dispendium incurrunt.

Unde quoque modum illum *Mindereri* eò minùs defendere, animus est; qui facilè labi, atque humani quid pati potuit; siquidem & quandoque bonus dormitat Homerus. Non tamen idcirco tam acerbè excipiendus fuit.

Quàm crassè in artis pharmaceuticæ præcepta ipse Zvelferus impegerit, multivariè hactenus ostendi.

Essentiam, sive liquorem acousticum, *Aquæ Mindereri* à Zvelfero substitutum, vix adprobare possum. Uti enim is crassiorum sive terrestrium partium copiâ obruitur, quæ tamen hîc parùm conferunt: ita meritò aqua, è meris

è meris ſubtilibus penetrantibusque ingredientium atomis conflata, ipſi præfertur.

Galbanum quidem in *ſpiritu juniperi* ſolvitur; ab additis tamen reliquis liquoribus iterum præcipitatur, in tali mixturâ, nullâ, etiamſi aliquot dierum ea ſit, digeſtione, ampliùs ſolubile.

In *Append. animadverſ. pag. 28.* plura contra Aquam hanc in medium adducit, de *aceti* potiſſimùm *ſcillitici* & *rutacei* cum *urinâ capræ* permixtione, qua fiat, ut nil niſi inutile phlegma prodeat; cùm ſpiritus illi acetorum acidi ab *urinæ ſpiritu* figantur & deſtruantur. Verùm non planè in hac Aquâ illum *urinæ capræ* ſpiritum figi, multò minùs deſtrui, vel ſolus Aquæ deſtillatæ odor, qui teter ſatis in eâ ſe manifeſtat, teſtatur.

Sic etiam *ſpiritus urinæ*, vel *ſalis ammoniaci urinoſus*, cum *aceti ſpiritu* (Zvelferus enim hîc de *aceti* & *urinæ ſpiritu* loquitur) ſi miſceatur, effervescentia quidem ſuboritur, non autem dicti ſpiritus figuntur.

Hinc ſi iſtiusmodi mixtura deſtillationi adaptetur, illam totam ferè, perpauculo craſſamento amaricante in reſiduo manente, adſcendere, experimento facto, didici.

Ut adeo à *Tackenio cap. 11. Hippocr. chim.* ex commiſtione *alcali volatilis urinæ, & aceti deſtillati*, liquorem deſtillabilem, eumque penetrantiſſimum fieri, veriſſimè dicatur.

Quin ipſum Zvelferum, pro me militantem, in ſcenam produco, qui *pag. 95. Apolog. contra Tackenium*, de hac aquâ diſputans, ſic ſcribit: *Accipe urinæ capræ uncias octo, aceti rutacei & ſcillitici, ana uncias duas; coque illa junctim ad dimidias, & reſiduum demum deſtillationi committe: &, peracto labore, de labore triumpha. Quid nactus es? An neſcis, quòd pars ſubtilior & exhalabilis urinæ, in qua penetrabilitatis ratio & vires conſiſtunt, ſive coquatur, ſive deſtilletur, illico exhalet &c?* Si itaque pars ſubtilior & penetrabilis, id eſt, ſpirituoſa, in qua vires conſiſtunt, per deſtillationem elevatur, quomodo eadem ab acetis fixata, vel deſtructa dici poteſt?

Cæterùm ſalia acida, & volatilia urinoſa ſi miſceantur, ſe invicem deſtruere, non adeo benè dicitur; dum utraque denuo ſeparari poſſe, vel ipſe Zvelferus in *Apolog. Tacken.* fatetur.

De modo adhibendi *Aquam hanc acouſticam*, diſſerere, ad præparationem medicamentorum non ſpectat; eam verò, cum largâ quantitate *ſpiritus urinæ capræ* fœtidiſſimi paratam, ori, quod vult Zvelferus, immittere, atque in eo aliquando detinere, à jucunditate, aliàs ab ipſo contra Auguſtanos deprædicatâ, longiſſimè recedit. Certè ingratam admodum, & vix à

rusticis, ut de palato delicatulorum nihil dicam, subeundam curationem hoc redderet.

AQUAM ANTIDOTALEM ALEXIPHARMACAM D. D. PETRI ANDREÆ MATTHIOLI pag. 280. non exiguis præditam fore virtutibus, scribit, si ipsa Antidotus, ceu ex qua Aqua hæc alexipharmaca paranda est, tantis, quantæ ipsi attribuuntur, polleret virtutibus. Quibus verbis Aquæ huic virtutes alexipharmacas dubias reddere, ipsum conari, animadversiones in dictam Antidotum conscriptæ haud obscurè indicant.

Sed prout sinistrum illud judicium certis fundamentis nondum stabilitum fuit; econtra Antidoti vires alexipharmacas optima medicinæ magistra, experientia, confirmavit: ita *Aquam* quoque hanc *antidotalem* non exiguis præditam esse virtutibus, quilibet veritatis amans fatebitur.

Ulteriùs, *Sirupum de corticibus citri*, & *mel* (quod *potiorem Antidoti partem* constituere, scribit) *vini spiritum* statim imprægnare, & inefficacem reddere, objicit, quò minùs ex reliquis speciebus, Antidotum constituentibus, virtutem elicere possit. Speciosa hæc sunt, sed fundamento pariter destituuntur.

Elici namque vires alexipharmacas, effectus omnium evidentissimè comprobat. Quod vel millies expertum se fuisse, *Matthiolus* testatur.

Platerus etiam, qui *Sirupum acetositatis citri*, loco *Sirupi de corticibus citri*, & in multò majori quantitate recipit, ejus usum in peste valde extollit.

Saccharum equidem, & *mel*, licet mox in *spiritu vini* dissolvantur, eum tamen non ita imprægnant, ut aliis rebus extrahendis idoneus ampliùs non sit.

Quis enim nescit, *mel*, in suâ formâ crassâ relictum, virtutes simplicium nonnullorum ad se allicere?

Aliàs *Mella* illa *medicata*, de quibus *Classis prima Dispensatorij Augustani*, nec non *Pharmacopœiæ Regiæ* agit, non entia essent, quod tamen neque Zvelferus concessit, neque ipsa eorum præparatio admittit.

Si igitur *mel* crassum vires extrahendi possidet, multò magis, cum tantâ spiritus quantitate dilutum, easdem obtinebit.

Præterea extractionem hanc digestio menstrua, & aliquoties repetita agitatio adjuvat.

Accedit, quòd illæ species siccæ, per aliquod temporis spatium cum *melle*, & *vino* &c. in *Antidoto Matthioli*, *Theriacâ*, & *Mithridatio* dum permistæ fuerunt, quodammodo recludantur, atque ad meliorem extractionem ita disponantur.

Mel

Mel autem potiorem Antidoti partem constituere, nulla Zvelferi facundia persuadebit; ubi quis, calculum edoctus, *mellis* ultra *libram dimidiam* desiderari, observabit, si cum reliquis Antidotum constituentibus ingredientibus æquale pondus habere, illud debeat; ne dicam, si *potiorem Antidoti partem* constituere, necessum habeat.

Cui tamen, *Hafniensium* methodum sequi, & Antidoto, cum *spiritu vini* extracto, *Sirupum corticum citri* demum adjungere, placebit, illi litem haud movebo.

Species autem Antidotorum, absque *melle*, & *saccharo* licet extrahi pariter possint, opus tamen minimè esse, superiora evincunt.

In AQUA ANTIMELANCHOLICA D. D. TOBIÆ FISCHERI *pag. 281.* potiorem ingredientium partem destillationi adsignatæ omnino ineptam esse, animadvertit; dum *radices buglossi*, *carnem cydoniorum*, & *pomorum*, nec non *citros integros* (exceptis *corticibus*) nil nisi aquam quandam elementarem in destillatione emittere, de substantiâ verò eorum optimâ nil quidquam, quod adservari operæ precium esset, per alembicum transire, arbitratur; cùm remanentia à destillatione usui medico potius inserviat, non verò *spiritus vini*, *exiguo croci odore imbutus*. Minimè equidem nego, magnam utilium partium portionem in residuo manere; interea tamen eas magni faciendas esse, ita ut necessariò in medicamento conservari debeant, è Zvelfero probare, res facilis admodum existit.

Destillatum autem non esse purum *spiritum vini*, exiguo *croci* odore imbutum, satis clarum est, nec ab ipso Zvelfero negandum.

Si enim destillatum illud est *vini spiritus*, cui exiguum *crocus* odorem impertiit, ubinam *corticum citri* subtilis & fragrantissima essentia quærenda est?

Reliqua verò ingredientia non meram aquam elementarem, sed subtilibus, spirituosis, & penetrantibus particulis imprægnatam fundere, negari nequit.

Etenim *buglossi radices* ad destillationem haud esse ineptas, Zvelferi *animadversiones in Sirupum de scolopendrio Fernelij*, easdem radices recipientem, comprobare videntur; ipsum namque juxta modum *animadversionum Sirupi de calaminthâ Mesues*, quem, præmissâ destillatione, conficit, convenientissimè præparari posse, ibidem statuit.

Proximi dictis radicibus sunt *flores borraginis*, & *buglossi*, qui uti cordis spirituumque vitalium corroborationem respicere, nemine Medicorum dissentiente, dicuntur: ita quoque hujus sententiæ intuitu Zvelferus commotus, in *animadversionibus in Sirupos dictorum florum* concludit, eos in se reconditum

conditum habere ſpiritum quendam, ſpiritibus vitalibus, adeoque cordi ipſi, ceu eorundem ſcaturigini, familiarem, quem, ne per coctionem in auras avolet, deſtillatione à fugâ retrahere, præcipit.

Unde etiam in *Claſſe decimâ quintâ Pharmacopœiæ Regiæ*, *aquas ex floribus borraginis*, & *bugloſsi* deſtillatas, nec non ipſos flores, ad deſtillationem aliquot aquarum ſuarum adhibet.

Flores roriſmarini deſtillationem non reſpuere, odor manifeſtè indicat, quem fragrantiſſimum in *animadverſionibus Mellis anthoſati primi* vocare; & cùm ibidem Auguſtani, parùm æſtimâſſe eundem, viſi fuerint, acerbè in eos, quanquam minùs adcuratè, animadvertere, non fuit veritus.

Hos quoque flores in *Pharmacopœiæ Regiæ modò nominatâ Claſſe* aliquoties deſtillationi commiſit.

Quamvis mox reſipiſcens, Aquæ hujus vires à ſolo *vino*, *floribus anthos*, & *corticibus citri* deducat.

Crocum etiam parvi pendere videtur; quem tamen ipſe multoties ad deſtillationem adaptavit.

Carnem cydoniorum, per deſtillationem, ſubtilium odoratarum atomorum effluvia unà cum aquâ elementari emittere, ejus, nec non *ſucci cydoniorum* è carne expreſſi, pro *Mivâ* &c. præparandâ, coctio abunde teſtatur.

Carnem, ſeu *pulpam pomorum dulcium odoratorum* eodem jure gaudere, exiſtimo.

Idcirco *Sirupum è pomis ſimplicem Meſues*, vel per ſimplicem coctionem, vel ad modum aliorum Siruporum, è ſuccis paratorum, præmiſsâ nimirum deſtillatione, confici poſſe, in ejus animadverſionibus monuit.

Præterea hîc *poma odorata* ſumuntur; & quamvis odor ille majori ex parte in cortice conſiſtat, idem tamen in pulpâ quoque reperitur.

Cohobationem inſuper, & præcedentem digeſtionem, qua partes reliquæ craſſiores nonnihil recluduntur, Aquæ hujus vires augere poſſe, quis dubitet?

Nunc, ſi quis *animadverſionibus* Zvelferi, quas *in Sirupum aperitivum magiſtralem Mindereri* ſcripſit, fidem habere velit, illud, quod à deſtillatione reſiduum eſt, magnam utilium partium portionem eſſe, Zvelfero tutè quis negare poteſt.

Aqua enim hæc *antimelancholica* cujus virtutis ſit, nomen indicat; atque imprimis hypochondriacis, qui obſtructionibus meſenterij, & vaſorum meſaraicorum laborant, deſtinatur; in his autem craſſas & feculentas medicinas nil prodeſſe, ſed morbos iſtos efflagitare ſpirituoſa medicamenta, ibidem contra *Mindereri* compoſitionem decertat.

AQUÆ ANTISCORBUTICÆ D. D. TOBIÆ DORNCREILII *pag. 282.* ingredientia aliqua, videlicet *radices polypodij*, *cortices radicum capparum*, & *crocum*, parum per destillationem emittere, objicit; sed cùm antiscorbutica in eâ prædominentur, descripto modo destillari illam posse, concedit. Etiamsi parum sit, quod recensita simplicia istâ destillatione emittunt, sufficit, quòd sit aliquid; paucissima enim esse, quæ per destillationem consimilem integras suas vires emittunt, plus quàm notum est; & multa à Zvelfero destillationi subjici, quæ parum ibidem emittunt, *Pharmacopœia Regia* indicat.

De *croco* in præcedente Aquâ mentio facta jam fuit.

Radices polypodij, in mutatâ à se *Sirupi de carthamo*, & *de polypodio Augustanorum* præparatione, destillationi ipse submisit.

Ob exiguam remanentem virtutem antiscorbuticam parare è speciebus à destillatione residuis extractum, & in aquâ destillatâ illud adservare, neutiquam opus est. Augustani aquam limpidam habere desiderant.

Cæterùm si strictè extractum illud crassum quoque simul expetatur, frustrà destillationem Zvelferus admittit, cùm illâ, utpote sumtuosâ, omissâ, sola tunc infusio, debitè instituenda, sufficiat.

Extractum etiam remanens si addatur, aquam nauseosam indè fieri, ex *Pharmacop. Reg. pag. 231.* colligo; ubi illud, quod à *croco*, in destillatione, residuum manet, cum comodo aquis restitui non posse, autumat, quò minus aquæ nauseosæ exinde evadant.

AQUÆ ARTHRITICÆ *pag. eàdem*, compositio præ reliquis Zvelfero arridet; non inconsultum tamen fore, judicat, eidem jam proiectæ *radices pœoniæ*, & *pyrethri* denuo infundere, atque post unius alteriusve diei digestionem, per filtrationem iterum separare; quia illarum radicum essentia non adeo facilè in M. B. per alembicum transeat. Sed neque harum radicum, neque reliquorum ingredientium omnis essentia per alembicum transit; subtilior tamen, unicè hîc expetita, eo modo evocatur.

Ad quid autem ista animadversio, cùm Zvelferus *Aquæ* suæ *arthriticæ pag. 194. Pharmacop. Reg.*, quæ pariter *radices pœoniæ*, & *pyrethri* recipit, post absolutam in B. V. destillationem, has ipsas radices infundere atque extrahere, intermittat?

AQUÆ ASTHMATICÆ *pag. 283.* compositionem haud adeo concinnam esse, arbitratur: 1. propter fructuum pectoralium, utpote *caricarum, sebesten, jujubarum, dactylorum* &c, ceu destillationibus consimilibus penitus ineptorum, 2. ob diversorum *Lohoch* compositorum, additionem. Hoc

Hoc quod concernit; non adeo inconcinnum esse, composita compositis addere, supra jam expositum fuit.

E fructibus autem, aliisque rebus similibus aliquid elici, præcipuè cùm septem dierum digestio destillationem præcedat, negari nequit; quanquam parum id esse, facilè concedam.

Discursus, de vegetabilium diversitate, eorumq; variâ destillatione, quid valeat, paucis attingam.

Dari quædam simplicia in regno vegetabili, quorum tota virtus & efficacia cocturâ leni impulsa avolet, vel sola *camphora* comprobat. Alia medio se habere modo, quorum census maximus est, negari nequit.

Utrùm verò alia inveniantur, quæ viribus integris violentam sustineant coctionem? si de recentibus sermo sit, dubitari potest.

Sed dato, & hæc reperiri, utique ab illis nihil virtutis per simplicem In M. B. destillationem elici poterit; nisi alia eorum præparatio præcedat.

Vegetabilium autem summè volatilium & spirituosorum magis subtiles partes non tantùm in M. B, sed etiam B. V, quin ipsâ arenâ, si debitum ignis moderamen accedat, eliciuntur.

Ex vegetabilibus, quæ recenset, *pyra*, *poma*, *cydonia*, *amygdala*, *radices cichorij*, *buglossi* &c, sive lento, sive fortiori igne, per Balneum, vel arenam, adfuso insuper liquore, destillentur, nil prorsus genuinæ virtutis, sed humiditatem duntaxat elementarem præbere, negatur.

De *pomis* quidem, (idem judicium est de *pyris* odoratis) *cydoniis*, ac *radicibus buglossi*, in præcedentibus hoc demonstratum jam fuit.

Radices verò *cichorij* iniquè huc à Zvelfero trahuntur; cùm eorum nulla in hac *Aquâ asthmaticâ* mentio fiat.

Amygdala non simpliciter à destillatione illâ rejici debere, *Aqua nephritica* Zvelferi *pag.203. Pharmacop. Reg.* comprobat; in quâ *amygdalorum amarorum unciæ quatuor*, lento igne, unà cum aliis speciebus destillantur. De *amygdalis dulcibus* in sequenti *Balsamo embryonum* agetur.

Similium autem fixiorum simplicium usus, dum in substantiâ, vario modo præparata, adsumuntur, uti improbari nequit: sic quoque per eum omnis Aquarum ex ipsis prolectarum usus non tollitur.

Eorum per violentam ignis torturam, & totius destructionem destillatio à Zvelfero tradita institui quidem potest; sed utrùm tali modo *virtutes essentiales eorum omnium* eliciantur, uti hoc in loco statuit Zvelferus, quin potius destruantur, dubium relinquitur; imò ipse in *Append. ad hanc aquam pag.32*, apertè id iterum negat.

In

In AQUA AUREA D. D. JOHANNIS LANGII *pag. 285.* præcipuè notat, quòd *radices pæoniæ*, & *viſcus quernus* deſtillatæ jam aquæ iterum immergi, & cum eo digeri debeant. Sed neque neceſſarium hoc eſſe, neque à Zvelfero ipſo obſervari in *Pharmacopœiâ Regiâ*, præcedens *Aqua arthritica*, ubi de *radicibus pæoniæ* agitur, comprobat.

BALSAMUM EMBRYONUM *pag. eâdem* ab erroribus craſſioribus, uti vocat, vindicaturus, multa inepta ipſi addita eſſe, evincere conatur. Inter quæ primò *medullam panis* enumerat, quam ſpirituoſas & volatiles ſuas partes, ſi quas habuerit, per præcedentem in clibano coctūram, jam depoſuiſſe, arbitratur. Aſt contrarium ipſe odor *panis adhuc à furno calentis*, qualem etiam hîc ab Auguſtanis requiri, exiſtimo, teſtatur.

Talem enim adhuc calidum *panem* ſi confringas, odor gratiſſimus, refocillans, longè lateque ſe diffundens, percipitur, qui ſanè, per coctūram in clibano, non omnes volatiles partes depoſitas fuiſſe, indicat.

Cruſta etiam, qua *panis* in clibano inveſtitur, ſpirituoſam illam ſubſtantiam quodammodo à fugâ coërcet.

Democritum centum & novem annos natum, jam moriturum, vitam, donec Thesmophoria finirentur, per tres dies, *panis* calidi odore, prorogâſſe, *lib. 9. cap. 7. Diogenes Laertius* in vitâ ejus teſtatur, ſic de eo eleganter canens:

Ὃς θάνατον παρεόντα τρί' ἤματα δώμασιν ἔσχε,
Καὶ θερμοῖς ἄρτων ἄσθμασιν ἐξένισε.

Qui mortem præſentem tres dies domibus habuit,
& calidis panis halitibus hoſpitio excepit.

Ab *amygdalis* licet parum ſpirituoſi impetrari queat; aliquid tamen, cumprimis ob præcedentem infuſionem, & digeſtionem, reſolvi, negari nequit.

Hoc *Excell. D. D. Daniel Ludovici tract. Pharmacopol. modern.* Emulſionis, è ſeminibus, fructibusque uſitatis paratæ, ſimplici per alembicum deſtillatione comprobat; *quæ aqua non ſolùm odorem atque ſaporem emulſionis cujusdam haud injucundum præ ſe fert, verùm etiam poſt menſes aliquot manifeſtum rancorem induit, ut amygdalas, vel ſemina frigida majora rancida te guſtaſſe, diceres.*

De *hordeo cremato* idem ferè eſt judicium.

Ex *caponis deſtillato* nihil virtuoſi pariter promittit; cujus totam virtutem in reſiduo manere, exiſtimat; nec enim animalium vim reſtaurativam in volatilioribus eorundem partibus conſiſtere, nec hanc ipſam in coctūrâ violentâ, usque ad carnium ab oſſibus ſeparationem continuandâ, & ineptè

cum

cum *vino malvatico*, ac ſtultè cum tot aromatibus perficiendâ, remanere, ſed penitus exhalare, contendit. Ollam autem arctiſſimè claudere, nihil juvare, objicit; quia ſpirituoſa humiditas, per calorem rarefacta, vias etiam anguſtiſſimas quærat, quas ſi non invenit, vas infallibiliter diſrumpat. Verùm ex *capone* vim nutritivam, ſive, uti vocant, impinguantem, propriè ſic dictam, per hanc deſtillationem elici, ut hîc defendatur, nulla cogit neceſſitas.

Illam enim in præſenti *Embryonum balſamo* ab Auguſtanis propriè non requiri, quod tamen Zvelferi ingenuitas ipſis obtrudere, laborat, virtutes adſcriptæ evincunt; quas inter, ſolidam corporis ſubſtantiam nutriendi vis, nulla facta fuit mentio; alterante & confortante ipſius facultate tantummodo deprædicatâ.

Si itaque Zvelferus, reſtaurationem in alimentoſam, & medicamentoſam diſtinguere, didiciſſet, in *caponis* deſtillatione reprobandâ cautiorem fortè ſe præbuiſſet.

Alimentorum, carnium cumprimis, vim nutritivam, majori ex parte, in fixioribus partibus, gelatinoſis, & glutinoſis, ſimplici deſtillationi in M. B. non adeo commodis, conſiſtere, neque Auguſtanis, neque aliis, ante Zvelferum, ignotum fuit. Omnem tamen reſtaurandi virtutem aquis animalium denegare, propterea minimè licet.

Et ut de ſolâ earum vi medicamentosâ hîc agam, odor & ſapor talium aquarum ſufficienter indicant, non eſſe aquam illam purè elementarem, ſed particulis nonnullis utilibus, volatilibus, prægnantem.

Obtuſarum certè is narium erit, qui odorem carnis, vulgari ſaltem in culinis coctura elixatæ, vel aſſatæ, odorem non percipiat.

Unde imprudenter & ſtultè admodum fieret; ſi quis, ob conſimiles aquas, carnes elixas, vel aſſatas nullum, vel planè inutile corpori ſuppeditare alimentum, ſtatueret, ideoque, ne ſpirituoſæ partis in elixatione & aſſatione abigendæ, jacturam incurrat, crudis veſci carnibus, quàm coctis, ſatius duceret, aut ſtomacho robuſto, famelico, aquam indè deſtillatam objiceret. Non minùs tamen ineptè omnem vim reſtaurativam carnis ſubtiliori, deſtillatione evocatæ, parti denegaret.

De aquâ elementari animalium, è recenter mactatis *viperis* &c. in B. exhalante, & neſcio quos ſpiritus ac ſal volatile continente, hîc loci diſſerere, fortè liceret; quod tamen nunc expendendum aliis relinquo.

In cocturâ verò, quæ deſtillationem præcedit, ſubtiles has caponis particulas penitus exhalare, ineptè admodum objicitur.

Reſolvuntur namque demum per coctionem, ſeſeque manifeſtant iſtæ

ſpirituoſæ

ſpirituoſæ partes, quæ prius in crudâ carne, & circa coctionis principium haud percipiuntur.

Quod ſi coctio continuetur, negari equidem nequit, partem earum tunc exhalare; *penitus omnes* tamen evaporare, vel muliercularum atque coquorum cohors negaret, dum odoris exhalantem gratiam in perfectè coctâ carne ſatis manifeſtè percipit.

Quare licet in ollâ clausâ nihilominus partium iſtarum ſubtilium aliquæ aufugerent, omnes tamen minimè abeunt.

Parum autem in ollâ ſtudiosè clausâ exhalabit; nec propterea diſruptionis ollæ metus eſt, ſi valida illa ſumatur; magnæ præterea capacitatis ſit, ut pars ejus vacua remaneat; lentè quoque & *ſenſim*, non violentè coctio peragatur.

Ex quo etiam, *vinum malvaticum*, & aromata, non usque adeo imprudenter cum capone coctioni ſubmitti, elucefcit. Quamvis ipſi deſtillationi aromata reſervare qui maluerit, à me reprehenſione dignus minimè cenſebitur.

Conſervam roſarum nil quidquam de ſuâ virtute Balſamo huic communicare poſſe, quia maximâ parte è *ſaccharo* conſtat, falſum eſt.

Non enim ſoli *ſaccharo*, ſed & *floribus roſarum* originem ſuam debet; qui flores, cum *ſaccharo* ſic conditi, deſtillatione eſſentiam ſuam largiuntur.

Hoc tamen, in *Append. pag. 33.* palinodiam canens, de ſolo *ſaccharo* intellectum vult; de cujus quidem dulcedine nihil adſcendere, guſtus deſtillatæ Conſervæ probat; aſt planè nihil à *ſaccharo* attolli, ſi in Conſervis ſupervenientem illis fermentationem conſideremus, maximè dubium redditur.

Aſt utrùm *ſaccharum* hoc, ſi totum in reſiduo maneat, & in duplâ quantitate, reſpectu *florum roſarum*, pro Conſervâ parandâ, ſumatur, tantum huic aquæ precium imponat? unicuique expendendum relinquo; ſi *ſacchari uncias duas, drachmas quinque, ſcrupulum unum* toti compoſito, quod *viginti libras* excedit, ineſſe, recordetur.

Paſtam verò *melleam biſcoctam*, & ſuper cratem toſtam, omnibus ſuis ſubtilioribus partibus penitus ſpoliatam eſſe, pariter veritati contrariatur; cùm odor & ſapor aromaticus, poſt dictas præparationes ſuperſtes ſatis validus, Zvelferi ſententiam firmiter expugnent.

Aurum in fine additum an aliquid virtutis Balſamo præſenti impertiatur? & ipſe dubito.

Interea cùm exiguum damnum Pharmacopœis illa aquæ ab *auro* abſtractio inferat, qui nummos aureos huic negotio adhibere, conſueverunt,

quos integros post destillationem recipiunt; nec ægro impendendi sumtus, propter *aurum*, augeantur, nimiùm exagitanda haud est.

Quæ tamen, si mei arbitrij res foret, omitti jure optimo posset.

Nec refragabor illis, qui gravidis *Gelatinam caponis* variè conditam, quæ tamen ab extractis nauseabunda fortè evadit, melioris nutrimenti causâ offerre, præ hac Aquâ destillatâ, satius ducunt; dummodo omnes vires medicas Aquæ illarum rerum, quæ à nonnullis destillationi superfluè adjici dicuntur, denegare, contra rationem haud præsumant.

Variè etiam, mutatis mutandis, Balsami hujus compositionem, præparationemque fieri, & meliorem reddi posse, neminem latet.

Loco AQUÆ BARDANÆ COMPOSITÆ *pag. 288.* Essentiam, ex speciebus, illi destinatis, sine destillatione rectiùs confici, objicit; quæ tum pro curatione, tum præservatione pestis, ipsâ Aquâ destillatâ longè efficacior existat. Posse indè Essentiam, vel aliud aliquod medicamentum confici, nemo negat; hoc tamen Aquæ nihil derogat.

Efficaciorem quoque fore Essentiam, quàm Aquam destillatam, concedere possem; qui non de meliorandis, sed ab erroribus, à Zvelfero imputatis, liberandis medicamentis agere, decrevi.

Quod verò melius fieri potest, propterea non mox erroris insimulari debet.

Quidquid tamen objici posset, felix Aquæ hujus in peste usus, crebrò confirmatus, uti fides, & experientia Clarissimorum Medicorum, ab Augustanis hoc in loco denominatorum, testantur, retundit.

In AQUA CAPONIS COMPOSITA *pag. 289.* decantatam jam in *Balsamo embryonum*, de inutili animalium, nil nisi aquam elementarem emittentium, destillatione, cantilenam repetit; cujus Examen dictum Balsamum subministrat.

Nec inutilem esse ejus, & similium usum, crebra experientia Practicis exercitatis ostendit.

Ubi etiam considerari debet, Aquas hujusmodi, brevi temporis spatio, acescere, ac sedimentum quoddam dimittere; quod in aliis aquis, sine carne destillatis, si ritè adserventur, haud contingit.

In CHYLOSTAGMATE DIAPHORETICO D. D. RAYMUNDI MINDERERI P. M. SEU AQUA EIUSDEM THERIACALI BEZOARDICA *pag. eâdem.* 1. Perperam imprimis vocat *Theriacæ*, & *Mithridatij* destillationem; quarum compositionum plurima ingredientia similibus destillationibus penitus inepta sint; multa verò parum virtutis promere possint; *mel* autem, quod potior earum pars

est, in

est, in diris illis adfectibus, quibus debellandis Aqua hæc destinatur, parum juvaminis adferat &c. Verùm pauca admodum utrique Antidoto insunt Ingredientia, quæ per se destillationi penitus inepta dici possent; econtra plurima ibidem reperiuntur, quæ vires alexipharmacas per alembicum emittunt.

Accedit *Theriacæ*, & *Mithridatij* fermentatio, qua species aërescere, atque spirituosas fieri, neminem fugit.

Mel autem, si diris illis adfectibus, pesti cumprimis, non adversetur; ineptè tamen, medicamentis alexipharmacis malè hoc propterea adjungi, Zvelferus hoc in loco concludit, immemor, quòd illud in Antidotorum spissorum compositione admittat.

Neque *Theriaca*, aut *Mithridatium* præsenti *Chylostagmati* adduntur, quia *mel* continent, sed quia plurima salutaria alexipharmaca possident, quæ, mediante *melle* coacta, alios in usus in Officinâ prostant.

2. *Baccarum juniperi, corticum sambuci*, & *fraxini Feculam* duntaxat destillationi committi, risum sibi extorquere, fatetur, dignus, qui ipse irrideatur; dum succos expressos Feculæ nomine insignit; quas pulveres potius esse, neminem latere potest.

Unde & ipse inferiùs *pag. 446. Animadvers. pulveres subtiles, farinaceos, succo suo nativo orbatos, omnisq; virtutis & efficaciæ expertes* vocat Feculas.

Augustani enim è *recentibus corticibus sambuci*, & *fraxini*, ac *juniperi baccis* contusis, cum *Aceto de floribus tunicæ, aquâ pimpinellæ*, & *rosarum*, succum extrahunt, quem expressum succum, non verò pulverem, sive feculam, è succo tractu temporis subsidentem, cum reliquis succis, ac liquoribus permiscent.

Cur autem *Minderero* tali modo procedere libuerit? me latet; unde nec improbare hoc possum; præcipuè cùm virtuti Aquæ destillandæ nihil indè decedat.

Nisi fortè, pro meliori virtutum prolectione, hoc factum fuisse, dicere liceat; veluti ipse Zvelferus in *Append. animadvers. ad Aquam acousticam Mindereri pag. 29. nucleos persicos, semina rutæ*, & *raphani*, adinstar pulticulæ, cum aliquâ aquâ contundere, præcipit.

In residuis à destillatione speciebus aliquas adhuc reconditas esse virtutes, minimè nego, quas extrahere, & pariter ad usum reservare, cui volupe erit, per me integrum est.

Interea Zvelferum, si servare crassum illud necesse est, in Aquis suis destillatis *Pharmacopœiæ Regiæ* idem observare debuisse, quod tamen in pluribus haud fecit, Lector æquus judicabit.

AQUAM CONFORTATIVAM USITATAM *pag. 290.* magni se facere, scribit, si aquæ destillatæ, ipsi destinatæ, per B., sine additione aquæ simplicis, exceptâ *cinnamomi aquâ*, prolectæ fuerint. Sanè Aquas tales per se, ex recentibus succulentis vegetabilibus destillatas, multò efficaciores esse illis, quæ, additâ aquâ, conficiuntur, nemo inficias ibit; has tamen propterea omnino rejicere, vel medicamenta indè confecta, uti præsentem *Aquam confortantem*, parvi pendere, haud decet.

Mihi, in decisione Zvelferi *pag. 312. animadverſ.* contentâ, adquiescere placet; ubi ob usitatam similium aquarum destillatarum copiam, vix, sine simplicis aquæ additione, parari eas posse; vile etiam precium, quo prostare in Officinis debent, alium dexteriorem conficiendi modum haud admittere, statuitur.

Id quod in subsequentibus *animadverſionibus ad Aquam epilepticam puerorum* quoque monet.

Quo ipso tamen Pharmacopœis, qui, si lucro nimiùm intenti sint, aquæ simplicis copiâ nimiùm eas obruunt, & sic aquam vulgarem, sine ære aliàs comparandam, paucissimis vegetabilis alicujus viribus imbutam, divendunt, patrocinium minimè præstatur.

Cornu cervi ustum præparatum, instar terræ mortuæ, omnibus viribus orbatæ, frustrà addi, negatur; de quo inferiùs differendi ansa dabitur.

Utrùm *coralia rubra albis* præstent, alij disquirant. Sufficit, his virtutes corroborantes pariter à Medicis adsignari.

Augustanos autem pro *coralio albo rubeum* semper subrogare, Eorum nota, *Speciebus cordialibus temperatis* superaddita, demonstrat.

Margaritis, & *coraliis præparatis* solutionem eorum, cum *aceto destillato* factam, sine causâ præferri, existimo.

Objicit quidem Zvelferus: 1. dictos præparatos pulveres, in delicatissimis etiam vehiculis propinatos, ægrotantibus nauseam movere. Ast sine ægrotorum nauseâ Aquam hanc præscribi, quotidiana Augustanos experientia docet.

Unde fit, ut magna ejus Aquæ quantitas nostris in Officinis quotannis, cum ægrotorum adplausu, dispensetur.

Esse quidem nonnullos, quibus lacteus ille color, à commotis dictis pulveribus, ceu fieri debet, obortus, nec non liquores sedimentum aliquod habentes, maximè displicent; illis tamen Medicus aliâ aliquâ confortante aquâ occurrere potest; aliàs nulla Aqua, vel Essentia colorata, odorata &c. prostare in Officinis deberet; cum nonnunquam ægroti reperiantur, qui

tales

tales omnimodè respuant, atque medicamentis, quæ colore, odore & sapore destituuntur, sanitatem sibi redintegrari, desiderent.

Licet vicissim alij nonnulli dentur, qui albedine illâ in aquâ confortante non observatâ, de ejusdem bonitate dubitant.

2. Præstantiorem fore Aquam hanc, cum *solutione perlarum*, & *coraliorum* paratam, viresque suas longè celeriùs exserere; multum enim temporis, antequam à debilitato ægrotantis ventriculo, & depravato fermento acido simplicia illa dissolvantur, requiri, vel prorsus intacta eadem excerni, objicit. Cui objectioni oppono, quæ Zvelferus in fine *Classis vigesimæ*, de *coraliis*, *margaritis* &c. *præparatis* habet; dum præparata talia admittens, *facillimæ solutionis ea esse, atque ab Archeo nostro, innatoq; calore utcunque devinci & actuari posse*, scribit. Ergo etiam hoc in medicamento *coralia*, & *margaritæ* facillimæ erunt solutionis, atque in corpore nostro utcunque actuari poterunt.

Nec ægrotantium fermentum acidum in ventriculo naturale in morbis semper infringitur, aut depravatur; sed non raró nimiùm potius augetur; ut ita talium præparatorum solutionem multò promtius absolvere queat; à solutionibus autem, cum *aceto destillato* factis, magis intendi, sicque majus in periculum decumbentem conjici posse, videatur.

Nec immeritò dubitare adhucdum licet, utrùm non *solutiones coraliorum*, & *margaritarum*, antequam destinatum ipsis scopum attingant, in corpore præcipitentur, dum variorum saporum humores in eo contineri, qui acidum *aceti* absorbere &c. possunt, quis considerat?

Quin ipse Zvelferus in *Pharmacopœiâ Regiâ* talismodi præparatis simplicibus sæpius utitur; prout e. g. in *Confectionem alchermes*, *margaritas orientales*, & *coralia rubra præparata pag. 180.* recipit.

In AQUA CORDIALI TEMPERATA *pag. 291.* I. Destillationem *cuspidum succulentorum cornu cervi junioris recenter capti* improbat; quia, Balnei calore, aquam duntaxat, sive humiditatem elementarem, exili virtute præditam, per alembicum illi exsudent; remanentia verò summas ac unicè expetendas virtutes contineat. Sive magnarum virtutum sit aqua illa, quæ è *typhis cervinis*, sanguine turgidis, per Balneum elicitur, sive exilium, nihil hîc refert; sufficit enim, non omnibus eam destitui, ita ut aqua elementaris dici nequeat.

An remanentia tantas contineat vires? nescio; dum post destillationem peractam, corpus saltem spongiosum, levissimum, ac quod mole & adspectu nauseam movere potest, remanet.

Cæterùm

Cæterùm cur Zvelferus, circa finem *animadverſ. pag. 464.* hanc è *tenellis cervorum cuſpidibus*, leni M. B. calore, deſtillatam aquam, à relicto capite, ut ita dicam, mortuo, bis, ter, quaterve cohobando, abſtrahit?

Facit hoc, ut virtutes majores, vel aquæ, vel pulveri remanenti, imprimat.

Aquæ vires eo modo intendere, ipſum voluiſſe, haud exiſtimo; cùm neque uſum ejusdem aquæ, operoſus aliàs in medicamentis è *cervinis* iſtis *typhis* parandis, tradat; neque à rebus ſimilibus fixis, unquam ſimplici illâ deſtillatione, aliquid elici queat, *licet quis decies* (verba ſunt Zvelferi de nonnullis fixis vegetabilibus *Aquæ antimelancholicæ Fiſcheri*, paulò ante examinatæ) *in M. B. cohobationem inſtituerit.*

Et ſi quid virtuoſi à remanentiâ aqua ſic cohobata raperet, iniquè cum remanentiâ ageretur; quia hæc tali modo in ſummis ac unicè expetendis virtutibus ſuis detrimentum ſubiret.

Neque capiti mortuo relicto, ab aquâ indè deſtillatâ, licet bis, ter, quaterve cohobetur, quidquam accedere, Zvelferi ſententia evincit. Quod enim quis non habet, alteri impertire nequit; & ſic *Aqua typhorum cervi*, ſi purè elementaris eſt, nec ullas virtutes poſſidet, nullas quoque reſiduæ materiæ, pro pulvere decantato expetitæ, largiri poteſt.

Aliquas verò in primâ deſtillatione ſi per alembicum ſecum eduxit, illæ certè in ſecundâ, tertiâ, & quartâ deſtillatione, nunquam fixæ remanebunt, ſed calorem Balnei perſentientes, per alembicum, uti primâ vice, exibunt.

II. Admiſtos *ſuccos limonum*, *granatorum acido-dulcium*, *pomorum ſubacidorum*, & *rubi idæi*, malè admiſceri, putat; quia eorum aciditas pariter in reſiduo maneat, quæ tamen in denominatis adfectibus non parum juvamenti adferre poſſet. Verùm ut negari nequit, aciditatem ſuccorum horum acidorum, dum deſtillantur, in reſiduo manere: ita, nihil virtutum adſcendere, inepta, cumprimis ex Zvelferi fundamento ſi agatur, ſtatuere, eſſet animadverſio.

Auguſtani igitur non acidum illum ſaporem, ſed ſubtiliſſimas ſuccorum partes *Aquæ cordiali* imprimere voluerunt.

Ineſſe autem ſuccis his partes ſubtiles, non contemnendas, clarè ſatis animadverſiones in Sirupos de ſucco acetoſæ, & acetoſellæ edocent; ubi Siruporum è ſuccis parandorum confectionem, per præcedentem deſtillationem, fieri debere, ſtatuitur; ne potiorum & nobiliſſimarum partium jacturam faciamus; idque exemplo *Sirupi acetoſæ* & *acetoſellæ* comprobatur.

Eodem

Eodem igitur jure *succus citri*, vel *limonum* quoque gaudebit, cujus in M. B. destillationis *pag. 2. Append. animadverſ.* mentionem facit.

Succum granatorum, in *Siruporum, de menthâ minori, & majori Meſues*, præparatione, destillationi adaptare docet.

Pomorum dulcium & acidorum ſuccum non frustrà destillari, nisi ipse hoc frustrà fecerit, *animadverſiones Sirupi è pomis ſimplicis Meſues* evincunt.

De *rubi idæi ſucco* simile est judicium; cujus *fructus aqua pag. 197. Pharmacop. Reg.* bis à Zvelfero præscripta invenitur.

Cæterùm aciditas eorum, licet egregiarum sit virtutum, propriè hîc non desideratur.

Acidi enim liquores, uti *animadverſ. in Sirupum acetoſitatis citri* habent, *quodammodo fixi ſunt*; & consequenter, subitaneam refocillationem haud præstant; *Aqua* verò hæc *cordialis* in subito virium lapsu, ex defectu spirituum animalium, aut vitalium, ubi celerrimâ opus est refectione, apoplexiâ, epilepsiâ &c. præcipuè commendatur.

Quin huc adplicare etiam liceret, quæ Zvelferus in *animadverſionibus Sirupi de borragine* adduxit; ubi, cùm hi *flores borraginis* instaurationi cordis spirituumque vitalium dicati sint, eos in se reconditum habere spiritum quendam, spiritibus vitalibus, eorumque scaturigini, cordi, familiarem, qui coctione in auras avolet, ac ideo destillationis ope conservandus sit, concludit. Recensitos autem hac in aquâ succos, cùm pariter cordis atque spirituum ejus robori dicatos ipsos esse, certum sit, similiter spiritum quendam, destillatione impetrandum, continere, haud prorsus diffitendum erit.

Succus rubi idæi, è fructu, qui subdulcis est, benè maturo paratus, nisi corruptus vetustate acidus fiat, minùs rectè inter acidos collocatur.

Fieri autem hoc à Zvelfero, ejus annotatio, quam Aquæ præsentis animadversionibus adjungit, testatur; ubi *ſuccorum acidorum*, utpote *citri, granatorum*, & aliorum destillatione rejectâ, loco prædictorum succorum, ipsorummet fructuum spiritus substituisse se, Zvelferus scribit, atque in frontispicio spirituum horum substitutorum, ob quorum largam satis quantitatem *Aqua* hæc *temperata* ampliùs dici vix potest, *Spiritum de rubo idæo* ponit; *ſpiritu granatorum*, etiam promisso, planè omisso; & *Aquâ corticum citri*, loco *ſpiritus fructuum citri*, pariter promissi, additâ.

Ubi simul obiter noto, *ſuccos acidos citri, granatorum &c. ad cordis corroborationem, propter ſymbolicam aciditatem liquoris in pericardio existentis*, plurimùm posse, à Zvelfero statui; qui tamen rebus fixis, sive terrestrioribus, qualis ipsi est succus citri &c. vim penetrandi strenuè contra Augustanos alias negavit.

Aciditas

Aciditas quoque aquæ in pericardio naturaliter nulla eſt; quæ alterius ſeri, ſive lymphæ adinſtar ſe habet; atque potius ſalſa, (voce hac in eo ſenſu, quo Zvelferus vult, ſumtâ) quàm acida, & ita acidis contraria magis, quàm *ſymbolica* eſſe, deprehenditur.

III. Compoſitarum *Specierum*, nimirum *cordialium temperatarum, de gemmis frigidis, diamargariti frigidi*, & *roſatæ novellæ*, additionem adgreditur; quarum ingredientia *pleraque & ferè omnia*, exceptis *gemmis, auro, argento, margaritis, coralis, ſpodio ſive ebore calcinato, ſerico, & ſaccharo*, jam antea ipſi Aquæ hujus compoſitioni inſerta ſint. Verùm, nec errorem dici debere, in compoſitum aliquod ſpecies quasdam, quæ ſimplicia nonnulla, in compoſito jam poſita, contineant, recipere, ſæpius jam Zvelfero reſponſum fuit; nec enumeratarum in hac *Aquâ cordiali* Specierum ingredientia *pleraq; & ferè omnia*, exceptis illis à Zvelfero conſignatis, ipſi Aquæ præſentis compoſitioni inſerta eſſe, imò parum ultra dimidiam partem, unicuique, dictarum Specierum ingredientia cum *Aquæ cordialis Auguſtanorum* ingredientibus conferenti, adparebit.

IV. *Gemmas, aurum, argentum & ſpodium* fruſtrà conſimili deſtillationi ſubjici, cum Zvelfero, & illis, qui ante Zvelferum hoc jam obſervârunt, fateri, neceſſe eſt; ut ita Pharmacopœi Specierum prædictarum ingredientia, ſeparatis deſtillationi inutilibus hiſce, optimo jure ſubſtituere queant; non minùs enim *Aquam cordialem*, quæ ſpe de recuperandâ valetudine priſtinâ ægrotantem haud fruſtrabitur, experientiâ adſtipulante, obtinebunt.

Quanquam, ſi Species iſtas unà cum duris illis corporibus, prout in Officinis jam paratæ proſtant, ob laboris compendium &c. ſumantur, Aquæ præſentis *uncia una* vix centeſimâ parte unius Imperialis carior evadat, multò minùs ſummum detrimentum ægro adferre queat.

Conſervam roſarum ſtupidè huic compoſitioni adjectam eſſe, ſtupidè objicitur; de qua, ſic monente Zvelfero, *Balſami embryonum Examen* conſulatur.

Perpende nunc, Lector Benevole, quàm inconſideratè (non dicam, *ſtultè*) magnificæ tales animadverſiones, à Viro, præ aliis eruditum ſe æſtimante, ex parte conſcribantur; quas ubi paulò ſeveriùs examinaveris, nugis refertiſſimas, ac inſuper antilogiis plenas eſſe, manifeſtè deprehendes.

ELIXIR VITÆ MATTHIOLI *pag. 293.* easdem, quas Aqua proximè præcedens, redolere ineptias & abſurditates, Zvelferus cavillatur. Sed nec *typhos cervinos*, ſuccosve acidos recipit, nec tantis ineptiis, ſive erroribus, qui quidem ipſi imputantur, ſcatet; de quibus *Examen Antidoti Matthioli*, & *Aquæ* prægreſſæ *cordialis* conſulatur.

Quam

Quam ipse subjungit Elixiris hujus præparationem, non impugno; hoc tantùm moneo, ipsum non omnia *Elixiris vitæ Matthioli* ingredientia, quæ destillationi adsignatæ adcommodata sunt, in suum Elixir recipere, sed tanquam ad destillationem inepta rejicere; cujus exemplum *santalum album* pari passu ferè cum *citrino* ambulans, *cassia lignea*, *spica indica*, *camphora*, *mastiche* &c. præbent.

Cætera ingredientia, minùs ritè destillationi huic subjecta, quia excluduntur, credita, magni momenti haud sunt, & quæ Elixiris precium magnopere augere possunt; siquidem ejus *drachmæ duæ* vix millesimâ parte unius Imperialis, qua exiguâ portione nec mendici preces explere solemus, carior ita redditur.

In AQUA EPILEPTICA LANGII *pag. 295.* 1. *vini à floribus liliorum convallium* abstractionem, ad siccitatem usque florum, fieri debere, admonet; quod Augustani etiam observant.

Cui tamen, spirituosiorem saltem partem elicere, & partem aliquam phlegmatis cum residuo relinquere, placet, ille neutiquam errabit.

2. *Flores lavendulæ* & *rorismarini recentes* accipiendos esse, animadvertit; quod, si fieri possit, ipse prudens Pharmacopœus novit.

Addi autem, vel demi quædam ingredientia posse, nonnulla augeri, vel diminui, neminem latet.

Augustanis illa *florum lavendulæ* & *rorismarini* quantitas placuit.

3. Utrùm *visci querni spiritus radicalis*, violentiori igne prolectus, ipso *visco querno*, cum aliis speciebus destillationi in hac Aquâ commisso, melior sit, non disquiram?

Minùs tamen gratam naribus & ori aquam indè reddi, certum est; cùm spiritus ille fœtidus sit, atque empyreuma redoleat; etiamsi rectificatus is adhibeatur.

4. *Radices pœoniæ* perfectè destillatæ Aquæ denuo immergi &c. quidem possunt; necessarium tamen haud est, id observare.

Aliàs Zvelferi *Aqua antapoplectica prima*, & *secunda Pharmacop. Reg. pag. 193.* & *194.*; nec non *antepileptica pag. 199.* &c. similem animadversionem subire cogerentur.

Coronidis loco, *Aquam* hanc *Langij*, ad dissolutionem integræ *libræ sacchari*, à Zvelfero *pag. 22. Append. in Pharmacop. Reg.* adhiberi, & dein ad tabulati consistentiam coqui, sicque meliorum ipsius partium spirituosarum & odoratarum jacturam fieri, noto.

Pro AQUA EPILEPTICA PUERORUM *pag. 296.* aquas, sine

ſine ullâ aquæ communis additione deſtillatas, adhibere præcipit; qua de animadverſione in *Aquæ confortativæ uſitatæ Examine* actum jam fuit.

Quòd ſi quis Pharmacopœorum, absque proprio diſpendio, aquas iſtas ſimplices, ſine aquæ communis additione, deſtillare & divendere poſſit, ab Auguſtanis etiam commendabitur.

Si inſuper è re ſuâ fore, Pharmacopœus judicabit, ut aquas è ſelectioribus vegetabilibus, cum, & ſine additione aquæ communis, deſtillatas; nec non alias aquas compoſitas, ſimplices tales, cum, & ſine additione paratas, recipientes, ſemper in promtu habeat, neque in hoc animadverſionem incurret; dummodo proprij commodi memor, ſi Zvelferi ſententiam ſequi, animus ipſi eſt, ubi aquæ ſimiles à Medico præſcribuntur, vel alioquin ex Officinâ petuntur, prius inquirere: an æger in numero illorum eſſe velit, *qui ſanitatem æri præferunt?* non obliviſcatur.

AQUAM PRO EPITHEMATE CORDIS NORIBERGENSIUM *pag. eâdem*, non minoribus, quàm ſuperiorem illam *Aquam cordialem temperatam*, refertam eſſe erroribus, arguit Zvelferus. Sed non modicè Aquæ hæ à ſe invicem diſtant.

Lapides precioſos &c. nihil virtutis deſtillatione illâ per alembicum emittere, iterum non impugno.

Acetum cum *coraliis*, & *margaritis* coagulari, & ita nil niſi inutile phlegma emittere, pernego; ſi dictum *acetum* cum magnâ *aquæ roſarum* & *vini malvatici* quantitate dilui, & quaſi infringi, quò minus commodè, & promtè ſolutionem abſolvere poſſit; econtra exiguam *coraliorum*, & *margaritarum*, reſpectu *aceti*, copiam eſſe, intueor.

Præterea ſumitur *Acetum roſatum*, quod, *roſarum* eſſentiâ & ſubſtantiâ ſaturatè jam imbutum, ad ulteriorem extractionem (vel ſolutionem) aliarum rerum non adeo commodum eſſe, *pag. 11. Append. animadverſ.* ipſe venditat. Unde quoque in corpora illa *margaritarum*, & *coraliorum*, vix imperium, juxta hanc Zvelferi doctrinam, habebit.

AQUAM FUMARIÆ COMPOSITAM *pag. 297.* indignam judicat; quæ publicis Diſpenſatoriis inſeratur, atque cujus correctioni opera detur; cùm *ex ſpeciebus ipſi deputatis, utpotè quæ naturâ ſuâ ſatis violentam, ſine virium deperditione, coctionem pati poſſunt, & quarum etiam bona pars (nimirùm pulpæ illæ Caſſiæ & Tamarindorum,) jam antea ſufficienter cocta eſt, aquam viribus ullis præditam, leni in B. deſtillatione, elicere, impoſſibile* ſit. Sed nugas venditare Zvelferum, ſi ingredientia hujus Aquæ penitiùs conſiderentur, facilè eluceſcit.

Radices

Radices enim *polypodij* ab ipso destillationi commissas fuisse, supra jam indicavi; id quod etiam cum *radicibus glycyrrhizæ* peregit.

Herba absinthij, flores borraginis, buglossi, violarum, rosarum, quòd naturâ suâ satis violentam, sine virium deperditione, coctionem pati possint, qua fronte adserere audet? Annon superiùs, in *Classe primâ,* in horum decoctionem, qua spirituosas partes avolare, objecit, debacchatus fuit? Nonne in *Classe decimâ quintâ Pharmacop. Reg.* eorundem simplicium in aquas destillationem habet?

Epithymum destillatione aliquid virtutis exhalare, negari nequit. An itaque Aquam hanc nullis præditam esse virtutibus, dici potest?

Pulpas cassiæ & tamarindorum sufficienter coctas jam esse, præparatio earum minimè arguit; ceu in principio *Classis tertiæ Dispensatorij hujus* clarè satis videre est.

De AQUA HIRUNDINUM USITATA *pag. eâdem,* si eadextrè elaboretur, quin in denominatis adfectibus multum præstare possit, nullus dubitat. Negari equidem nequit, hanc, aliasque nonnullas Aquas, si sumtus, & aliæ circumstantiæ permitterent, efficaciores reddi posse; præsentem tamen satis efficacem esse, sufficit; ut ita illam compostituri minimè, *nucleos abjicere, corticibus servatis,* dici queant.

Libet autem inquirere, in quonam cumprimis Zvelferi ille, efficaciorem reddendi aquam hanc, processus, ab Augustanorum præparandi modo differat?

1. Zvelferus singulis *aquis destillatis,* videlicet *liliorum convallium, florum sambuci, pæoniæ, & tiliæ, uncias duas,* nescio quam ob singularem causam, detrahit; dum pro *mensurâ unâ Augustanâ,* sive *unciis triginta duabus, libras duas cum dimidiâ,* sive *uncias triginta* tantùm recipit. An hoc efficaciam Aquæ augere, dici queat; alij inquirant? Mihi, contrarium potius esse, videtur.

Aquæ verò prædictæ absque aquæ simplicis additione destillatæ ut sint, requirit; in quo tamen ab Augustanis eatenus non dissentit, quatenus & Ipsi similes Aquas, si ob sumtus & copiam earum fieri possit, admittunt.

2. *Pullos hirundinum vivos* Aquis istis immittit, & indè humiditatem totam in M. B. abstrahit. Augustani verò *hirundinum pullos vivos discerptos vel dissectos* adhibent. Ac ita in utroque modo, si ritè procedatur, spiritus ille vivificus, à Zvelfero decantatus & studiosè quæsitus, conservatur.

Nam idem esse, *hirundines* vel integras, & per se destillare: vel illico, postquam *vel vivæ, vel lacer atæ* in destinatum liquorem destillandum immissæ fuerint, destillationem inchoare, ex *Append. animadvers. pag. 37.* colligitur.

 Quamvis

Quamvis huic contrariantem ſententiam *pag. præced. 35.* fovere eum, haud ignorem; ubi *ſola animalia viva* deſtillare præcipit, nullis aliis rebus heterogeneis admixtis, ne virtutes quæſitæ indè amittantur.

Si fortè quis objiciat, Auguſtanos ſpiritus illius fugaciſſimi, ob 24. horarum digeſtionem, quæ deſtillationi præmittitur, jacturam facere; illi, cum *aquis deſtillatis liliorum convallium, florum pæoniæ &c.* eundem utique conjunctum eſſe, regerere liceret. Aquas autem deſtillatas, & ſpiritum vivificum arctiſſimâ copulâ uniri, ſpiritus hujus Patronus, uti mox dicetur, nos edocet.

Namque *pag. 30. Append. animadverſ.* in *Eſſentiâ alexipharmacâ*, quam *Aquæ antidotali Matthioli* ſubrogat, *ſex viperas* recenter mactatas liquori cuidam deſtillato immergit, atque in illo emori permittit; *taliter namque*, ſcribens, *ſpiritus viperarum vivificus liquori integrè communicatur.* Antequam autem infuſas haſce *viperas* deſtillet, ſex circiter dierum ſpatio, digeſtionem præmittit.

Porrò *Pharmacop. Reg. pag. 150*, *Vini ſerpentini* præparationem tradens, *ſerpentes* mactatos, adhuc tamen vivos, *vino* immergere, jubet, cujus poſtea unam ebullitionem fieri poſſe, concedit. Aſt in hac ebullitione ſpiritus *ſerpentum, vini ſpiritu* ligatus, avolare nequit; quia aliàs Zvelferus, magnus ipſius admirator, ebullitionem iſtam non commendaſſet, ac nobile ſal volatile, ſubtiliſſimum, in auras imprudenter relegare, non docuiſſet.

Aliud exemplum in altero ab hoc ſequenti jam paragrapho è Zvelfero adducetur.

Libet ulterius circa ſpiritus hujus conſiderationem deliciari, & qua ratione ipſi, tanquam ſummè volatili, atque ex ſubtiliſſimo ſale volatili conſtanti, compedes injiciendi ſint, ne aufugiat, cum Zvelfero inquirere; qui duplici modo artificium hoc adgreditur.

1. Mediante unione cum aquâ aliquâ deſtillatâ.

Sic *Pharmacop. Reg. pag. 199.* ſpiritum vivificum *hirundinum* cum aquâ earum elementari prolectum, & aquæ, ex diverſis vegetabilibus, floribus cumprimis atque aromatibus, deſtillatæ, unitum, *arctiſsimâ copulâ ſtabiliri & perdurare*, memorat.

Quod ipſum ſanè egregius foret modus, ſalia volatilia animalium (quale in ſpiritu iſto vivifico ſtabulari, venditatur) figendi, & à fugâ, quam adpetunt, coërcendi.

Verùm, non refragabor, ſpiritum illum vivificum (præſuppono enim, eſſe ipſum ſalinum volatilem, imò, eſſe in rerum naturâ) diutius perduraturum, cum aquâ aliquâ deſtillatâ miſtum; quàm ſi ſolus adſervetur.

Cujus,

Cujus, *salium volatilium C. C.*, *viperarum &c.* in propriis spiritibus solutorum melior adservatio, exemplum præbet.

Tantam tamen intercedere unionem, ut *arctissimam earum copulam* esse, dici queat, dubito.

Imò potius, vel minimâ datâ portulâ, spiritus, particulam fortè meliorem aquæ destillatæ secum abripiens, avolat, ac ruptâ *arctissimâ* istâ *copulâ*, aquas fixiori corpore præditas relinquit.

Quin ipse Zvelferus salis alicujus alcalici, fixi, accessum tam necessarium esse, *pag. 200. Pharmacop. Reg.* putat; ut, *secus si operatus fueris, nullis limitibus* (Ergo nec aquis destillatis, sale fixo destitutis) *hos spiritus continere possis, utut vitrum munias, quin evanescant.* Itaque

2. cum sale aliquo fixo, sive alcali, tales spiritus figi posse, *cit. pag. 199. 200. &c.* innuit, adeo, *ut hi perpetuo nexu cum alcali sese uniant & constantes persistant.* Quod ipsum tamen experimento, circa *sal viperarum volatile* instituto, contrariatur; quod scilicet sal volatile cum proprio sale fixo, è cineribus *viperarum*, post destillationem in sal volatile, calcinatarum, extracto; figere, frustrà se tentâsse, *pag. 276. animadvers. in Sal theriacale Antiquor.* conqueritur.

Nec certè, etiamsi *unciam unam vel alteram* salis fixi in liquorem immittas, in quem vel paucum sal volatile per destillationem pellitur, negotium succedit; multò minùs, si sal volatile, quale illud vivificum animalium esse, creditur, subtilissimum existat.

Quia igitur neque destillatæ aquæ, neque salia fixa, è cineribus extracta, hoc præstant, quod Zvelferus ex propriis fundamentis cognoscere debuisset; quis non miretur, quòd tam citò artificiosissimi sui, salia volatilia cum *spiritu salis* figendi, artificij, in *præcedente Classe* modò communicati, oblitus fuerit?

Si enim spiritus vivificus pariter ex sale volatili constat, utique & ipsum ingeniosa *spiritus salis* adfusio à fugâ per longum tempus coërcere debet.

Sed mitto hos figendi modos; quia nondum, de existentiâ salsi illius vivifici liquoris, certi quid constat, multò minùs, quòd egregias operationes ediderit; quin potius, si quis in talem spiritum spem in morbis periculosis collocet, metuere is debeat, ne ipse in spiritum abeat.

3. Differentia inter *Aquam* præsentem *hirundinum* Augustanorum, & Zvelferi est; quòd Illi *viscum quernum*, *radices*, & *semen pæoniæ*, mox cum *hirundinibus*, & *aquis liliorum convallium* &c. unâ eâdemque operâ committant destillationi; Zvelferus autem solas *hirundines*, & aquas destillet, reliqua destillationi repetitæ reservans. Quod nihil aliud est, quàm laborem

rem & sumtus augere, quos aliàs in minutissimis quoque rebus, ubi Augustanos paulò excessisse, videt, contrahere, non sine acerbâ nimis animadversione, laborat.

4. *Pullos hirundinum* à destillatione superstites, siccatos, aperto igne destillat, egressum spiritum cum sale volatili, ab oleo fœtido separatum, bis rectificat, ac cum primâ destillatâ aquâ, cui spiritus vivificus *hirundinum* inesse debet, conjungit. Quo equidem modo efficaciorem hanc Aquam fieri, non negaverim; minùs tamen gratum, licet *coriandri, macis,* & *cubebarum* odoris tantillum accedat, prosurgit medicamentum, quod infantibus cumprimis, ad quorum convulsiones etiam commendatur, difficulter exhiberi potest.

Cæterùm *binâ rectificatione* spiritus, & salis volatilis opus haud est, cùm unica sufficiat, qua sal albissimum, & acutissimum impetrari, *pag. 275. animadvers.* scripsit.

De *coriandri, macis,* & *cubebarum* additione, ad obtundendum salis volatilis odorem, nil moveo, quem aliàs per *spiritum salis* mitigare, atque eo ipso fugacitatem ejus inhibere, consuevit.

5. Ex residuis à destillatione vegetabilibus extractum cum *spiritu vini* conficere, jubet. Quod equidem fieri posse, si cui arrideat, nemo non concedit.

An verò necessarium sit, dubitari posset, si quis spirituosam & balsamicam essentiam, in qua cephalicorum medicamentorum potissimam virtutem latere, Zvelferi fert opinio, jam separatam esse; terrestre autem illud à destillatione superstes, uti ex eodem Zvelfero colligitur, penetrandi vi destitui; atque insuper in *Aquâ,* v. g. *antepileptica & cephalicâ Pharmacop. Reg. pag. 198.* ab ipso parùm æstimari, consideret.

AQUAM HIRUNDINUM COMPOSITAM MINOREM *pag. 298.* eodem modo, quo priorem, sal scilicet volatile, è *pullis hirundinum,* à quibus, in *vino* suffocatis, *vinum* abstractum fuit, prolectum, huic conjungendo, & dein cum *rutâ,* & *castorio,* nec non quibusdam odoriferis, ad odorem ingratum salis volatilis, & *castorij* infringendum, denuo destillando, parari debere, animadvertit. De hac igitur *præcedentis Examen* consulatur.

Additione tamen nonnullorum odoriferorum vel ideo opus haud esse, existimo; quia Aqua hæc in ipso paroxysmo epileptico tantùm ab Augustanis commendatur; ut eo perculsos exsuscitet; ubi certè odorem illum *castorij,* & salis volatilis infringere, vel obtundere, nulla est necessitas.

Similiter

Similiter cum AQUA HIRUNDINUM COMPOSITA MAIORI *pag. eâdem* procedendum esse, monet. Cui igitur pariter *Examen Aquæ hirundinum usitatæ* adplicari poterit.

In specie *Acetum scilliticum*, & *spiritum vitrioli* rejicit. Illud, quia *sal volatile hirundinum* in aliud ens transmutat. Quod si de sale volatili, igne violento, per destructionem *hirundinum*, profectò, intellectum velit, Augustanis animadversio hæc non scribitur.

Quanquam aliàs utique omitti, vel, peractâ secundâ destillatione, liquori egresso, tum ut vires suas impertiatur, tum sal volatile à fugâ nonnihil coërceat, addi possit.

Licet enim exin sapor *aceti* acidus, & salis volatilis urinosus, in acidosalsum (uti Zvelfero dicitur) sive neutrum, mutetur, vires tamen utriusque salvas adhuc esse, fatere coguntur, qui salium volatilium fixationem, à Zvelfero cum *spiritu salis* factam, venerantur; cùm aliàs, omnia salia volatilia Zvelferi, simili modo fixata, genuinas suas vires, quas ante fixationem possederunt, amissas esse, dicere teneantur.

Sin de spiritus vivifici sale volatili Zvelferus loquatur, veritus, ne illud ab *aceto* fixatum in cucurbitâ detineatur, nec ita in destillatione per alembicum adscendere queat, tunc, & propter incertitudinem illius salis, &, si detur, paucissimam ejusdem quantitatem, utile tale ingrediens rejicere, haud convenit.

Cæterùm *Aceti* hujus loco, *succum scillæ*, *aquam*, vel *succum florum tiliæ*, quod vult Zvelferus, quin multa alia substitui posse, nemo Medicorum, si vires Aquæ præsentis intueatur, & ritè omnia perpendat, ignorat.

Interea Augustanis *Acetum scilliticum* sumere, placuit.

Spiritum vitrioli quod concernit; illi *phlegma, vel potius spiritum vitrioli volatilem sulphureum, à proprio suo spiritu acido semel atque iterum rectificatum*, substituit; cùm in adfectibus apoplecticis & epilepticis hunc, præ illo acido, corrosivo, longè efficaciorem, atque magis adpropriatum esse, putet. Hic verò *spiritus vitrioli*, è phlegmate, & spiritus acidi particulâ conflatus, parum volatilium partium in se continet; quarum melior pars in prægressâ calcinatione jam avolavit.

Qui autem *spiritum vitrioli volatilem* obtinere desiderat, nudâ phlegmatis à spiritu acido abstractione, rem non tentet; cùm alias nobiliores ἐγχειρήσεις requirat.

Certè, si Augustani phlegma *vitrioli*, à *spiritu vitrioli* acido corrosivo semel atque iterum abstractum, pro *spiritu vitrioli volatili sulphureo*, & multas præro-

prærogativas, præ communi phlegmate *vitrioli*, ad apoplexiam, & epilepsiam, habente, venditassent, Zvelfero egregiè dubio procul vapulassent.

LACTIS VIRGINEI *pag. 299.* præparationem admittit, &, quantumvis *solutiones aluminis*, & *lithargyri* se invicem præcipitent, ut neutrum horum operationes suas proprias ritè exserere possit, nihilominus tamen ita mixta refrigerando, fucatamque cuti albedinem inducendo nonnihil præstare posse, concedit. Benè; Augustani, dictas solutiones commistas albescere, unde *Lactis* nomen mixturæ illi impositum fuit; & hanc albedinem ex præcipitatione fieri, non ignorarunt.

Insuper non alium in finem, quàm cosmeticum ut evadat, hujus præparationem fieri, adnexa virtutum ejus enumeratio ostendit.

AQUAM LITHARGYRI pag. eàdem quod spectat, ejus præparationem nec ipse adprobare possum; nec Augustanis in usu esse, literæ minores, quibus descriptio ejus traditur, Zvelfero indicare potuerunt.

Cæterùm per institutam destillationem non sola *aqua rosarum*, *thuris*, ac *camphoræ* odore, quod vult Zvelferus, nonnihil imbuta; sed etiam Aqua, *sale volatili olei tartari* p. d., sic vulgariter dicti, sive *salis tartari fixi*, humiditate aëris attractâ resoluti, prægnans impetratur.

Si scilicet aquam elementarem, in quam, rarissimè aliquid salini continentem, illud *sal tartari fixum*, methodo Tackenianâ, *cap. 10. Hippocratis Chimici* descriptâ, redigitur, nomine *Salis tartari volatilis Helmontiani*, quanquam *stupidissimè*, vocare liceat.

Quem processum sibi surreptum, & postea, ceu maximum arcanum, Thrasonico elogio à Zvelfero celebratum, obtrusum fuisse, non immeritò *Tackenius cap. 4. Clavis antiquiss. Hippocrat. medicinæ*, conqueritur.

Hac facili viâ aliorum quoque salium volatilisatio facilè impetrari posset.

In AQUÆ MASTICHINÆ *pag. 300.* præparatione, quam iisdem verbis *Medici Hafnienses* proponunt, desiderat Zvelferus; *quod de eo, quomodo scilicet hæc ipsa aqua dextrè destillanda sit, & an liquores, qui ultimò igne violento & fortissimo prodibunt, empyreuma redolentes, nec non oleum fætidum, à Maci, Mastiche, Caryophyllis & Cinamomo priori grato odorifero & præstantissimo liquori commiscenda sint, ne tantillum quidem meminerint* Augustani, *abundè se muneri suo satisfecisse putantes, quod quemlibet liquorem à destillatione seorsim asservandum esse innuerint: Ast meherclè*, pergit, *hoc ad efficiendam gratam, efficacem & ventriculum insigniter roborantem aquam nullatenus sufficit, quin aliâ viâ & quidem saniori procedendum erit, si voti nostri compotes fieri anhelamus.* Nescit certè, quid animadvertat, mordax Zvelferus.

Annon,

Annon, quomodo Aqua hæc dextrè destillanda sit, indicant Augustani, præcipientes, *species pulverisatas & mistas, addito vino malvatico, per triduum infundi, postea destillari debere in arenâ, igne lento, donec aquosus humor exierit,* qui est illa *Aqua mastichina*; *deinde fortiori,* quo oleum non adeo ingratum elicitur; *ultimò* verò *fortissimo,* unde liquor empyreumaticus producitur? Quid quæso clariùs dici potest? Et nihilominus Zvelferus impudenter objicere audet, quòd Augustani, quomodo hæc Aqua dextrè destillanda sit, *ne tantillum* meminerint.

Annon etiam Augustani indicant, quòd tres isti diversi liquores non commiscendi sint, sed *quilibet seorsim servari* debeat? An hoc non clarè satis propositum fuit? Et tamen Zvelferus imprudenter opponere non veretur, quòd Augustani, an ultimus liquor cum priori commiscendus sit, *ne tantillùm* quidem meminerint.

Sed ipse suo se testimonio falsitatis arguit, dum scribit: *Abundè se muneri suo satisfecisse putantes, quod quemlibet liquorem à destillatione seorsim asservandum esse innuerint.*

Usum verò singulorum tradere, ad præparationem medicamentorum non spectat.

Sufficiat, quòd primus, qui egreditur, liquor *Aquæ mastichinæ* vices expleat.

Si tamen reliquos duos externo usui, & quidem vario modo, quis destinare velit, is minimè errabit; etiamsi purum quoque *Oleum mastichinum*, vel aliud aliquod, similem effectum producat.

An autem, Aquam hanc gratam, efficacem, & stomachicam esse, negari potest? Neutiquam, nisi & rationi, & experientiæ contradictio fiat; & nisi *Aqua mastichina* Zvelferi *Pharmacop. Reg. pag. 202.* pariter elogio suo defraudetur; nimirum quæ ab Augustanorum compositione parùm differt, nisi quòd, imminutâ *macis* quantitate, & aucto *cinnamomi* pondere, aliquam insuper virtutem à *nucis moschatæ* superadditâ *unciâ unâ cum dimidiâ*, & paululùm odoris à *styracis calamitæ unciis duabus & dimidiâ* accipiat; in hoc tamen deterior, dum à nimiâ *vini malvatici* quantitate, videlicet *libris quatuor*, oleosæ & utiles ingredientium partes disgregantur, sicque in operando segniores evadunt; insuper in *Balneo vaporoso* difficilior earundem adscensus metuitur. Cùm econtra Augustani *libris duabus vini malvatici* contenti sint; & destillationem *per retortam, in arenâ,* instituant.

Si igitur *summo emolumento cedit in affectibus ventriculi & cerebri frigidis* Aqua ista Zvelferi, uti ipse deprædicat; quo jure eadem efficacia Augustanorum Aquæ derogatur? Cur hæc sola nos *voti nostri compotes* haud reddet?

 Sanior,

Sanior, quem jactitat, Zvelferi processus, non aquam limpidam, qualem Augustani desiderant, sed coloratam, sive Essentiam aliquam suppeditat.

Quin tali ratione, saniori etiam viâ, cum *Aquæ mastichinæ*, è *Pharmacopœiâ Regiâ* modò adductæ, præparatione procedendum, atque eidem destillatæ, essentia, cum *spiritu vini* ex remanentiâ extracta, addenda erit.

Verbo, quidquid hîc animadversione suâ iniquâ carpit Zvelferus, illud omne in *Pharmacop. Reg. loc. cit.*, ratione præparationis, ad amussim ipse amplectitur. Cui itaque emendandæ prius opera ab adverso calamo locanda erit, antequam Augustanorum *Aquæ mastichinæ* præparationem petere, & reformare, ipsi licentia dabitur.

In AQUA MERCURIATA *pag. 301.* ingentem rerum apertè inter se pugnantium commixtionem improbat, qua unum ab altero præcipitari, & ita vires eorum reciprocè infringi, vel etiam penitus annihilari, objicit. Fieri in hujus Aquæ præparatione, *cerussæ*, *lithargyri*, ut & *Mercurij* præcipitationem, negare quidem nolo; vires tamen Aquæ hujus exin annihilari, nemo sanus dixerit, quia dicta simplicia in *aceto* soluta, hac ratione tantùm in pulverem impalpabilem, adscriptis virtutibus nullatenus destitutum, testante hoc experientiâ, rediguntur.

Servatur autem hæc Aqua *sine colaturâ*, vel filtratione; atque adhibetur non sola, sed unà cum pulvere in ipsâ subsidente, qui *cerussam*, & *Mercurium* non penitus annihilatum complectitur, sed qui in *plumbum*, & *mercurium vivum* reduci potest.

Plures verò Aquas, & Mixturas, eundem effectum producentes, conscribi posse, nemo ambigit.

AQUAM MIRABILEM LANGII *pag. eâdem*, cum *Aquâ cordiali temperatâ*, ratione ingredientium, comparat, *tùm quoad inutilem plurimarum rerum additionem, scilicet Margaritarum, Coralliorum, Spodij & Serici tosti (quæ species Diamoschi & Pleres Archont. ingrediuntur) nec non Myrobalanorum, Anacardiorum, mellis & butyri, (quæ sunt ex numero eorum, ex quibus confectio Anacardina composita est :) tùm etiam ratione farraginis ingredientium, quorum pleraque bis, ter quaterve, imò quinquies huic compositioni inseruntur, & quidem in tàm exigua quantitate, ut, si exacta computatio institueretur, inveniremus unamquamque dosin vix tantillum de hoc vel illo capere posse.* Verùm quidquid hîc objicitur, in antecedd. jam discussum fuit; quare ut illa Lector Benevolus, cumprimis quæ in *Examine animadversionum Aquæ cordialis temperatæ*, ad quam Zvelferus Lectorem pariter amandat, habentur, in memoriam sibi revocet, moneo.

Interea

Interea notare decet, ex ingredientium locatione, prout in hac *secundâ Pharmacopœiæ Augustanæ reformatæ editione* adducitur, facilè quempiam arbitrari posse, ac si *semen aquæ paralyseos, semen salviæ, betonicæ* & *florum tiliæ*, atque in satis magnâ quantitate, in præsentem compositionem recipi deberent, dum Zvelferus scribit:

Rec. Sem. Sileris montani,
Pœoniæ,
Fœniculi ana drachmam unam.
Aquæ Herb. Paralyseos,
Salviæ,
Betonicæ ana libram unam,
Florum Tiliæ libram unam sem. &c.

In Augustanorum autem Dispensatorio genuino, hæc ita exprimuntur:

Rec. Sem. Sileris montani,
Pœoniæ,
Fœniculi ana drachmam unam,
Aquæ Herb. Paralyseos,
Salviæ,
Betonicæ ana libram unam,
Florum Tiliæ libram unam semis. &c.

Mel, & *butyrum* quòd in hanc *Langij Aquam* recipiantur, dum putat Zvelferus, se ipsum decipit.

Augustani enim non *Confectionem Anacardinam* ipsam, sed tantùm *Species Confectionis Anacardinæ*, recipiendas esse, innuunt; nimirum *myrobalanos chebulos, emblicos, belliricos*, & *indos, piper nigrum, longum, castorium, costum, anacardia præparata, cyperum* &c, quibus si *butyrum*, atque *mel* commisceatur, non ampliùs *Specierum*, sed ipsius *Confectionis* nomine insigniuntur.

Et licet unaquæque dosis pauxillum de uno vel altero ingrediente recipiat, illud tamen pauxillum, cum reliquorum ingredientium pauxillo conjunctum, quamlibet dosin satis efficacem reddit, ut mirabiles edere effectus valeat.

AQUÆ NEPHRITICÆ D. D. JOHANNIS GEORGII BRENGGERI *pag. 302.* animadversiones non immeritò eruditis nauseam movent, qui mirantur, virtutem nephriticam Aquæ hujus tam imprudenter impugnari.

Non equidem diffiteor, multa huic compositioni inesse, quorum virtus magnâ ex parte, destillatione illâ, in residuo maneat; interea tamen nihil planè ex illis adscendere, uti supra, iterum nego.

E residuo extractum parare, unicuique per Augustanos licet; qui tamen hoc in loco tantummodo Aquam, cui dein à Medico, ubi præscribitur, extractum proprium, (secundùm Zvelferi consilium, unde tamen nauseosum satis evadit remedium) vel aliud aliquod conveniens medicamentum commisceri posse, neminem fugit, describere voluerunt.

In *Append. animadverſ. pag. 42.* I. Speciebus, destillationem commendatam respuentibus, etiam *radices petroselini, semen milij solis, & urticæ, baccas alkekengi, succos fragorum, veronicæ, radicem pimpinellæ*, adnumerat; & ipse tamen *Pharmacop. Reg. pag. 195.* ad destillationem *Aquæ asthmaticæ, radicem pimpinellæ; pag. 196. Aquæ antiscorbuticæ, semen urticæ; & pag. 197. Aquæ cordiali temperatæ calidæ, aquam fragorum*, quæ pars est *succi fragorum*, infert. Pro *Aquâ nephriticâ pag. 204. aqua petroselini ex toto*, & consequenter etiam *è radice*, destillata, *semen milij solis*, & *baccæ alkekingi* (*halicacabi* nomine donatæ) adducuntur. *Sirupum* Augustanorum *è succo veronicæ* & *saccharo* compositum, per destillationem conficere, in *Classe primâ animadversionum* præcepit.

An ergo & has Zvelferi compositiones Virorum eruditorum oculis indignas, nec aliâ, quàm Vulcani luce dignissimas, dicamus?

II. Augustanos tales species in Siruporum, Decoctorum, & Electuariorum præparatione coctioni submisisse, objicit. Verùm non existimarunt Augustani, quòd aliquæ subtiliores partes ibidem non avolent; sed eas tantopere non curarunt, residuis, & fixioribus contenti.

Aliud enim est, aquam desiderare; aliud Sirupum, Decoctum, vel Electuarium.

Quin eundem nodum in *Pharmacopœiâ Regiâ* deprehendo. Plurimæ enim species, quas in Siruporum, Electuariorum & Decoctorum nonnullorum præparationibus, violentâ coctione exercuit, in *Classe decimâ quintâ* de *aquis* &c. etiam destillationi adaptavit.

Exemplum suggerunt: *radices apij, enulæ, petroselini, pimpinellæ, herbæ hyssopi, rutæ murariæ, semen apij, thlaspios, baccæ halicacabi, lauri* &c. Ut de *herbâ rorismarini, melissæ, baccis juniperi, corticibus aurantiorum, limonum, calamo aromatico* &c. nihil dicam.

An horum quoque vires in decoctione non exhalare putavit; easdem autem in destillatione illâ, quæ multò minori ignis acrimoniâ peragitur, excipi à suis concretis, & destillationis beneficio exaltari posse, credidit Zvelferus? Certè, hæc & similia, Lector Benevole, considerans, Zvelferum, Augustanorum Dispensatorio animadversiones destinantem, in suam propriam *Pharmacopœiam* animadvertisse, fateberis, mecumq; totus miraberis.

In

In *AQUA USITATA AD OCULOS pag. 303.* non opus esse, arbitratur, ut ebullitio fiat in duplici vase, cùm infusio & digestio in vase, vel phiolâ clausâ sufficiat, ne spirituosiores *vini, & aquæ rosarum* partes coquendo exhalent. Verùm ebullitio in duplici vase si ritè instituatur, *vini, & aquæ rosarum* exhalationem fieri, non adeo facilè permittit.

Neque etiamsi vase aperto fieret, unicâ tantùm, vel alterâ ebullitione, quantùm nimirum sufficit, magna & notabilis spirituosarum partium jactura timenda esset; nisi regula Zvelferi, aliquoties in Siruporum præparatione tradita, pariter in dispendium notabile partium spirituosiorum, præparantem injiciat.

Cæterùm solâ etiam digestione Aquam hanc fieri posse, minimè nego; Ast hic præparandi modus alterum illum non tollit.

AQUAM ODORIFERAM *pag. eâdem* adhuc præstantiorem fieri posse, solùm animadvertit, si herbæ, & flores recentes, atque loco *aquæ rosarum*, spiritus earundem accipiatur; *styrax* autem, & *ladanum*, *lignumq́ aloës* nodulo inclusa capitello vel ejus rostro, unà cum *moscho*, & *ambrâ*, (si expetantur) imponantur. A floribus, & herbis recentibus odoratiorem fieri aquam, quàm si exsiccata illa simplicia sumantur, negari nequit.

Quod tamen ut observetur, neque Augustani interdicunt, vel contrarium præcipiunt; neque à Pharmacopœis, si fieri possit, intermittitur.

Unde hac animadversione præstantiorem conficere Aquam, Zvelferus minimè edocet.

Aquæ rosarum quidem preciosus, & longè carior *spiritus* earum substitui potest, necessarium tamen haud est; præcipuè quia tali modo odor *rosarum*, qui in *dimidiâ librâ spiritus* est intensissimus, præ reliquorum ingredientium fragrantiâ, nimiùm persentitur, eamq́ue obtundit; cùm potius æquale quasi temperamentum inter illos odores esse, & ne unius odor, præ altero, notabiliter emineat, major gratia requirat.

Si cui verò odor *rosarum* magnopere arrideat, illi Medicus *spiritus*, vel *aquæ rosarum* additione, gratificari facilè potest.

Quin ipse Zvelferus suis *Aquis odoriferis pag. 204. 205. Pharmacop. Reg.* non *spiritum*, sed *aquam rosarum* destinavit.

Styrax, *ladanum*, & *lignum aloës*, sive alembico ejusve rostro, sive cucurbitæ immittantur, odorem suum emittunt.

Moschus verò, & *ambra*, in nodulo inclusa, & aquæ immissa, odorem suum eidem impertiuntur.

Nec strictè opus esse, illum cum *styrace*, *ladano*, & *ligno aloës* modum, præ hoc, eligere, vel ipse Zvelferus mihi testis est; dum enarrata simplicia, non

non alembico impoſita, ſed unà cum aliis ingredientibus cucurbitæ injecta, in *Pharmacopœia Regia* diverſis Aquis, deſtillationi ſubjecit.

Ligni aloës exemplum *pag. 193.* in *Aquâ antapoplecticâ*, atque *pag. 207.* in *Elixir vitæ cephalico & ſtomachico* oſtenditur.

Styrax autem *calamita*, & *ladanum pag. 205.* in *Aquâ odoriferâ pro epithematibus cordis & pulſuum*, ope Balnei vaporoſi, eodem modo deſtillantur.

Styracem quoque *calamitam*, in reformatâ præparatione *Aquæ cordialis temperatæ Auguſtanorum*, unà cum aliis ſpeciebus in fundum vaſis injectam, non verò, *ligno aloës* &c. junctam, alembico impoſitam à Zvelfero fuiſſe, deprehendo.

Ex AQUÆ PANACIS HERACLEI COMPOSITÆ *pag. 304.* ingredientibus, præſtantiſſimam & efficaciſſimam Eſſentiam, è reſiduis ſcilicet à deſtillatione ſpeciebus, cum *ſpiritu vini* extractum ſpiſſum conficiendo, illudque Aquæ deſtillatæ additum digerendo, & filtrando, parari poſſe, animadvertit. Utique hoc, ceu in præcedentibus quoque obſervavi, conceditur; nihil tamen virtuti Aquæ hujus, quæ hîc, non verò Eſſentia expetitur, indè derogatur.

AQUAM PHYSOGONAM *pag. eâdem* adprobat; ſcrupulum tamen circa *ſeminis aniſi* magnum ſatis pondus, videlicet *libras duas*, movet, quod, factâ comparatione ad reliquas ſpecies, & *vinum malvaticum*, proportione excedere, putat; atque typographicum σφάλμα eſſe, & *uncias quatuor*, vel *quinque* ad ſummum ſufficere, exiſtimat. Vitium typographicum an dicere, debeam, nec ne? hæreo.

Interea Pharmacopœi noſtri illud *librarum duarum* pondus *aniſi* recipiunt; nec aqua ita deſtillata deterioribus indè pollet virtutibus; quin fortior porrò & efficacior, ad flatus, ventriculum & inteſtina diſtendentes, diſcutiendos, redditur.

Nec tantopere *ſeminis aniſi* quantitatem, reliquarum ſpecierum, & *vini malvatici* proportionem excedere, dici poteſt. *Vini* enim *malvatici* integræ *libræ quatuor* ſumuntur. *Semen* autem *aniſi* baſeos inſtar ſe habet, quam reliqua adjuncta ſimplicia adjuvant, odoreque ſuo, *aniſi* odorem quodammodo infringunt.

In AQUAS STAPEDIANAS *pag. 304. 305.* animadverſurus, Lectorem ad *Chyloſtagma Mindereri*, *Aquam cordialem temperatam*, & *Balſamum embryonum* &c. ablegat; ad quorum medicamentorum Examen oculos dirigere, Lectorem Benignum pariter rogatum volo.

Si infuſa ex ingredientibus harum aquarum fiant, utilia inde alexipharmaca

maca impetrari, haud ibo inficias; ſed nec iſtæ Auguſtanorum duæ compoſitiones egregiis contra venenum peſtiferum virtutibus deſtituuntur.

Circa AQUAM STOMACHICAM *pag. 305.* notat, efficaciorem eam reddi, ſi cum extracto è reſiduis à deſtillatione ſpeciebus nonnihil acueretur, vel *maſtiche*, *olibanum*, *myrrha*, & *lignum aloës* in petiâ ligata, alembici roſtro in deſtillatione immitterentur. Sed neceſſarium haud eſt, hoc obſervare, quia ſpirituoſior enumeratorum ſimplicium pars, etiamſi ipſi cucurbitæ, non verò alembici roſtro immittantur, adſcendit, atque virtute ſuâ Aquam nobilitat; craſſior autem aliàs, ubi ab Auguſtanis, certo reſpectu, magni fit, parvi à Zvelfero penditur, & rejicitur.

Extractum è remanentiâ parare, cui animus eſt, haud culpari quidem debet; ſed idem Aquæ deſtillatæ conjungere, nec neceſſe, nec ſemper conſultum eſſe, judico.

Cum *Sirupo de cinnamomo*, & *de corticibus citri*, vel alio aliquo, ad ſaporem gratum conciliandum, edulcorationem Aquæ hujus inſtituere, tunc, ubi à Medico pro uſu interno præſcribitur, habito reſpectu ad ægri ſtatum, commodiùs licet.

Sed miror, quòd Zvelferus hæc ab Auguſtanis exigat, quæ tamen ipſe in *Pharmacopœiâ Regiâ*, ſibi non conſtans, minimè obſervat.

Nam 1. ſpecies illas reſinoſas ſæpius, non alembici roſtro imponit, ſed in ipſam cucurbitam immergit, & ita partem ſolùm ſpirituoſiorem, deſtillando, Aquis conciliat.

Sic in *Elixir vitæ cephalico & ſtomachico pag. 207. lignum aloës* reliquis ſpeciebus permiſtum, non alembico impoſitum, deſtillat.

Idem cum *myrrhâ pag. 208.* in *Elixir antipeſtilentiali primo*, & *Eſſentiâ alexipharmacâ* obſervat.

2. Partium terreſtriorum curam non ſemper agit. Prout in *modò citato Elixir cephalico & ſtomachico* nullam, ex remanentiâ parandi extracti, illudque Aquæ deſtillatæ conjungendi, mentionem facit.

3. *Idem Elixir* non edulcoratum uſui reſervat; dum internè cum Sirupo, vel Julapiis; *deforis autem ſine his* in uſum trahere illud, docet. Pariter *Aquam maſtichinam ſtomachicam pag. 202. per ſe* exhibitam, vel *ſaccharo*, vel Sirupo aliquo conveniente edulcoratam, commendat.

AQUÆ THERIACALIS BEZOARDICÆ *pag. 306.* integritatem, *Examen Chyloſtagmatis diaphoretici Mindereri* ob oculos ponit.

TINCTURÆ ROSARUM SICCARUM *pag. eâdem* deſcriptionem ſatis claram exhibent Auguſtani; quam tamen Zvelferus in animadverſionibus potius obſcurat, quàm illuſtrat.

In

In AQUA VITÆ COMPOSITA *pag. cit.* 1. *Lignum aloës gummosum & odoratum*, nec non *mastichen*, cum *moscho*, & *ambrâ*, alembici rostro imponenda, aquam verò destillatam ultimò Sirupo aliquo, vel *Julepo rosarum* edulcorandam esse, repetit. Sed *lignum aloës gummosum & odoratum*, nec ineptè ipsis speciebus destillandis commisceri, præcipuè quia *spiritus vini*, qui iis superinfunditur, odorem eorum optimè secum in alembicum evehit; nec à Zvelfero semper ita tractari, ex antecedentibus patet.

Ambra verò, & *moschus* sive inter destillandum alembico imponantur; sive destillatæ jam *Aquæ vitæ* immergantur, parùm refert; dum utroque modo odorem, & virtutem suam in Aquam emittunt.

Aqua vitæ quovis tempore, quando in usum trahitur, cum conveniente Sirupo, vel Julapio &c. si ita opus sit, edulcorari potest.

2. In adsignato *florum salviæ* pondere, nimirum *librâ unâ*, vitium typographicum commissum esse, suspicatur. Quod si fuerit, (certi enim nihil constat) ista tamen florum quantitas, nec præparationem sive destillationem Aquæ hujus impedit, nec virtutes ejus infringit, sed potius exaltat.

AQUARUM DESTILLATARUM CUM, & SINE VINO *pag. 307.* animadversiones exorsus, eas non duntaxat recensere, sed adcuratiùs de illis & distinctiùs agendum esse, arbitratur. Verùm prout Aquas has simpliciter, ex recentibus nimirum vegetabilibus in M. B, vel per vesicam &c. additâ etiam, si opus, aquâ communi, destillare, vel mulierculæ, ne dicam, exercitati Pharmacopœi, norunt: ita in specie easdem tractare, opus minimè fuit.

Paucos autem, vel nullos adhuc fuisse visos, Zvelferus, quosvis præ altâ suâ sapientiâ carpens, deblaterat, qui de his quidquam dilucidè, quod animum veritatis & discendi avidum satiare posset, scriptis commendârint. Ast contrarium vel modicè in scriptis medicis versato patet; ut ita non solus ille Zvelferus, materiam hanc tractâsse, dici possit; quin multa ex aliis Autoribus desumta, suis hisce animadversionibus eum inseruisse, certum sit.

Interea, plurima non rejicienda præsenti suo discursui ipsum immiscuisse, quilibet mecum fatebitur; quem breviter nunc percurrere, placet.

Regnum minerale, cujus perlustrationem primò adgreditur, quod concernit; metalla, lapides, gemmas, & similia perperam destillationibus in cucurbitâ, adfuso insuper liquore, committi, ipsum etiam *Danielem Sennertum* jam docuisse, reperio; dum *lib. 5. Institut. medic. part. 3. sect. 3. cap. 5.* scribit: *Circa hujus aquæ (Carbunculi* scilicet*) & similium compositionem notandum, majores nostros Chymiæ nondum satis peritos frustra pretium talium aquarum additione auri, perlarum, coralliorum, gemmarum & similium auxisse,*

non

non verò ipsas aquas meliores fecisse, sed quod pretiosissimum est, cum fecibus abjecisse. Neque enim quicquam de auro, de margaritis, coralliis, C. C. & similibus, quod alicujus momenti sit, in alembicum adscendit, sed in cucurbita talia omnia integra remanent, & cum fecibus abjiciuntur. Itaq; quæ sine his parantur aquæ, ejusdem sunt efficaciæ.

Pariter ibidem, paulò inferiùs, *coralia*, *margaritas*, *aurum*, & similia, ita fixa, & compacta esse, monet, ut eorum vis Balnei calore extrahi, in altum elevari, & in aquam destillatam transfundi nequeat.

Nec dissimilia in *Paralipomen. ad hoc caput* profert.

Cæterùm è mineralibus simplici destillatione nihil quidquam elici, tam simpliciter non conceditur.

Obstat enim *vitrioli* phlegma, quod purè aqua elementaris dici nequit.

Quin aliqua, nec prius digesta, cohobata, vel menstruo debito adsociata, in alembicum adscendere, paulò fortiori igni concredita, *Mercurius*, *sal ammoniacum* &c. commonstrant.

De animali regno disserendi ansam suppeditavit *Balsamus embryonum*, & *Aqua caponis*; ubi Aquas è carne animalium destillatas, non omni carere virtute confortante, ostendi.

Vim autem excellentem nutritivam, propriè dictam, ipsis propterea non adjudico.

Imò hanc virtutem nutrientem plurimi Medicorum jam olim in dubium vocarunt; quod clarè satis *Sennertus Institut. l. c.* exemplo suo, testatur.

Cui *Guilielmus Fabricius Hildanus* adstipulatur, atque consimiles Aquas destillatas revera parùm nutrire, expertum se esse, *cap. 24. de ichore & meliceriâ acri Celsi*, fatetur.

In regno vegetabili triplicem ordinem ponit vegetabilium: 1. illorum, quæ, adfuso liquore, *potiorem suam essentiam & virtutes unà cum sapore & odore per Alembicum transmittunt, ac insipida in residuo remanent, solo sale fixo (quod operæ precium est asservare) prægnantia*, uti *cinnamomum*, *caryophylli*, *anisum*, *carvum*, *fœniculum*. Utique ab omnibus hactenus concessum hoc fuit; quatenus potiores, non omnes, vires istis Aquis destillatis inesse, statuitur.

2. Ordo se offert illorum, quæ *odorem duntaxat* aquæ destillatæ imprimunt, *non verò saporem*, *in quorum serie amara & dulcia deprehenduntur*; exempli loco *absinthium*, *opium*, *tanacetum*, & *rosas* adducit; dulcium autem nullum proponit,

Olea quidem enumeratorum destillata aliquali ipsorum sapore impraegnata esse, concedit, non tamen aequè manifesto, ac superiorum Aquas. Unde similes Aquas, utcunque odoriferas, integris dictarum plantarum viribus ditatas esse, dubitat. Verùm uti primi ordinis Aquae potiorem tantùm rerum, è quibus destillatae fuerunt, virtutes continent: ita pariter hisce omnes vires suorum simplicium inesse, dici nequit.

Impressum verò esse his omnibus odorem duntaxat, non saporem, *Aqua absinthij* non admittit; cujus insuper vegetabilis *oleum* non aliquali, sed manifesto sapore amaro absinthiaco praeditum deprehenditur.

3. Ultimum ordinem complent vegetabilia, quae *neque odorem, neque saporem* suum, sed *aquam duntaxat insipidam, communi similem*, destillatione per alembicum fundunt. Quare ea ad similes destillationes planè inhabilia, & inepta pronuntiat. Ast Aquam odore, & sapore destitutam, communi aquae mox comparare non debuit Zvelferus, qui Aquam animalium vivificam, insipidam, ac inodoram, & tamen efficacissimam esse, docuit.

Multa dari, quae simplici tali destillationi ut adcommodentur, inepta sunt, *Sennertus* quoque *l. c.* monuit.

Quamvis si cum debito aliquo menstruo specierum digestio, fermentatio, vel alia conveniens praeparatio accedat, tam fixa dici nequeant, ut aliquid virium Aquae destillatae non communicent.

Quin etiam simplicia aliqua, huic Classi inserta, odorem, licet exiguum, & vix perceptibilem Aquae, si destillentur, impertiri fatetur, & ita non simpliciter omnium illorum Aquae, similes communi judicandae erunt.

Majores tamen vires in residuo manere, nemo est, qui ambigat.

Caeterùm Examen praecedentium Aquarum consulatur.

Myrobalanorum, polypodij, & passularum minorum, quae pariter in fixorum serie aliàs à Zvelfero ponuntur, destillationem in *Sirupi de polypodio animadversionibus* habet.

Salis tartari, quod est fixissimum, simplicem cum *vino* destillationem in *Decocto aperitivo primo Pharmacop. Reg. pag. 85*, & *Decocto hydragogo pag. 89.* &c. tradit; quamvis *pag. 246.* tali *salis tartari* destillatione, ridicula magis somnia neminem sibi facilè obtrusurum, & *universam salis tartari substantiam in fundo alembici defossam reperiri, post multas etiam & operosas destillationes*, scribat.

Purgantia, sive cathartica virtutes proprias aquae destillatae non impertiri, manifestissimum esse, judicat; & tamen *Pharmacop. Reg. pag. 206. Aquam purgantem* in B. V. destillare, docet; ubi quidem, ope cohobationis, & fermentationis, si non omnes, majori ex parte tamen illorum vires subtiliores

impe-

impetrari, statuit. Verùm digestionis, non autem fermentationis, in descriptione præparationis *dictæ Aquæ purgantis*, mentionem facit.

Si tamen conveniunt, Augustanorum quoque Aquæ, per digestionem aliquot dierum paratæ, similiter fermentationem subiisse, atque ita per insequentem destillationem aliquid virtutis è fixis speciebus elicuisse, dici debent.

Cohobationem autem nihil huc conferre, *animadversiones in Aquam antimelancholicam Dn. D. Tob. Fischeri* evincunt; ubi vel decies repetitam in M. B. cohobationem nullius valoris esse, proclamat.

Quare vel in *Aquâ* illâ *purgante* cohobatio, à Zvelfero instituta, est inutilis; vel in modò adductâ *Aquâ antimelancholicâ* cohobatio, à Zvelfero reprobata, utilis existit.

Si Augustani tali methodo paratam *Aquam purgantem* Dispensatorio suo inseruissent, malè dubio procul à Zvelfero mulctati fuissent.

Virosi aliquid ex vehementioribus catharticis elici, quod nauseam, & in magnâ quantitate sumtum, aliquam ventris perturbationem excitare possit, aliqui Recentiorum Medicorum concedunt; qui tamen, fallacibus istis Aquis rejectis, tutiora rectiùs eligunt.

Aquas stypticas dari, pariter negat. Et utique illas tam insigni adstringendi vi pollere, qualem, si in substantiâ vel decoctione adhibeantur, possident, dici minimè potest; nihil tamen, quod adservare operæ precium foret, per alembicum ex ipsis elevari, negatur.

Et quæso, cur Zvelferus in *Secreta sua Mixturæ*, in *animadversionibus Aquæ mercuriatæ Augustan.* communicatæ, præparatione, *Aquam plantaginis*, vel *millefolij*, vegetabilium utpote adstringendi virtute præditorum, usum admittit?

Discursus, de quorundam Chimicorum, Aquas simplices ex succis, proprio suo sale acuendas, destillandi modo &c. cum Augustanos propriè non petant, transilio, & me confero ad

VINA MEDICATA *pag. 308*, quæ sive analogicè, sive propriè hoc nomine veniant, parùm refert.

Ea autem destillationibus planè non adcommodata esse, perperam adseritur; de quo in *Aquâ cordiali temperatâ* actum jam fuit; & hîc sine ratione repeteretur.

ACETUM DE LITHARGYRO *pag. 314.* extractionem *salis Saturni*, vel *plumbi* nominat; cùm tamen *Saccharum Saturni*, quod ejusdem cum Aceto hoc est prosapiæ, non sal, sed *solutionem Saturni* esse, ipse *pag. 70. Append. ad animadvers.* ostendere conetur.

Uu 2 Reliqua

Reliqua ACETA COMPOSITA & SIMPLICIA efficaciora atque durabiliora evadere, putat, si *aceti simplicis* loco, *destillatum* substituatur; quia majori vi penetrandi, & extrahendi pollet, nec tam citò, uti reliqua, corrumpitur; ut ita labor destillationi ejus impensus, ratione diuturnioris integritatis, insigni lucro compensetur. Ast uti *acetum destillatum* rejicere, non decet: ita nec *acetum simplex* parvi pendi debet.

Ab illo efficaciora *Aceta medicata* evadere, maximè dubium adhuc relinquitur; de quo *Examen Sirupi acetosi simplicis* consuli potest.

Non tantùm ratione volatilium acidorum spirituum, sed etiam ob suum innatum tartarum, *acetum vulgare* penetrat, quod etiam, qua *acetum destillatum*, extrahendi vi pollet.

Licet durabiliora à destillato fiant *Aceta medicata*, propterea tamen hanc adhibere, nulla cogit necessitas. Illa namque Aceta, quæ cum *vulgari aceto*, optimo, acerrimo, prout par est, conficiuntur, & ab aëris injuriis probè muniuntur, satis diu incorrupta persistere possunt; præcipuè cùm Pharmacopœi rarò majori in quantitate Aceta talia parare soleant, quàm quantùm dispensationi necessariæ per aliquod tempus sufficiat; quò ita recentia semper in Officinis illa prostent.

Hac ratione etiam Zvelferus compositionibus suis ferè nunquam *vinum* purum, sed *spiritum ejus* admiscere, debuisset; cùm ab hoc efficaciores & durabiliores redderentur.

Utrùm labor, nec non sumtus, destillationi *aceti* impensi, dum diuturniorem integritatem Acetis conciliant, insigni lucro compensentur? Pharmacopœis decidendum sisto, qui *acetum destillatum* multò majori precio, quàm vulgare illud, licet optimum, venire sciunt; *Aceta* autem *medicata*, in debitâ quantitate cum hoc vulgari parata, satis diu incorrupta persistere, eorumque præparationem, quæ mediante infusione tantùm peragitur, absque singularibus sumtibus fieri, norunt.

Tandem Lectorem Amicum monitum volo, in *priori Pharmacopœiæ Augustanæ reformatæ*, sic à Zvelfero dictæ, *editione*, Animadversiones in Aceta tribus paragraphis fuisse traditas, quorum tamen secundus in *alterâ ejusdem Pharmacopœiæ editione* (nescio, an Typographi culpa?) omissus fuit; quem igitur huc inserere, necesse duxi. Sic autem se habet: *Acetum Scilliticum ego maxumi facerem, si secundum mentem & authoritatem Galeni paratum esset, nimirùm sine præcedenti assatione vel coctione Scillæ, utpotè quæ non tam præparatio, quàm destructio ejusdem est, quam etiam in Lohoch de Scilla Galeni aliquot rationibus improbavi; nunc verò cum expressa Galeni authoritas sese offerat, quod cruda Scilla cum aceto extracta tanto cum emolumento fuerit usurpata,*

usurpata, illam ceu planè inutilem totaliter rejicio, & quidem meritò. Etenim assatione vel coctione hàc inutili nihil aliud efficitur, quàm quod subtiliores & penetrantiores Scillæ pàrtes prorsus annihilentur. Verùm Zvelferus, qui Veterum Medicorum authoritatem aliàs omnino contemnit, *Galeni* patrocinio frustrà se concredit; præcipuè quia non tantùm *crudâ*, sed etiam *præparatâ Scillâ Galenum* fuisse usum, eximiasque vires utrique adscripsisse, constat.

Nulla autem est consequentia : *Scilla cruda* magno cum emolumento fuit usurpata; Ergo *scilla præparata* planè inutilis est.

Hac ratione & ego argumentari possem : *Scilla præparata* magno cum emolumento fuit usurpata; Ergo *scilla cruda* planè inutilis est.

Zvelferum *bolum armeniam præparatam*, & *non præparatam* in *Pharmacopœiâ Regiâ* commendâsse, in *Trochiscorum de scillâ examine* monui.


Ubi etiam *scillam præparatam* Zvelferum adhibere, ostendi.

Assatione, *scillæ* partes subtiles ac penetrantes prorsus annihilari, negatur; has enim aut nullas, aut exiguas admodum ipsi inesse, odoris absentia, ex Zvelferi fundamento, evincit.

Animadversiones in Lohoch de scillâ Galeni volvi ac revolvi; ne unicam tamen, ut non dicam, aliquot, rationem, qua *scillæ* assatio improbatur, invenire potui; sed tantùm sequentia ibidem scripta deprehendi : *Lohoch è succo Scillæ, & de Scilla compositum possunt secundùm artem & Pharmacopæorum judicium præparari.* Et hoc est : *scillæ* præparationem aliquot rationibus improbare.



RESTI-



RESTITUTA
CLASSIS DECIMA SEXTA,
Olea cocta & expressa exponens.

DE *Oleis coctis* in genere notat Zvelferus, se illam vulgarem coctionem indiscriminatim admittere haud posse; cùm in eâ herbarum balsamicarum, aut florum, nec non aromatum vis, in subtilioribus eorundem partibus consistens, ceu summè volatilis, quàm citissimè exspiret. Cui itaque simplicem digestionem, aut quamlibet insolationem præfert. Et licet olea omnia rancorem facilè contrahant, si humiditate aliquâ heterogeneâ (quæ nimirum per coctionem tollitur) permixta sint, aut fecibus aquosis scateant, eis tamen, mediante digestione, subsidentem aquositatem demere laborat; vel coctionem quasi destillando instituere præcipit, ut prodiens fragrans humiditas oleo residuo reddatur, cum eo digeratur, iterumque per inclinationem separetur. Hæc quatenus Olea, quæ spirituosâ virtute pollere debent, respiciunt, non planè rejici possunt; quid tamen circa hanc materiam monendum sit, speciales in Olea animadversiones ansam adducendi subministrabunt.

Hîc tantùm ad Olea, balsamico odore herbarum, florum, & aromatum prædita, per insolationem paranda, Lectori illa adplicare placeat, quæ idem Zvelferus *pag. 107. animadversionum* contra *Pilulas aloëphanginas*, insolatione conficiendas, protulit; ubi solem aromata, ad ejus radios in vitreo vase digesta, subtilioribus aromaticis virtutibus *omnimodè spoliare*, adseruit. Idem ergo hîc quoque, in Oleorum aromaticorum, vel fragrantium insolatione, timere debuisset.

In specie, plurimorum ingredientium OLEI DE CASTORIO JACOBI DE MANLIIS *pag. 318.* virtutes potiores & subtiliores coquendo exhalare, animadvertit. Utique verum hoc est; nec diffiteor, partes illas, quæ coquendo, imprimis cum largâ satis *vini* quantitate, exhalant, utiles admodum esse, & dignas, quæ in Oleo hoc conserventur.

Quan-

Quanquam per cocturam istam paratum non omnibus virtutibus illud destitui, observari simul debeat.

Vinum, quod 1. objicit Zvelferus, *nunquam oleo verè commisceri posse*, nemo est qui ambigat; verùm neque *hoc vino semper supernatat*, ceu idem vult Zvelferus; sed in coctione cum *oleo* confunditur.

2. Si *oleum* supernatet, ipsi tamen quid de eo, quod *vinum* extraxit, communicari, etiamsi hoc totaliter per evaporationem non abstrahatur, fundamentum, superiùs à Zvelfero jactum, confirmat; ubi liquorem, spirituosâ ingredientium parte insignitum, *oleo*, si cum ipso conjungatur, & digeratur, vires suas impertire, innuit.

3. *Vini unciam unam & alteram* ad hujus, aliorumque *Pharmacopœiæ Regiæ* Oleorum, præparationem à Zvelfero admitti, miror; dum *vinum* nunquam *oleo* verè commisceri, aut ipsi virtutem extractam communicare, docuit.

Huc etiam OLEUM ARANEARUM MINDERERI *pag. 317.* nec non OLEUM COSTINUM MESUES *pag. 318.* trahit.

OLEI JASMINI *pag. 319.* aliorumque similium odoratorum florum, præparationem, secretiori modo instituendam, promittit, videlicet *flores jasmini* &c. cum *amygdalis dulcibus* excorticatis, ac nonnihil siccatis, vel, quæ ad rancorem *olei* inhibendum præstat, *balano myrepsicâ*, sive *grano ben officinarum*, aut *oleo ejusdem*, gossypio excepto, stratificando, flores altero die segregando, & cum novis recentibus floribus stratificationem cum iisdem *amygdalis* &c. aliquoties repetendo, tandemque fructus dictos, vel gossypium exprimendo. Quem modum ab Italis in secretis haberi, scribit. Utique si quis odoris solius, & voluptatis causâ, Olea ista parare præsumat, modum hunc, præ illo Augustanorum, amplecti is debet.

Sed nos medica tractamus, uti *Petr. Poterius*, de consimilibus Oleis agens, loquitur.

Dispensatorium nostrum non voluptati, & delitiis, sed sanitati potius dicatum fuit; quæ, ubi frigidâ intemperie premitur, (hoc enim in casu ab Augustanis *Oleum jasmini* commendatur) non propriè odorata *florum jasmini* effluvia, sed terrestriores ejusdem, magis excalefacientes, partes desiderat; atque hæc cùm in illo Italorum odorato Oleo non deprehendantur, haud immeritò *infusio nobis magis*, cum *Poterio*, *arridet*.

Quod verò ipsum modum attinet, eum frustrà pro secreto aliquo nobis obtrudere, Zvelferus tentat, qui, eundem, ab Italis etiam, aliisque satis clarè jam dudum descriptum fuisse, nec inter arcana ideo haberi debere, scimus.

Sic

Sic *Alexius Pedemontanus part. 1. lib. 2. de secretis*, & *part. 2.* Olea fragrantia, per stratificationem florum odoratorum, & *amygdalorum dulcium*, vel *seminum melonum*, parare, edocuit.

Hunc *Conradus Gesnerus part. 1. Thesauri remedior. secretor.* imitatus fuit; ubi triplicem Olea conficiendi rationem tradidit: 1. vulgarem illam, atque antiquiorem *Dioscoridis*, per florum in oleo insolationem; 2. per expressionem, tum absque artis auxilio, uti in *balano myrepsicâ*; tum levi præcedente in *vino* maceratione &c. uti in ficcioribus, in *nuce moschatâ*, aliisque aromatibus; quò etiam flores odoratos, qui olei carent substantiâ, retulit, quos proposito jam modo, scilicet per repetitam eorum stratificationem cum *amygdalis* decorticatis, & paululùm tostis &c. in oleum redegit; atque hoc ipsum aliquot exemplis, nempe in *floribus aurantiorum, rosarum damascenarum, jasmini, parte 2.* illustravit.

Similiter *Petr. Andr. Matthiolus com. in lib. 1. Dioscor. cap. 66, Oleum jasmini* simili ratione elaborandi artificium descripsit.

Petrus Poterius quoque *Pharmacop. spagyr. lib. 3. sect. 4, flores citri, aurantiorum, violarum, liliorum convallium* &c. cum *seminibus ben*, vel *amygdalis*, aut etiam gossypio, quod dictorum seminum oleum aliquod prius imbibit, stratificando, atque ultimò semina, vel gossypium exprimendo, eorum Olea conficere, docuit.

Pariter Oleorum odoratorum, *jasmini* &c. eâdem methodo, cum gossypio, vel lanâ, tenuissimè carptis, vel chartâ bibulâ, *oleo de ben* irrigatis, accuratissima præparatio traditur à *Tobiâ Aldino cap. 6. Descriptionis rariorum plantarum Horti Farnesiani.*

His itaque potius, aliisque secreti illius artificij Myropolarum Italorum communicationem, quàm Zvelfero, debemus.

Ubi tamen duplex incommodum Oleis similibus, cum ipsis *amygdalis*, vel *fructibus ben* paratis, imminere, ex *citato Aldino* patet; dum 1. *nucleos ben* superfluam quandam humiditatem à floribus imbibere tradit; unde mucorem & fœtorem adquirunt.

2. *Nucleos ben*, licet in quatuor vel quinque partes divisos, odore florum in superficie tantùm imbui, notat; unde Oleum hinc expressum non ita odoratum, nec quod diu odorem servat, prosurgit. Multò minùs ergo odoratum satis oleum *amygdala integra*, qualia à Zvelfero sumuntur, suppeditabunt.

In OLEO LILIORUM ALBORUM COMPOSITO MESUES *pag. 320.* maximos, & absurdos, ob aromatum, cum oleo, & antequam huic adduntur, coctionem, committi errores, nihilque præter crassiores aroma-

aromatum partes in residuo manere, expulsis subtilioribus, & fragrantioribus, ceu efficacioribus, objicit. Verùm aliquas subtiles partes expelli, minimè nego; omnes evaporare, ita ut crassiores saltem aromatum partes remaneant, maximè dubito; præcipuè cùm non magna aquæ copia, in qua macerantur & coquuntur aromata, requiratur, nec instituta coctio admodum violenta sit; quia nempe species cum aquâ *paululùm* saltem coqui, & cum *oleo aliquantulùm* bullire debent.

Præterea illæ ipsæ terrestriores aromatum partes virtutibus non contemnendis pollent.

Si quis verò omnes subtiles partes, majori labore & diligentiâ conservatas, Oleo huic conciliat, reprehensionem non meretur.

Aromatum loco, solis eorum destillatis oleis adquiescere, an è re sit, hæreo; cùm & cariori ea veniant precio, & terrestrioribus utilibus partibus, quibus oleum pariter imbui potest, destituantur.

In OLEO LUMBRICORUM COMPOSITO *pag. 321.* coctis jam, & paratis *Oleis*, *lumbricorum simplici*, atque *florum hyperici*, ineptè *vini uncias quatuor* addi, animadvertit; quia *vinum* in coctione penitus iterum exhalare debeat, nec *oleis jam perfectè coctis* aliquid efficaciæ aut virtutis communicare possit, sed multò magis ea virtutibus suis hoc modo diminuat. Ast ineptè *utrumque oleum*, *hyperici*, & *lumbricorum*, *jam perfectè coctum* hîc sumi, Zvelferus statuit.

De hoc enim verba Augustanorum ita se habent: *Rec. Ol. Lumbricorum* (*ex lumbricis modò in oleo suffocatis*, *qui in cæmeteriis collecti fuêre*) *recentioris uncias tres* &c. Quo ipso non *oleum lumbricorum jam perfectè coctum*, sed quod adhuc coqui debet, sumendum esse, volunt; scilicet *Oleum rosatum omphacinum*, in quod modò *lumbrici* immissi fuerunt; quorum itaque virtus ut *oleo* communicetur, coctio instituitur, in cujus gratiam Augustani *vinum* adjungunt. Hoc igitur qua ratione aliquid virtutis Oleo huic communicet, elucescit; virtutes autem Olei magis ab eo diminui, probatione adhuc indiget.

Referri huc debet, quod Zvelferus de Oleis, ex animalibus vivis, v. g. *lumbricis*, conficiendis, in *Append. ad animadvers. pag. 43.* adducit; dum talia Olea violentioribus coctionibus non committenda, sed tantùm in vitro benè clauso insolanda, vel alio modo digerenda esse, monet, ne spiritus eorum vivifici exhalent, & in auras pellantur. Verùm tanti hæc animadversio non est; cùm spiritus hujus existentia, & utilitas adhucdum lateat, atque in præscriptis à Zvelfero præparationibus, nimirum insolatione, vel digestione, à fugâ coërceri, uti in coctione, nequeat.

Quia enim is debet esse penetrantissimus, fugacissimus, salinus subtilissimus, insolatione, vel digestione facilè vesicam, vel aliam materiam, cum qua vitrum clauditur, penetrat; præcipuè cùm nullum, quo figatur, habeat retinaculum.

Et licet digestionem superaret, quia tamen ad diuturnum tempus integer adservari nequit, sensim exhalaret, suâque egregiâ (an fictitiâ?) virtute Oleum destitueret.

Conferatur Zvelferi *Oleum nervinum*, quod *Append. in Pharmacop. Reg. pag. 42*, & *Unguentum nervinum*, quod *Pharmacopœia Reg. ultimâ editione, pag. 282.* descripsit; ubi *lumbricorum terrestrium* nobilissimum spiritum vivificum, ebullitione institutâ, Oleum, & Unguentum nobile deserere, observatur; ibi namque simpliciter ebullitio præcipitur; hîc verò, superimposito alembico, eadem celebratur; ubi tamen spiritum vivificum, & si quis alius spirituosus liquor elevatus fuit, residuo Unguento reddendum esse, haud exprimitur.

In OLEO MASTICHINO MESUES *pag. eâdem*, *vinum* omitti posse, benè statuitur, cùm *mastiche* in oleo promtè dissolvatur.

Quamvis verò aliqua subtiliorum *mastiches* partium cum *vino* exhalatio fiat, Oleum nihilominus virtute, & odore *mastiches* sic satis efficax remanet, nec utentem spe suâ frustratur; multò minùs delirare dicendi sunt illi, qui hactenus coctionem hujus Olei cum *vino*, ad imitationem Priscorum, instituerunt.

Ast circa simplicis hujus, *mastiches* nempe, inutilem coctionem delirare (si hac voce uti, liceat) quoque, dulce fuit *Pharmacopœiæ Regiæ Autori*, dum aliquoties *mastichen* violentæ coctioni concredidit; cujus exemplum *Sirupus domesticus pag. 32, magistralis secundus pag. 36.* exhibent, ubi liquoris magna quantitas, in illo quidem ultra *quatuor libras*, exhalare debet.

OLEUM MOSCHELINUM NICOLAI ALEXANDRINI *pag. cit.* juxta modum *Olei liliorum alborum compositi*, additis scilicet oleis destillatis ex deputatis aromatibus, quorum vis & efficacia aliàs in cocturâ exhalat, confici posse, arbitratur. Verùm non adeo incomodè secundùm Augustanorum normam etiam paratur; ubi scilicet tanta fragrantium partium jactura non fit; id quod ejus præparatio comprobat.

In primâ quidem coctione, quæ fit usque ad *vini* consumtionem cum *folio*, *myrrhâ*, *cassiâ*, *carpobalsamo*, & *bdellio*, major fragrantiæ jactura observatur; ast in secundâ, quæ instituitur, additis reliquis speciebus aromaticis, tantum non deperditur, quia *parumper* solùm coctionem fieri debere, innuitur. Prout ipse Zvelferus in *Unguento carminativo pag. 276. Pharmacop. Reg. nucem moschatam*, *styracem*, aliasque species balsamicas uni vel alteri ebullitioni submittit, sive *parumper coquit*.

Myrrha

Myrrha satis validam coctionem in *Oleo purgante Pharmacop. Reg. pag. 288.* subire, à Zvelfero cogitur.

OLEUM NARDINUM *pag. 322*, diminutâ *vini* & *aquæ* quantitate, secundùm modum *Olei de castorio*, & *liliorum alborum compositi*, parari debere, monet. Quod observare, per me cuilibet licet.

OLEO PAPAVERINO *pag. 323*, è *capitibus, foliis, & floribus papaveris* concinnato, *oleum ex seminibus* ejusdem vegetabilis *expressum* præfert. Cur autem hoc præferendum esse, arbitretur, causam non adsignat; licet forte majores virtutes huic, præ illo, adscribat.

Utrumque, tum præsens, per insolationem factum; tùm è seminibus expressum, cujus quoque Augustani in Oleorum expressorum enumeratione mentionem faciunt, in Officinis locum habere potest; quamvis eundem in effectum conspirent.

Sic ipse Zvelferus *Olea, Hypnoticum, Carminativum, Purgans,* & *Stomachale*, per infusionem concinnata, in *Pharmacopœiâ Regiâ* proponit; & nihilominus *Olea, Hypnoticum,* nimirum *seminis papaveris, Carminativum, Purgans, & Stomachicum*, per expressionem facta, pariter adponit; quæ tamen etiam majoris, minorisve efficaciæ ratione differunt.

Circa OLEUM DE PIPERIBUS MESUES *pag. eâdem* ad *Oleum de Castorio* Lectorem remittit.

In *OLEO POPULEO NICOLAI ALEXANDRINI pag. cit. vini* additionem iterum involat, & *oculos populi* resinosos atque oleaginosos esse, scribit, qui faciliùs *oleo* soli vim suam comunicare possint, quàm si *vinum* adjiciatur; quod non solùm unionem *oculorum populi* cum *vino* prohibeat, vel remoretur, sed etiam in coctione subtiliores eorum partes secum in auras rapiat. Verùm additio *vini* necessaria est, tum pro meliori *gemmarum populi* extractione, tum ne eædem, cum solo *oleo* coctæ, tam facilè, quod Pharmacopœi verentur, comburantur.

Neque omnem illum *oculorum populi* odorem evanuisse, Oleum post coctionem exantlatam testatur.

Quamvis adsignatam *vini* quantitatem diminui posse, haud inficias ire velim.

Interea nec Zvelferum dictarum *gemmarum* fragrantiæ curam ritè semper egisse, *Unguentum populeum Pharmacop. Reg. pag. 285.* edocet, in quo nimirum earum *libræ duæ* coctioni submittuntur.

In OLEIS ROSATIS aliud nil animadvertit, quàm quòd VULGARE, & OMPHACINUM, COMPOSITO MESUES, minùs

artificiosè composito, præferat. Sed in quonam hujus compositio censuram mereatur, haud video.

OLEUM SCORPIONUM MAGNUM MATTHIOLI *pag. 325.* pomposè descriptum longè compendiosiori viá, paucioribus infusionibus, nec non breviori tempore, parari posse, opinatur; cùm nihil obstet, cur sex, vel novem, aut plures herbarum, vel florum manipuli simul & semel *oleo* immergi nequeant, ita ut tantùm quatuor, vel quinque infusiones in universum fiant. Plures, quàm novem, herbarum, vel florum manipulos *libris tribus olei* destinare, nimium esse videtur.

Si tamen hac ratione sufficientem extractionem fieri, quis putet, compendium monstratum per me arripiat, cùm sic eodem res recidat, nec medicamenti virtus immutetur.

Quanquam medicamenti alicujus præparatio, modo prolixiori instituenda, mox ironicè pomposa descriptio si dici debet; eandem commendationem Zvelferi nonnullis medicamentis competere, quis dubitet?

Testimonij loco saltem adduco, quæ superiùs *pag. 30. & 31.* de *aqua cinnamomi*, *aqua rosarum*, nec non *vini* repetitâ destillatione, quæ unicâ vice absolvi poterat, monui; ubi sanè longè compendiosiori viâ, paucioribus destillationibus, atque breviori tempore labor tractandus fuisset.

Pariter si quis methodum, in *Unguento nervino*, *pag. 353. animadvers.* à Zvelfero monstratam, sequatur, adhuc longè compendiosiori viâ, paucioribus infusionibus, nec non breviori tempore, Oleum hoc parare posset; ita ut, neglectis illis quatuor, vel quinque infusionibus, pomposis ideo dicendis, totum negotium unâ, vel duabus infusionibus in universum absolveret.

Illud, quod in digestionibus, aut ebullitionibus, si in cucurbitâ cum alembico fiant, transit, residuo *semper* readfundendum esse, quod vult Zvelferus, quia nec multum, nec magnarum *semper* est virtutum, admodum necessarium esse, haud existimo.

In OLEO SCORPIONUM SIMPLICI MESUES *pag. 326.* parcam nimis *scorpionum* quantitatem *pag. 43. Append. animadvers.* carpit, atque illorum *triginta* loco, *ducentos olei amygdalini libris duabus* immergi posse, arbitratur. Posse quidem hoc fieri, non impugnabo; imò plures successivè immergi possunt; sed adeo necessarium hoc non est; quia illud, *Mesues* modo paratum, efficax sic satis esse, constat.

OLEUM STOMACHICUM CRATONIS *pag. 326.* Augustanorum modo paratum, exiguas minusque valentes in roborando stomacho virtutes obtinere, contra experientiam statuit, duplici ratione innixus:

1. Quia cum *vino* præstantiores aromatum, & reliquorum ingredientium partes exhalent. Ubi quidem negari nequit, non levem partium spirituosiorum jacturam fieri, quæ tamen tanta non est, ut eximiis virtutibus Oleum privare queat.

Qui verò, præter terrestriores ejus partes summè utiles, eidem plures subtiliores adjungere voluerit, ille vel qualibet vice, pro variâ conditione ægroti, oleorum destillatorum additione, commodè hoc obtinere poterit. Quod uti Medicos prudentes non latet, atque ab Iisdem nonnunquam observari, formulæ Eorum in Officinis prostantes comprobant: ita plura verba de hac materiâ facere, supervacaneum esset.

2. Quia *oleum olivarum*, propter suum lentorem, & unctuositatem, pro extractione vegetabilium satis aptum menstruum non sit. Quod iterum contra ocularem fidem adserit; ac mox, sententiæ suæ oblitus, *Oleum absinthij*, trinâ infusione, & maceratione paratum, præscribit.

Imprudenter itaque etiam *oleum olivarum* in *Pharmacopœiâ Regiâ* pro majori Oleorum suorum, è vegetabilibus conficiendorum, parte destinasset. Ut alia, quæ hîc adduci possent, sileam.

OLEUM EX STYRACE pag. eâdem, diminutâ *vini* quantitate, etiamsi parari posset, adeo tamen necessarium haud est; cùm fragrans illud, quod cum *vino* exhalat, tantarum virium haud esse queat.

Ubi Lector Benevolus *resinæ styracis* in *Theriacæ animadversionibus* traditam à Zvelfero præparationem sibi in memoriam revocet; in qua *styrax* cum largâ satis *vini*, vel *aquæ rosarum*, ut & *spiritus vini rectificati* quantitate solvitur, ac resina, separatis modò dictis liquoribus, fragrantibus *styracis* atomis refertis, indè producta, ipsis *styracis granis* electis, fragrantibus, præfertur.

CIRCA OLEA EXPRESSA, ut Pharmacopoei sibi caveant, tantùm monet, nè *olea expressa*, preciosiora, uti *nucis moschatæ*, à Mercatoribus coëmant, sed propriâ industriâ ipsi conficiant; quia ista utplurimum adulterata divenduntur. Sed animadversionem hanc periti & celebriores Pharmacopœi, tanquam intempestivam nimis, rident potius, quàm admirantur.

Namque *oleum nucis moschatæ expressum* variis impostorum fraudibus expositum esse, ipsi non ignorant, atque jam dudum observârunt. Quas tamen fraudes non difficulter, tum diligenti inspectione imposturam declinando; tum, magnâ hujus olei quantitate dum indigent, proprio marte illud exprimendo, effugiunt.

RESTITUTA
CLASSIS DECIMA SEPTIMA,
Unguenta proponens.

UNGUENTA perlustraturus, quæ de ipsis in genere, *pag. 44. Append. ad animadvers.* producit Zvelferus, paucis prius excutere, decrevi.

Ibi enim, succorum vegetabilium coctione, sive exhalatione, ab Oleis reprobatâ, ipsas herbas, vel flores competente pondere substituendos esse, censet.

Quia I. succi, ex odoriferis præsertim expressi, eandem cum ipsis suis vegetabilibus non redolent fragrantiam, neque virtutes integras continent, præsertim si externè admovendi sunt. Sed Respond. 1. quòd equidem negari nequeat, in expressis vegetabilibus aliquam virtutis eorum partem remanere; sed neque omnem hanc semper expeti, neque ut strictè expetatur, necesse esse, è pluribus locis *Pharmacopœiæ Regiæ*, quam in *ejus præfatione* normam & ideam esse, scribit, ad quam alia Dispensatoria conformari possint, demonstrare, facile esset.

2. Si illa ab expressione remanentia, *sicca*, *terrestrior*, *adstringens &c. pars*; succus verò expressus, *pars liquida*, *subtilior*, uti quidem Zvelferus *l. c.* habet, dicenda est; illa tantum momentum ad Unguentorum, quatenus externorum medicamentorum, quorum tamen virtus in corpus penetrare debet, censum ingrediuntur, juxta Zvelferi hypothesin, haud conferet; dum pars terrestrior penetrandi vi carere, ipsi dicitur. Et in *Unguento mercuriali* multa ingredientia recenset, quæ poros obstruendo, reliquorum virtutis in corpus receptionem impediunt. Id quod hîc quoque à partibus istis crassis, terrestrioribus, pertimescendum est, maximè si unà adstringendi vi polleant.

3. Si tanta succorum non est habenda ratio, nunquam succi, sed potius decocta illorum vegetabilium &c. in usum vocari deberent; cùm tamen Zvelferus in *Classe primâ Pharmacopœiæ Regiæ*, *succum absinthij*, *betonicæ*, *cardui benedicti*,

benedicti, cochleariæ, nasturtij hortensis, & *aquatici, scordij*, aliosque adhibeat; id quod pluribus aliis in *Classibus* quoque observat.

4. Externè cumprimis, ipsa vegetabilia, præ succis eorum, usurpanda esse, equidem monet, eoque ipso, succos in internum usum commodiùs vocari posse, innuit; cui tamen fundamento innitatur, haud video; cùm potius contrarium ex his Zvelferi verbis: *sicca pars terrestrior sua æquè ac liquida subtilior virtute gaudet*, erui queat; quia externus usus magis, præ interno, subtiliores medicamenti partes requirere videtur.

Verùm ut hoc non urgeam, 5. Succos tamen externis etiam medicamentis Zvelferus destinat. Ita *succum millefolij* in *Balsamum vulnerarium Pharmac. Reg. pag. 264.*; *succum plantaginis* in *Emplastrum defensivum Pharmacop. Reg. pag. 293.*; utrumque in *Unguentum Ægyptiacum Pharmac. Reg. pag. 272.*; *succum absinthij* & *chamædryos* in *Emplastrum hepaticum primum Pharmac. Reg. pag. 295.* recipit.

6. Quodnam competens illud pondus herbarum & florum, qui succis substituendi sunt, existat, videamus?

In *Unguento* itaque *de alabastro Augustanorum*, à se mutato, cujus censuram hîc potissimùm absolvit, cum *olei olivarum*, additis *ceræ unciis octo* crassioris redditi, *librâ unâ & dimidiâ*, *florum & herbarum uncias viginti unam* Zvelferus infundit.

Similiter *Pharmacop. Reg. pag. 268.* in *Oleo purgante*, *specierum libræ duæ, drachmæ duæ*, & *olei lini libra una cum dimidiâ*, ponuntur.

Pag. 276. Pharmac. cit. pro *Unguento cephalico*, *specierum unciæ viginti octo cum dimidiâ, axungiæ porcinæ libræ duæ*; & *ejusdem axungiæ libra una ac dimidia, specierum unciæ viginti una ac dimidia pag. 278.* in *Unguento cordiali*, occurrunt. Quæ sanè oleosorum menstruorum quantitas exigua nimis, & nullo modo competens est, si cum speciebus infundendis conferatur.

Etenim si *specierum uncia una* ab *unciis tribus aquæ*, prout in *Sirupi diasereos Andernaci animadversionibus* defendere voluit Zvelferus, vix humectari, nedum sufficienter extrahi potest; quid hîc sperandum sit, ubi nec *integra uncia olei & axungiæ, unciæ uni specierum* respondet, quilibet facilè videbit.

Accedit *olei & axungiæ* lentor atque unctuositas, ob quam, ad extractionem vegetabilium, non satis commodum menstruum esse oleum, in *prioris Classis animadversionibus* voluit.

Ex his itaque fundamentis elucescit, quòd imperfecta admodum vegetabilium extractio hac ratione fiat; ita ut dubium sit, an major eorum virtus ab istâ extractione, & non potius succis ipsorum, Oleis & Unguentis communicetur?

II. Zvel-

II. Zvelferus ſuccos vegetabilium ab Unguentorum compoſitione rejicit; quia illi, tanquam aquoſi, nullo unquam cum oleis conſortio connectantur, nec ita virtutes ſuas in ea transfundant, ſed ſemper iterum ſegregentur; & licet ad totalem humiditatis exhalationem coquantur, evidens tamen fiat ſeparatio olei à ſucco inſpiſſato, picis nigræ inſtar fundo vaſis adhærente, nullâque arte oleis permiſcibili. Verùm prout ſuccorum cum oleis conſortium eſſe, ita ut per intima commiſceri queant, adfirmare nolo: ſic idem cum aquis, à Zvelfero per deſtillationem abſtractis, ac oleis redditis, prædicare, neceſſum eſt.

Quod ſi tamen conjungantur, nullas autem virtutes ſucci Oleis imprimant, (de quo maximè dubitatur) certè nec aliud de Zvelferi dicto artificio decernendum erit; dum humiditatem ab Oleis deſtillando abſtrahit, eamque, ut Oleis fragrantiam ſuam, virtutesque imprimat, iisdem readfundit.

Pariter in *Unguento ad hernias Pharmac. Reg. pag. 281.* radices &c. cum *butyro majali*, & *axungiis taxi*, atque *humanâ*, nec non *vini boni rubri unciis ſex* macerantur; cujus tamen, *vini* ſcilicet, nulla quoque cum oleoſis iſtis vera eſt communio.

Fieri autem aliquam ſucci, per coctionem inſpiſſati ab oleo ſeparationem, haud diffiteor; non omnis tamen ſuccus ille eſt, qui in fundum vaſis ſecedit.

Cæterùm licet ſuccus iſte ſeparatus cum oleis conjungi nequeat, de Unguentis tamen, quorum animadverſiones hîc traduntur, idem dicere, minimè licet.

Quo verò pacto in hiſce ſe gerat Zvelferus, *Pharmacopœiam* quoque *Regiam* perluſtrare placet; ubi *pag. 264.* in *Oleo ſive Balſamo vulnerario* decoctum inſpiſſatum *hyperici* (quod certo reſpecto inſtar *ſucci hyperici inſpiſſati* ſe habet) & *ſuccum millefolij inſpiſſatum* admittit; qui tamen duo ſucci, ſi modò latæ Zvelferi ſententiæ fides habenda, ab oleo iterum ſeparantur.

Inſuper dum v. g. *pag. 265.* in *Oleo carminativo anticolico*, & *pag. 268.* in *Oleo nervino* herbas & flores recentes cum oleo macerat, colat, & fortiter exprimit, annon eâdem operâ ſuccus etiam illorum vegetabilium ſimul exprimitur, qui tamen poſtea, relicto oleo, in fundum vaſis ſecedere cogitur?

Pag. 72. Pharmacop. Reg. primæ editionis, Oleo de capparibus, ſucci verbenæ uncias tres incoquit.

Idem in Unguentis Zvelferi, ſi periculo iſti Unguenta Auguſtanorum ſubjecta ſunt, accidit,

Exempli

Exempli loco inserviat *Unguentum Comitissæ adstringens Pharmacop. Reg. pag. 277*, in quo decoctum multarum radicum, herbarum &c. cum *axungiâ porci*, *oleo myrtillorum*, & *cerâ*, ad totalem propemodum humiditatis consumtionem coquitur, eoque ipso succi inspissati instar evadit.

Quæ de vegetabilium recentium cum oleo maceratione, & forti expressione modò dixi, eadem etiam ad Unguenta nonnulla, uti *Unguentum de arthanitâ purgans Pharmacop. Reg. pag. 275.* & *pag. 277. Unguentum clysmaticum* &c. adplicari possunt.

III. Succi ab Unguentis à Zvelfero eliminantur, quia ab ipsis, loco herbarum, Oleorum & Unguentorum compositioni adaptatis, color plantarum sperari nequeat; qui, licet pro accidente habeatur, in quibusdam tamen, uti *Oleo hyperici*, & *Unguento de populo*, summopere expetatur. Posito, quòd summopere plantarum color in nonnullis, veluti in adductis Oleo, & Unguento, expetatur, frustrà tamen Augustanos hîc reformat; quia nimirum Ipsi, non cum succo, sed *floribus hyperici Oleum*, & *Unguentum* cum ipsis *populi oculis* conficere, edocent.

Reliqua, brevitatis causâ, hac vice dimitto, & ad speciales Unguentorum animadversiones me confero.

UNGUENTUM ÆGYPTIACUM COMPOSITUM MAGISTRALE *pag. 334.* satis potens & causticum esse, notat, quodque vix sine additione alterius rei mitigantis, adfectibus denominatis, nisi *ingens demortuæ & corruptæ carnis copia* adsit, adplicare liceat, ne dolores acerbissimos, & varia eos consequentia crudelia symptomata excitet. Hæc animadversio, præterquam quòd extra oleam vagetur, dum non medicamenti præparationem, sed compositionem impetit, Augustanos etiam nullatenus tangit, qui hujus Unguenti usum non nisi Peritis commendatum esse volunt, eumque in gangrænâ & sphacelo, omnibusque aliis ulceribus valde putridis & sinuosis, ubi *ingens carnis mortificatio & corruptio* adest, cum *Hildano cap. 13. de gangrænâ & sphacelo*, debitis extollunt laudibus.

Siquidem, si in manus, ritè eodem uti edoctas, devenerit, putredini efficaciter illud resistere, carnem mortuam à sanâ potenter separare, exsiccare, ac detergere &c. alma nostræ Medicinæ mater, Experientia, confirmat.

Ut ideo neque de novâ ejus præparatione, usitatâ illâ repudiatâ, cogitare, necessitas cogat; cùm antiqua ista intentioni Chirurgi utique satisfaciat.

Cæterùm ubi adfectus mitiora remedia postulat, vel tolerat, Medicus prudens ipse, quid factu opus sit, non ignorat; unde vel alio remedio utitur, vel præscripti Unguenti vehementiam, melle &c. addito, infringit.

UNGUENTUM ÆGYPTIACUM SIMPLEX MESUES *pag. 335.* nullam animadverſionem patitur.

Sed in UNGUENTO AGRIPPÆ EX NICOLAO *pag. eâdem* obſervat, radices in ejus compoſitione poſitas, *tribuloſq́ aquaticos*, cum *oleo* ad humiditatis omnimodam exhalationem coquendas haud eſſe, ſed ut nonnihil humiditatis remaneat, ſicque Unguentum in operando efficacius fiat. Quod monitum licet Auguſtanos propriè non concernat, utpote qui radices iſtas recentes, in *oleo* maceratas, coquendas eſſe, ſimpliciter ſaltem monent; dubitare tamen quàm maximè licet: num particulam aquoſitatis conſervare, tam neceſſarium ſit?

Radices verò ipſas, vel ſuccum earum, Unguento hoc, valentiores fore, hîc equidem contra Zvelferum negare, animus haud eſt; cùm ſufficiat, ſatis validas Unguento in denominatis adfectibus vires ineſſe; ad quos debellandos valentioribus quandoque remediis, in formâ cataplaſmatis &c. adhibitis, accedi poſſe, Medicus prudens ipſe non ignorat. Interea hîc non de Succis, vel alio medicamenti genere, ſed de Unguentis, agitur.

Cæterùm *ceram*, & *oleum*, quæ huc trahuntur, lentore ſuo prohibere, quò minùs reliqua ingredientia poros permeare aut penetrare queant, negatur, dum ipſe effectus contrarium teſtatur.

Eodem ariete plures Unguentorum deſcriptiones, à Zvelfero in *Pharmacopœiâ Regiâ* adductæ, impugnari, & expugnari poſſent.

UNGUENTUM DE ALABASTRO *pag. 336.* per ſimplicem infuſionem parare, impoſſibile eſſe, judicat; quia ſucci & olea, licet diu multumque invicem confuſa & digeſta, nunquam tamen perfectè commiſceri poſſunt, nec olea ex ſuccis, fundum ſemper petentibus, virtutes perfectè elicere queunt. Per ſimplicem infuſionem debere parari hoc Unguentum, Auguſtani nunquam tradiderunt; unde etiam quidquid de impoſſibilitate præparationis iſtius deblaterat Zvelferus, nullius ſunt momenti.

Licet ſuccos cum *oleo*, & *alabaſtro* per noctem infundere, doceant; addita tamen verba: *Et cum Cera alba fiat Unguentum*, non ſimplicem eſſe hanc infuſionem, ſed aliam inſuper præparationem, pro debitâ *ceræ* liquefactione, & juſtâ Unguenti conſiſtentiâ inducendâ, accedere, evincunt.

Quare licet 1. olea cum ſuccis per digeſtionem perfectè non commiſceantur, accedens tamen in fine, cum *cerâ*, artificioſa commiſtio omnem difficultatem tollit. Sic ipſe Zvelferus, in *Pharmacopœiâ Regiâ*, aliquibus Unguentis, præter olea, ſuccos quoque & decocta immiſcere, præcipit.

2. Quamvis olea ex ſuccis æquè, ut ex herbis, virtutes perfectè elicere nequeant, hoc tamen ut fiat, in præſenti Unguento opus haud eſſe, modò

dicta

dicta demonstrant. Interea Zvelferum virtutes herbarum cum oleis elicere, tentâsse, *Classis decima sexta*, & *decima septima Pharmacopœia Regia* clarissimè loquuntur.

Tandem, si Unguentum præsens secundùm præscriptum modum parari deberet, necessum fore, arbitratur, ut *succi per coctionem totaliter exhalarent, & ne sic quidem oleum suis virtutibus multùm imbuerent.* Utique si succi per coctionem *totaliter* exhalarent, oleum non solùm multis suis virtutibus non imbuerent, sed planè nullas eidem imprimerent; si enim *totaliter* exhalarunt, nihil ab iis cum oleo superesse potest.

Quanquam, validâ etiam coctione factâ, succi *totaliter* exhalare nequeant, in quibus nimirum magna terrestriorum partium copia hæret, quæ validum ignem in cocturâ sustinere valent.

Imò neque totali humiditatis succorum exhalatione opus esse, *prægressi Unguenti animadversiones* evincere possent, ubi particulam humiditatis elementaris relictam, Unguentum efficacius reddere, statutum à Zvelfero fuit.

In suppositâ Unguenti præsentis præparatione, 1. pro florum, herbarum &c. extractione, loco *Olei rosati omphacini, Oleum simplex*, quia illud jam tum alienis virtutibus satis imbutum sit, substituit; qui tamen censuræ hujus immemor, in *Pharmacopœia Regia Classe decimâ septimâ*, non tantùm cum *Oleo rosato*, sed pluribus aliis, uti *sambuci, nymphææ, chamameli* &c. similes extractiones sæpiùs commendat; imò & *oleum olivarum simplex* pro extractione vegetabilium satis aptum menstruum esse, in discursu de *Oleo stomachico Cratonis* negavit.

2. Cum *oleo*, virtute vegetabilium imbuto, *alabastrum* aliquandiu digerere, præcipit, cùm tamen, memor illius, quod paulò antea de impossibili *succorum* & *olei* per digestionem unione Augustanis objecit, *olei* pariter & *alabastri* veram commistionem haud dari, scire debuisset; licet diu multùmque invicem confusa digerantur, *alabastro*, ceu ipse fatetur, fundum petente.

Quam in *Append. animadvers. pag. 45. & 46.* Unguenti hujus præparationem tradit, hac vice examinare nolo; quam tamen multis difficultatibus scatere, cuilibet facilè patebit.

UNGUENTUM ALBUM, SIVE DE CERUSSA DICTUM AVICENNÆ, nec non ALBUM CAMPHORATUM *pag. 336.* nimis effœta esse, objicit, quia *lithargyrum*, & *cerussa* parum refrigerando præstare possint, tum per se inspersa, tum rebus unctuosis permista; cùm exigua illa vis refrigerans *cerussæ*, in saccharinâ dulcedine *Saturni* con-

ſiſtens, & fermentum ſalſum, à bilè ſalsâ & aduſtâ enatum, aliàs mortificare potens, mediante lotione, penitus eluatur. Quidquid hîc in contrarium adducitur, experientia frequens penitus rejicit, quæ, refrigerando in recenſitis ab Auguſtanis adfectibus Unguenta illa non effœta, ſed ſatis potentia atque efficacia eſſe, confirmat; cui obluctari, eſt, meridiano ſole caligare.

Ut ita neque *ceruſſæ* vis refrigerans in unicâ *Saturni* dulcedine, quæ in eo ab acidis *aceti* particulis corroſo deprehenditur, conſiſtat; neque ab illâ ſolâ acres humores temperentur; ſed omne id à *ceruſsâ* quoque, & *lithargyro*, elotis inque *oleo* diſſolutis, fieri, dici queat; ſicque *Saturni* cum *aceto deſtillato* imprægnatio tam ſtrictè neceſſaria haud exiſtat.

De *fermento ſalſo ulcerum* quæ profert, hîc examinare, materiæ ratio non permittit. Sufficiat ſaltem, vocem *ſalſi*, ſi in eo ſenſu ſumatur, quò aliàs à Zvelfero accipitur, quatenus nimirum acido opponitur, & non adeo inconvenienter à *Tackenio* nomine *alcali* inſignitur, huc non quadrare; cùm non omnia ulcera ab humore tali ſalſo, ſed aliis quoque, acidis puta, & miſtis, enaſcantur.

Quo ipſo ſanè, humorem (ſive fermentum Zvelferi) acidum, ſi ab eo producta fuerint, ſimplici iſtâ *Saturni* calce elotâ, & cum *oleo* in Unguentum redactâ, ſatis validè mortificari, dum acidus humor calcem plumbeam rodit, & ita non ſimpliciter calcem hanc lotam rejiciendam eſſe, elucefcit.

Præterea, ut hoc obiter addam, Auguſtani non de *ulceribus à bile ſalsâ, & aduſtâ enatis*, ſed de ſcabie, aliiſque cutis vitiis *à pituitâ ſalsâ, & bile aduſtâ enatis*, agunt.

Quod Zvelferi modum ſpectat, in illo, *lithargyrum*, & *ceruſſam* cum *aceto deſtillato* prius coquendam, & ita demum cum *albumine ovorum*, *cerâ*, & *oleo roſato* miſcendam eſſe, putat; ac quamvis dictæ *Saturni* calces cum *oleo roſato*, atque *aceto deſtillato* ſimul coqui poſſint, ne tamen *roſarum* odor in *oleo* contentus coctione penitus exhalet, modum priorem commendat. Qui equidem planè rejiciendus haud eſt; ſed admodum neceſſarium eum eſſe, ſupra jam negavi.

Quin etiam ſoli illi *Saturni* dulcedini, è *Saturno* cum *aceto deſtillato* cocto & corroſo emergenti, vis refrigerans & ulcerum fermentum mordificans ſi competit, Unguenta hæc à Zvelfero correcta, nec non quæ *pag. 273.* in *Pharmacopœiâ Regiâ* proponit, virtute illâ vix ampliùs gaudebunt, quia, dum *oleo* calx illa *aceto* imbuta miſcetur, omnis ferè dulcedo diſparet; tum quia à pinguibus particulis qualitas illa obtunditur: tum non exigua ſoluti *plumbi* in effœtam calcem præcipitatio, quam inferiùs, ubi *Unguenti de lithargyro animadverſiones* tradit, ipſe aliqualiter confiteri cogitur, accidit.

Quòd

Quòd si calces illæ plumbeæ effœtum reddant medicamentum, nisi prius mediante *aceto* saccharinam in dulcedinem fuerint conversæ, Zvelferus ipse magnam *cerussæ* &c. quantitatem inutiliter profundit, imò ejus insigni copiâ reliquarum in *aceto* solutarum particularum vim hebetat & infringit.

Quam enim *aceti* quantitatem in duobus illis Augustanorum Unguentis, pro *lithargyri* & *cerussæ* solutione exigit? *Sufficientem quantitatem aceti destillati* adfundi iis, atque ita simul coqui debere, in *Animadversionibus* respondet.

Quænam autem illa *sufficiens quantitas* sit, non exprimit.

Unde, hanc ut eruam, ad *Pharmacopœiam Regiam*, quam pro normâ & ideâ, juxta quam reliqua Dispensatoria conformari debeant, eum obtrudere conari, supra monui, recurrere, opus est; ubi, dum *Unguentum album pag. 273. cum*, & *sine camphorâ* paratum, quæ nimirum his duobus Augustanorum Unguentis substituit, perlustro, *cerussæ libras duas* atque *aceti sambuci libram unam & dimidiam* positas esse, deprehendo. Quare *cuilibet cerussæ unciæ, aceti drachmas sex*, pro saccharinâ illius dulcedine educendâ, destinari, sequitur.

Quis verò unquam, cum tam exiguâ *aceti* quantitate, tantam *plumbi* copiam dissolvere potuit?

Imò exigua ejus pars hoc modo solvitur; reliquum autem indissolutum remanet, & consequenter, dum in Unguenta illa nihilominus hoc recipitur, ast inutile existit, medicamenta adducta satis effœta, & inutilibus calcibus obruta reddit.

Ubi insuper notare obiter libet, Zvelferum in dictis *Pharmacopœiæ suæ Regiæ* Unguentis, *acetum sambuci*, pro *cerussæ* dissolutione adhibere; cùm tamen *pag. 11. Append. animadvers.* dum contra Augustanos decertat, *acetum rosatum*, (par ratio est cum *aceto sambuci*) utpote virtute *rosarum* imbutum, ad ulteriorem extractionem, cumprimis mineralium, commodum esse, negat.

De odore *olei rosarum*, quem coquendo penitùs exhalare, superiùs adseruit, idem Zvelfero objici posset, quod in *Oleo de capparibus*, in quod *rosas rubras recentes* recepit, ipse *Pharmacop. Reg. pag. 265.* monuit. In eo enim odor *rosarum* per coctionem cùm exhalet, ibidem non odorem, sed virtutem saltem roborativam *rosarum* desiderari, scripsit. Sic in his Unguentis Augustanorum pariter non odorem *rosarum*, sed virtutem earum refrigerantem &c. desiderari, regeri posset.

Præterea in suis *Unguentis albis*, jam notatis, *Oleum sambuci*, & *Acetum sambuci*, *suo modo paratum*, adhibet Zvelferus, eaque, igne lenissimo, spatulâ continuè

continuè agitando, cum *cerussâ* ad consistentiam Unguenti coquit. Ubi certè subtilem florum *sambuci* odorem in auras migrare, cogit, quem prius in *Oleo*, ceu ex *animadvers. pag. 330.* ubi *flores sambuci* inter sulphureas, tenuiumque partium plantas enumerantur, patet, & *Aceti*, prout *pag. 213. Pharmacop. Reg.* testatur, curiosè nimis conservare, laboravit.

Tandem, *camphoram* in *aquâ rosarum* commodè dissolvi non posse, sed necessum esse, ut vel in *spiritu rosarum* &c. vel ipso *Oleo rosato* dissolvatur, animadvertit. Verùm ut *camphora* totaliter in *aquâ rosarum* dissolvatur, Augustani minimè volunt, sed potius, ut cum paucâ *rosarum aquâ* in pultis liquidioris formam redigatur, atque ita commodè Unguento permisceri queat.

UNGUENTUM DE ALTHÆA COMPOSITUM NICOLAI pag. 337. miram congeriem, & inconcinnam compositionem vocat, atque ob *libras duas crassæ mucilaginis*, ex *libris quatuor radicum althææ*, nec non *seminum lini* & *fœnugræci* extractæ, ac cum *scillâ* reliquis ingredientibus, sine ulteriori coctione, permistæ, Unguenti consistentiam indè prosurgentem exagitat. Posito, Unguentum hoc in consistentiâ suâ nimis liquidum evadere; hoc tamen in casu Pharmacopœus peritus ipse, novâ institutâ coctione, debitam consistentiam introducere posset; præcipuè cùm Augustani illis in fine additis verbis: *Fac secundùm artem Unguentum*, ulteriorem coctionem non prohibeant, sed potius, si opus fuerit, præcipiant.

Hinc quoque notari meretur, quòd in sequenti *Unguento de althæâ simplici*, crassam illam mucilaginem cum *oleo*, ad aquositatis consumtionem coquendam esse, Augustani innuant.

Quanquam non omnia Unguenta eandem habere debeant consistentiam, cùm alia spissiora, molliora alia existant; quæ differentia etiam in *Pharmacopœiâ Regiâ* elucescit; ubi imprimis *Unguenta ad ambusta pag. 274.* mollia satis existunt, ita ut primum illorum *Linimenti* quoque nomine non immeritò Zvelferus insigniat.

In UNGUENTO DE ALTHÆA SIMPLICI EIUSDEM *pag. 338.* nihil singulare animadvertit.

In UNGUENTO ANODYNO *pag. eâdem*, *ceræ* quantitatem, ab Augustanis non expressam, sed Pharmacopœorum peritorum judicio relictam, determinat; cæterùm cum Augustanis consentit.

Discursum deinde instituit, & quamobrem *cera alba citrinæ semper* præferatur, nullam rationem se videre, fatetur, atque, *si cera alba non tantùm ob albedinem, vel pulchritudinem, sed etiam ob alias singulares virtutes expetatur, albæ flavam* longè præferendam esse, opinatur; quia *alba* per diuturnam insolatio-

ſolationem, non ſolùm flavedine, ſed etiam ſubtiliſſimis, fragrantioribus, & virtuoſioribus ſuis partibus privata ſit; cùm Sol *vegetabilibus omnibus*, à ſuâ radice evulſis, ipſiusque radiis diu expoſitis, multum detrahat, eademque viribus effœta reddat. Verùm Auguſtanos *ceram albam citrinæ ſemper* præferre, *Unguentum aureum Meſues*, aliaque, *ceram ſimpliciter*, vel additâ voculâ: *recentis*, poſitam, recipientia refutant.

Licet autem *cera alba* per ſolis radios flavedinem ſuam nativam, fragrantiamque perdiderit; propterea tamen inutilis planè dici haud debet. Præter albedinem namque & pulchritudinem, quam Unguentis nonnullis conciliat, vi etiam refrigerandi, repellendi &c. pollet, quæ in *cerâ citrinâ* eminere non ita deprehenditur.

Hinc *ceram albam* non ineptè compoſitioni *Unguenti albi Pharmacopœia Regiæ pag. 273.*; & *infrigidantis pag. 280.* ab ipſo Zvelfero deſtinatam fuiſſe, colligo.

Quæro hîc: num Zvelferus, ſolius albedinis & pulchritudinis causâ, prædictis Unguentis *ceram albam* deſtinaverit; num verò, quòd alias ſimul virtutes ipſis conferat?

Si ob ſolam albedinem & pulchritudinem, imprudenter certè egit, quòd effœtum illud corpus in uſum vocaverit, & non potius *ceram citrinam*, ſubtiliſſimis, fragrantioribus & virtuoſioribus partibus præditam.

Neque enim propter pulchritudinem, medicamentorum efficaciam diminuendam eſſe, ab ipſo Zvelfero ſcriptum invenio.

Sic namque *pag. 463. animadverſ.* loquitur: *Non ſemper ad medicamenti pulchritudinem, ſed potiùs ad ejusdem efficaciam reſpiciendum eſt: Multoties enim nimium curioſis & artificioſis noſtris laboribus rem deſtruimus potiùs, quàm quod boni aliquid exindè efficiamus.*

Sin *cera alba* in præfatis Unguentis Zvelfero probatur, quòd præter pulchritudinem, alias quoque ſingulares virtutes ipſis largiatur; nec in Auguſtanos, eandem juxta cum *citrinâ* uſurpantes, animadvertere poteſt.

Præterea *cera* Unguentis propriè non, ut ſingulares aliquas virtutes illis imprimat, ſed ut conſiſtentiam debitam largiatur, additur.

Unde parùm referret, ſi & aliis Unguentis omnibus alba adjungeretur; quia, dum effœta eſſe judicatur, nullam contrariam Unguentis qualitatem inducere, optimè verò formam eorum procurare poſſet.

Cæterùm Zvelferi argumentum pro Auguſtanis militat; dum *ceram flavam* longè præfert, ſi *cera alba* non tantùm ob albedinem & pulchritudinem, ſed etiam alias ſingulares virtutes expetatur.

Nam inverto hoc, & dico: Si *cera alba* albedine, pulchritudine, aliisque virtutibus

virtutibus singularibus, præ *citrinâ*, pollet; *alba citrina*, quæ albedine caret, nec istâ pulchritudine se commendat, nec virtutes illas singulares possidet, quandoque meritò longè præferri debet.

Ast solis radij licet *omnibus vegetabilibus*, à suâ radice evulsis, virtutes, ita ut effœta dici possent, extraherent, hoc tamen nihil ad *ceram* faceret; quæ etiamsi à calore solis dealbetur, atque in viribus immutetur, vegetabilium tamen ordinem haud commodè ingreditur; cùm potius animalium classi, tanquam aliquod ab apibus productum, inferri desideret.

UNGUENTI APOSTOLORUM AVICENNÆ *pag. 339.* præscriptum conficiendi modum intricatissimum, nec à quoquam Pharmacopœo instituendum, nominat. Sed intricatus licet sit & obscurior quodammodo modus iste, ab exercitato tamen Pharmacopœo facilè intelligi, quin observari potest. Cui verò dexteritatem diversis aliis modis idem Unguentum conficiendi, hoc ipso derogatam minimè volo. Sufficit mihi, quòd tradito ab Augustanis modo parari queat.

UNGUENTUM AREGON NICOLAI *pag. eàdem* alio modo præparare, docet; cùm ille ab Augustanis traditus, insufficiens ipsi videatur. Quia tamen, in quonam illa insufficientia lateat, haud exprimit, de eâ sollicitum admodum me præbere, nolo.

Quòd si fortè jacturam partium aliquarum fragrantium, ab additis herbis, illo innuat; quia illarum digestionem & ebullitionem in vase cum alembico celebrat; istæ quidem hoc modo conservantur; ab Augustanis tamen neque omnes amittuntur; neque tanti momenti sunt, ut propterea tota præparatio laboriosè reformari debeat.

Neque UNGUENTI DE ARTHANITA MAIORIS MESUES *pag. 340.* præparationem sufficienter traditam esse, objicit; cujus igitur, non indicando, in quo erratum fuerit, aliam mox subjungit conficiendi methodum. Interea tam diu salvus erit traditus Augustanorum modus, quàm diu commissi in illo errores non demonstrantur.

In *UNGUENTO AUREO MESUES pag. 341.* nihil singulare animadvertit.

UNGUENTO DE BDELLIO MESUES pag. eàdem nimis exiguam quantitatem *olei* adsignatam esse, existimat, ita ut Emplastrum citius, quàm Unguentum exinde confici possit. Hanc ipsam *olei* quantitatem Unguenti hujus autor, *Mesue*, quoque posuit; quam tamen Pharmacopœus exercitatus, si præparatio tali modo fieri non posset, facilè augere, vel alio modo, ut justa consistentia prosurgeret, mutare nosset. Quamvis hoc Augustanis in usu esse, jam dudum desierit.

UN-

UNGUENTA E CALCE *pag. 342.* juxta modos præſcriptos parari quidem poſſe, concedit; ſed propter reiteratas lotiones *calcis vivæ* minùs efficacia proclamat; quia tali modo inſtar terræ mortuæ calx ſe habeat, acrimoniâ ejus exſiccante ablatâ. Verùm neque propriè exſiccantes, multò minùs acres *calcis vivæ* partes hîc expetuntur, ſed terreſtriores illæ, refrigerandi vi præditæ; cùm Unguenta præſentia ad ambuſta curanda, in quibus feliciſſimè uſurpantur, commendentur.

Sed hæc mitto, quia præparationem propriè non concernunt.

UNGUENTUM CITRINUM SEU BASILICUM NICOLAI pag. eàdem ſpecioſam ſatisque argutè conſcriptam compoſitionem adpellat, quæ tamen reverà plurima inutilia contineat; cujus, cùm inter ingredientia nullam ſymbolizationem eſſe, pateat, aliqualem ſaltem præparandi modum adjungit. Sed neque hic modus ab Auguſtanorum traditâ normâ multùm differt; neque in quo ab Auguſtanis erratum fuerit, video; cùm nullum ingredientium ſit, quod ad hujus Unguenti præparationem inutile eſſe dici queat.

An verò aliqua inſint inutilia ratione compoſitionis, neque hujus loci eſt inquirere, neque à Zvelfero id innui, arbitror.

In UNGUENTIS CLYSMATICIS *pag. 343.* nihil reformat. Sed

UNGUENTUM COMITISSÆ GUILIELMI DE VARIGNANA *pag. 344.* correctione, quam tamen clarè non exprimit, maximè opus habere, opinatur. Interea non repugno, ut *aquæ plantaginis* ſaltem *aqua vulgaris* ſubſtituatur, & decoctum cum hac factum, non *ceræ & oleo* lavando deſtinetur, ſed potius cum ipſis coquendo, ad humiditatis conſumtionem evaporet.

Quamvis illa *ceræ & olei* cum decocto lotura non planè rejicienda ſit; in qua nimirum vires aliquas (num multæ ſint? hîc non diſquiritur) decocti ipſis accedere, haud negari poteſt; quem in finem etiam inſtituta fuiſſe videtur.

Cæterùm *ceram* cùm decocto unâ vel alterâ ebullitione, juxta conſignatum à Zvelfero modum, coquere, & dein, ſeparatâ *cerâ*, cum eodem decocto olea ad humiditatis exhalationem usque decoquere, minimè neceſſarium exiſtit; quia illa prior decocti cum *cerâ* coctio ſuperflua planè eſt, dum potius mox cum oleis eadem fieri poteſt; qua abſolutâ, *cera*, quæ in oleis tunc liquatur, viribus decocti ſufficienter imprægnabitur.

Olei maſtichini loco, cujus *libra una cum dimidiâ* præſcribitur, *olei communis libram unam & uncias duas, maſtiches* verò *uncias quatuor ac dimidiam* præſcri-

præſcribit; ſed minùs adcuratè. Nam *Oleum maſtichinum* ex *unâ maſtiches, & quatuor olei partibus* conficitur. Hinc Zvelferus *maſtiches* quantitatem juſtò auctiorem, & ferè *unciâ unâ* majorem poſuit.

Trochiſcis de charabe ut ſpecies eorum ſubſtituantur, melius fore, quò credam, haud facilè adducor; ſi ſcilicet illi in officinâ parati proſtent; indifferens tamen aliàs eſſe, faciliùs mihi perſuadeo.

Pro *duabus* illis ad hoc Unguentum requiſitis dictorum *Trochiſcorum unciis*, *medietatem ipſorum ingredientium*, *prout compoſitio huic Diſpenſatorio inſerta eſt*, *accipere*, *æquum eſſe*, quis credere poſſet Zvelfero; ſi iſtorum ingredientium debita & æqua computatio inſtituatur?

Circa UNGUENTUM DE CYNOGLOSSO *pag. 345.* nihil, niſi quòd paratu facile illud ſit, adfert.

UNGUENTUM FUSCUM NICOLAI *pag. eâdem* pariter intactum relinquit, ejusdem ſaltem præparationem addens, in qua tamen nihil contra Auguſtanos animadvertitur.

UNGUENTI AD HÆMORRHOIDES *pag. eâdem* aliam adducit præparationem, quæ tamen Auguſtanorum modum non evertit.

In ſimpliciſſimâ UNGUENTI INFRIGIDANTIS GALENI *pag. 346.* præparatione has ſe animadvertere ineptias, cavillatur, quòd *cera alba* toties adhuc aquâ frigidâ lavanda ſit, donec albeſcat, quæ tamen per inſolationem candida & nitida jam ſit reddita, ut ulteriori lotione opus non habeat. Verùm eſt, quòd *cera*, ſi ſatis alba ſit, fruſtrà lavetur, ut candida evadat. Aſt hoc in Unguento *cera* non ſola, ſed in *Oleo roſato omphacino* liquata, lavatur, quod *oleum*, ex *roſis rubris* paratum, *ceræ* candorem inficit; unde poſtea, quò priſtina albedo ipſi reddatur, fruſtrà eam lavari, ineptè adſtruitur.

2. Per frequentem loturam *Olei roſarum* fragrantiam & vires ſimul auferri, objicit. Sed idem, quod è Zvelfero in *Unguenti albi examine* adduxi, videlicet, odorem *roſarum* hîc non deſiderari, repono.

3. In hac loturâ *ceram*, & *oleum* tantum de *aquâ ſimplici* in ſe recipere, putat, quantum capere poſſunt; ut ita de *aceto roſaceo*, quod ultimò additur, nil quidquam ampliùs recipiant. Contrarium tamen ipſa αὐτοψία confirmat. *Aqua* enim *frigida*, cum qua *cera*, & *oleum* lavatur, iterum ſeparatur & exprimitur; ut ita, loco ejus, ſub diligenti agitatione, *aquam roſarum*, atque *acetum roſatum* poſtea ingredi poſſit.

UNGUENTUM JOVIS *pag. eâdem* efficacius fore, pronunciat, ſi de ingredientium humiditate nonnihil cum *butyro* remaneret, ſive coctio

ad

ad illius totatem consumtionem non institueretur. An aquæ elementaris exigua particula tantam huic Unguento efficaciam imprimere possit, in *Unguento Agrippæ* etiam jam dubitavi.

Insuper si *Unguentum Jovis refrigerans Pharmacop. Reg. pag. 281.* intueamur, quod ex iisdem ferè ingredientibus, & aliis, iisque recentibus, compingitur, ad humiditatis exhalationem unà cum *butyro* species ut coquantur, præcipi, deprehendimus.

UNGUENTUM DE LIQUIRITIA *pag. eâdem* præstantius reddere laborat, *cerussam* cum *aceto destillato* prius coctam eidem addendo. Quo de *Examen Unguenti albi* consulatur.

UNGUENTUM DE LITHARGYRO *pag. 347.* si juxta modum præscriptum fieret, malè ejus præparationem cessuram, & nullam exinde Unguenti emersuram consistentiam, autumat. Verùm sine fundamento.

Istam enim Unguenti in mortario plumbeo ab Augustanis productam agitationem non fieri debere absque calore, qui nimirum & meliorem ingredientium permistionem calciumque plumbearum solutionem, & *aceti* debitam evaporationem procuret, ipse artis suæ gnarus Pharmacopœus novit.

Interea tenendum est, quòd hoc Unguentum nostris in Officinis molliori, sive Linimenti, in consistentiâ adservari soleat.

Alia etenim Unguenta molliora, spissiora alia esse, plus quàm notum est.

Sicut verò Augustanis hîc imputare conatur Zvelferus, quòd hoc Unguentum justam non habeat consistentiam, sive quòd nimis liquidum evadat; ita econtra illius *Unguenti de lithargyro*, nonnullis in Officinis usitati, cujus descriptionem adjungit, consistentiam duriorem quodammodo ab additis pulveribus reddi, objici posset; dum ad *libram unam Unguenti*, justam consistentiam adepti, *aliquot pulverum uncias* superaddit.

De præcipitatione *sacchari Saturni* quæ profert, ad Augustanos non spectant; ab illâ tamen, quam tradit, *olei Saturni*, & *rosarum* commixtione dum aliqualis præcipitatio accidit, necessariò etiam aliqualis virtutum *olei Saturni* (sic Zvelferus *plumbi* cum *aceto* solutionem, ad spissitudinem *salis tartari per deliquium soluti* abstractam, vocat) destructio & annihilatio, dum *lithargyrum* &c. ab *aceto* separatur, quod ita calcis formam indutum, secundùm Zvelferi doctrinam, effœtum redditur, timenda est.

UNGUENTUM MARTIATON NICOLAI *pag. 348.* ex tam confusâ ingredientium congerie conflatum esse, sibi imaginatur, ut

plures Pharmacopoei, à quo primùm incipiendum, aut ubi ultimò desistendum sit, ambigere, necessum habeant &c. Verùm similia medicamenta non tyronibus, sed exercitatis Pharmacopœis elaboranda traduntur, qui modum procedendi si ignorent, vix digni sunt, quibus pharmacorum præparatio concredi debeat.

Neque tamen difficile admodum est, secundùm recensitam methodum concinnare hoc Unguentum.

Primam quidem conficiendi formulam ita se habere, facilè concedo, ut vix ab alio, nisi exercitato Magistro, intelligi, atque ut secundùm illam, absque difficultate, parari haud possit.

Cæterùm quod huic deest, id altera supplet; in qua tamen quid verè mancum & mutilum dici debeat, vix video. Annon enim herbæ recentes *vino* septem diebus infusæ, postea unà cum *oleo communi*, ad *vini* consumtionem, decoctæ, colatæque, & in colaturâ hac *butyrum*, *medullæ*, *adipes*, *styrax*, *mastiche*, *thus*, *oleum nardinum*, & *cera* liquata, Unguentum bonæ consistentiæ, omnesque Unguenti notas habens, efficiunt?

In quonam igitur defectus ille consistat, prius monstrandum erit, cui tunc obviam procedere licebit.

Quòd si fortè ob herbas nonnullas odoratas, similiter coctioni submissas, quas Zvelferus separatim, ut excepta humiditatis odoratæ particula Unguento reddi possit, coquit, mancam & mutilam hanc Augustanorum præparationem adpellet, aliquid fortè proferret.

Nec utique negari potest, particulam illam spirituosam aliquas Unguento huic virtutes conferre. Ast propter ejus absentiam, cùm ipsi omnis herbarum virtus haud inhæreat, medicamentum inefficax non redditur.

Ut taceam, quòd quædam vegetabilia, quibus odoratæ insunt particulæ, & quæ alibi destillationi laboriosæ propterea committit, in substitutâ à se Unguenti præsentis præparatione, unà cum *vino* coquat Zvelferus, & ita hujus ac illarum jacturam faciat; inter illa verò, quæ in præsenti Unguento destillationi adaptat, quædam ponat, quæ alibi coctioni, ac si spirituosis effluviis carerent, subjicit, ubique propriâ animadversione dignus.

Myrrham in *vino*, vel *aceto* nonnihil quidem dissolvi, vel dilui posse, scribit; magis tamen genuinam ejus, nec non *styracis*, & *olibani* solutionem cum *terebinthinâ*, cujus ideo *dimidiam libram* Unguento nostro destinat, fieri, credit. Verùm mihi hoc in loco satisfacit, quòd pro Unguentorum præparatione, illam gummatum resinosorum cum *aceto* dissolutionem sufficere, *pag. 128. animadvers.* ipse Zvelferus docuerit. Quare *terebinthinæ* additione facilè carere possumus.

Insuper

Insuper consimilium, uti: *myrrhæ*, *thuris*, *mastiches* &c. pulveres circa finem præparationis, sæpius in *Pharmacopœiâ Regiâ*, absque eo, ut prius in *terebinthinâ* &c. eadem dissolvat, Unguentis suis, juxta normam, ab Augustanis hoc in Unguento traditam, immiscet.

UNGUENTUM AD MEMBRA EX IGNE COMBUSTA PRIMUM *pag. 350.* ad modum *Unguenti albi simplicis*, & *camphorati*, vel *de lithargyro*, parari posse, animadvertit; melioris tamen informationis gratiâ, dilucidiorem ejus addit præparationem; quam quidem suo in valore relinquo; Augustanorum tamen modum propterea non repudiandum esse, adstruo.

Zvelferum verò in substitutâ à se præparatione *olibani uncias duas*, ab Augustanis præscriptas, sine ratione omittere, notetur.

SECUNDUM *pag. eâdem*, ad ambusta planè nihil valere autumat; *quas enim*, inquit, *ex succo corticum medianorum Sambuci virtutes nobis polliceamur, si illas in coctione olei Rosarum deperdimus?* Utique nullas virtutes ex succo illo nobis polliceri debemus, si illæ perditæ fuerint. Ast hoc in Augustanorum Unguento præsenti fieri, negatur.

Sumitur equidem succus ille, & ad sui consumtionem ferè coquitur; quia tamen odore notabili, aut virtute insigni humiditas ista, quæ coquendo exhalat, neutiquam gaudet, quis virtutes *corticum sambuci* perditas esse, conqueri jure potest?

Quin ipse Zvelferus *Pharmacop. Reg. pag. 15. & 52. cortices* istos *medios sambuci* violentæ coctioni submittit; & in propriâ, quam adnectit, Unguenti hujus præparatione decoctum *corticum sambuci*, ad formam extracti inspissatum, ponit. Si coctione eorum vires pessum eunt, idem in Zvelferi decoctionibus, & inspissatione fieri, verisimile est.

Unde, qui Zvelferum suum faciunt, vel proprias suas præparationes prius reforment, antequam in aliorum animadvertant; vel si illas pro legitimis habent, palinodiam, ob animadversiones adductas, canere, recordentur.

UNGUENTUM AD MEMBRA PERUSTA GELU *pag. eâdem*, modo præscripto parari posse, concedit.

UNGUENTUM MERCURIALE *pag. 351.* ob multiplicitatem ingredientium alto supercilio contemnit, luxuriantisque in cavillando styli specimen præbet. *Solus*, ait, *Mercurius est, qui vim & operationem suam exerere debet, reliqua verò, quæ illi adjecta sunt, quod tantoperè Mercurij vim infringere, nervosque & membra roborare valeant, difficiliùs probari, quàm credi potest. Est autem res cachinno digna, velle, ut Mercurius intimè ad partes penetret,*

netret, & noxiam materiam expellat, roborando verò nervos & membra tantâ commixtâ farragine ejusdem conamini simul resistere. Pergit dein, & membra, nervosque debilitatos post inunctionem mercurialem demum roborandos esse, concludit. Negat etiam, adjuncta illa, ob lentorem, crassitiem & viscositatem suam, unà cum *Mercurio* ad intima membra penetrare, aut passibus æquis eum insectando, malignitatem ipsius infringere posse &c. Verùm solum esse *Mercurium*, qui vim & operationem suam exserere debet, negatur.

Reliqua non tantùm ad roborandas partes, ne à *Mercurio* lædantur, sed multos alios propter usus adduntur; prout ipse Zvelferus suo *Unguento mercuriali oleum guajaci, styracem* &c. permiscet.

Ast *Mercurij* vim, quam exserere debet, infringere, Augustani minimè volunt; nervos autem & membra, quibus inimicus est *Mercurius*, per addita reliqua roborari &c, difficiliùs credi, quàm probari potest.

Et quæso, quid opus est verbis, ubi rei ipsius testimonium adest? Ipse felix Unguenti hujus usus sufficienter id comprobat.

Est autem res commiseratione digna, statuere, quòd *Mercurij* conamini, dum noxiam materiam expellit, medicamenta nervos & membra roborantia resistant. *Mercurij* enim vis medica non in eo consistit, ut nervos & membra debilitando materiam noxiam expellat; sed hæc ipsius vis nervis inimica tantùm se habet ut accidens, cui meritò prudens Medicus obviam procedit, eique totis viribus resistit; quod dum facit, *Mercurij* conamini, quatenus nervos debilitat, equidem resistit, non verò quatenus noxiam materiam expellit.

Interea non negatur, illam corroborationem etiam post inunctionem & veneni expulsionem fieri posse, cùm hoc illius usum non tollat.

Boni quippe Medici est, non solùm nervos & membra debilitata confortare, sed quoque iisdem, ne debilitentur, quantùm potest, prospicere. Difficiliùs is ejicitur, quàm admittitur hostis.

Si verò non est credendum, adjuncta illa ingredientia propter lentorem, crassitiem & unctuositatem suam unà cum *Mercurio* ad intima membra penetrare; qua ratione itaque illa, nervos & membra roborando, *Mercurij* conamini ibidem resistere possunt? Nam si non penetrant, membra, ad quæ penetrare debent, etiam non roborant.

Sit autem, quòd *passibus æquis* Mercurium omnia non insectentur, sed vel concitatioribus, vel tardioribus progrediantur; nihil tamen indè patrocinij Zvelferus speret. Ibi membra & nervos roborando *Mercurij* advenientis

nientis violentiam arcebunt; hîc eadem jam oppugnata subsidio salutari reficient.

Quamvis non penetrare adjuncta illa, tam diu negabo; usque dum, qua ratione Unguenta & Emplastra Zvelferi, quorum virtus partibus intimioribus succurrere debet, penetrent, explicetur; cùm & ipsa lentore, crassitie, & unctuositate prædita esse deprehendantur.

Pergit dein, & *Mercurium pinguedini suillæ* permistum, in suffimigio adhibitum &c. eadem duntaxat, & non graviora symptomata, quàm præsens Unguentum, producere, putat. Si symptomatis nomine illa, quæ ut accidant, desiderantur, v. g. salivationem, intelligat, tunc eadem à *Mercurio*, cum solâ *pinguedine suillâ* permisto atque inuncto &c. evenire, Zvelfero largior. Sin alia, uti nervorum debilitatem &c. innuat, graviora illa à solo isto *Mercurio* magis timenda esse, regero.

Nec refert, quòd in nonnullis, *hydrargyro* illo simpliciter cum *pinguedine suillâ* misto utentibus, similia haud observentur. Nec enim venena unicuique nocent. Interdum ob aliorum symptomatum vehementiam non æstimantur. Nonnunquam longo post tempore sese exserunt &c.

Cauti & conscientiosi Medici est, sollicitè cavere, ne minimum etiam damnum, quantùm possibile est, pertimescendum sit; præcipuè cùm *hydrargyri* cum nervis antipathia in dubium vocari nequeat.

Lithargyrum, & *cerussam* nihil ampliùs in hoc Unguento præstare, uti objicit Zvelferus, quàm ut poros occludant, & *Mercurio*, ne ad interiora penetrare possit; resistant, sed ut in membris torpidus hæreat, ac difficulter iterum expelli queat, efficiant, falsum est.

Unde *lithargyrum* & *cerussam*, ubi ulcera adsunt, Unguentis similibus addere, non sine ratione observat *Hercules Saxonia cap. 39. tr. de Lue venereâ.*

Si verò *cerussa*, atque *lithargyrum* poros occludunt, ne *argentum vivum* ad interiora penetrare valeat, vanus est metus, ne scilicet torpidus in membris hæreat, atque ex iis difficulter iterum expellatur. Dictæ enim *Saturni calces* aut poros ita occludunt, ut *Mercurius* in corpus penetrare nequeat; aut non occludunt; Si illud, nugæ sunt, quæ de ejus difficili expulsione, profert. Si enim in corpus non fuit receptus, quomodo ex eodem expelletur? Sin hoc, *cerussa* & *lithargyrum* poros ita obstruere haud potuisse, necessariò sequitur, quò minùs *hydrargyro* per eos patuerit aditus; dum verò ejusdem ingressum remorari non potuerunt, neque ipsius egressum inhibere posse, verisimile est.

Prout

Prout etiam experientia ejus penetrationem, facilemque iterum expulsionem sufficienter in hoc Unguento comprobat.

Sit autem, quòd à *Saturno* occlusi sint pori illius partis, quæ inunctionem sustinuit; an *Mercurius* per hanc ipsam viam denuo evacuari debet? An per nullam aliam viam facilis ipsi exitus patet?

Porrò *bdellium*, & *gummi arabicum* nihil ampliùs posse, quàm poros similiter occludere, & tali modo *Mercurij* vim non infringere, vel ejus malignitatem corrigere, aut membra roborare, sed solummodo *hydrargyri* penetrationem retardare, animadvertit. *Gummi arabicum* quod concernit, illud non singularem aliquam ob causam additur, sed tantùm, quatenus in *Theriacæ*, & *Mithridatij* compositiones recipitur; quarum intuitu tam parvâ in quantitate ad hoc Unguentum accedit, ut poros obstruendi vires neutiquam exserere possit; neque enim integra *quinque grana* ejusdem huc venire, deprehenditur; cùm econtra pondus totius Unguenti *libras quatuor* excedat.

Bdellium eidem vitio obnoxium esse, negatur; quod nec aliorum vires, quò minùs per poros intromittantur, retardatur, nec proprias suas effundere, intermittit.

Quid verò cum Zvelferi *Emplastro diaphoretico pag. 294. Pharmacop. Reg.* fiet; quod, cùm *uncias quatuor bdellij* recipiat, pariter poros occludendo, reliquorum ingredientium penetrationem retardabit?

Mel, quo prædicta, *Theriaca*, & *Mithridatium*, abundant, eodem ariete impugnat. Verùm *Theriaca*, & *Mithridatium* huic Unguento non adsociantur propter *mel*, sed vice versâ.

Quòd poros occludendo, adjunctorum simplicium virtutis in corpus receptionem impediat, si nulla alia ratio, *Theriacæ* tamen salutaris usus externus non admittit.

Si autem *mel* per se cuti illitum non penetrare, ponamus; nihil tamen exinde contra ejusdem, aliis rebus penetrantibus, uti in nostro Unguento, lentasque ejus particulas discontinuantibus permisti, usum concluditur.

Si insuper *mel* poros ita occludit, vel obstruit, & cutim visciditate ac lentore suo imbuit, ut aliorum ingredientium virtutem, ne per cutis poros in corpus penetret, prohibet; quo modo excusabitur *Emplastrum de baccis lauri stomachale, Pharmacop. Reg. pag. 291.* quod *mellis uncias tres* recipit? Nec impunè abibit *Emplastrum de fuligine, pag. 294. Pharmacop. Reg.* in quod *Antidotus theriacalis*, cum largâ *mellis* quantitate parata, ingreditur.

Ex hisce itaque consideratis clausula, quam his præmissis adjungit, quid valeat, patescit; dum, si tali modo administratus *Mercurius* leviter saltem

operetur,

operetur, vel gravia ſymptomata quandoque non producat, ipſum tam egregiè & exactè correctum fuiſſe, non exclamandum eſſe, ſcribit. Verùm prout Auguſtani omnia illa, quæ *argento vivo* in hoc Unguento addita fuêre, pro egregiis, & exactis corrigentibus malignitatem ejusdem, non proclamarunt: ita *hydrargyrum* alienis compedibus ligari hîc & conſtringi, ne vires ſuas exſerere valeat, *ſatis ſtultè* (ignoſcat Lector phraſi Zvelferianæ) adſtruitur.

Illis verò, qui, ſi quandoque *Mercurius* ſalivationes & ſimiles, quibus ſe prodere ſolet, operationis ſuæ modos exſerere non potuerit, aut ſi nulla, vel imperfecta ex illo medela eſt, (quod ob parcam ejus quantitatem, vel ſiniſtrum uſurpandi modum accidere poteſt) propterea *ipſum non verum luis Venereæ rhizotomum* eſſe, exclamant, hoc ipſo patrocinium non præſtatur; neque ad Auguſtanos id pertinet; quibus ſufficit, quòd multo tempore Unguenti, de quo hîc ſermo eſt, uſus in curandâ lue venereâ feliciter ceſſerit, eoque, quidquid præpoſterum aliorum judicium in contrarium adducit, debellaverit.

De quo inſuper recentia, ſi neceſſitas efflagitaret, exempla produci poſſent eorum, qui aliis remediis methodicè adhibitis, à morbo venereo liberari non potuerunt, hujus Unguenti illinitione perfectè reſtituti fuerunt.

Tandem in ipsâ Unguenti præſentis præparatione notat, gummata in *ſpiritu vini* diſſolvi non poſſe, utpote *bdellium*; neque etiam illa, quæ tali diſſolutioni apta ſunt, Unguento propter nimiam *ſpiritus vini* quantitatem, niſi potior ejus pars abſtrahatur, permiſceri poſſe. Aſt non talis cum *ſpiritu vini* ſolutio præcipitur, qua gummata cum eo quaſi in liquorem reſolvuntur, ſed quæ pultis formam præbeat; & tali modo nec *bdellium* diſſolutioni ineptum eſt, nec nimia *ſpiritus vini* quantitas requiritur.

Tali modo ipſe etiam Zvelferus *Pharmacop. Reg. pag. 286.* in *Unguento ſplenetico* utitur; dum *gummi ammoniacum*, & *ſagapenum* cum *vino albo* ad pultis formam ſolvere, præcipit.

UNGUENTI NERVINI *pag. 353.* conficiendi modus abſurdiſſimus Zvelfero dicitur, quem ex ſubſequenti ſuâ præparatione facilè eluceſcere, ſcribit. Verùm prout negare nolo, meliores conficiendi Unguentum hoc modos dari poſſe; ita tamen præſcriptum ab Auguſtanis abſurdè abſurdiſſimum vocari, arbitror.

Zvelferus itaque herbas, flores &c. cum ſolis oleis & axungiis macerat &c. *vinum* autem, ne evaporando ſubtiliores ingredientium partes ſecum rapiat, omittit. Certum equidem eſt, *vinum* in coctione aliquas ſpirituoſas ingredientium partes, non inutiles, verùm non omnes, multò minus

cunctas virtutes, secum auferre; quorum defectus, si necessitas efflagitat, qualibet vice, ubi in usum trahitur, à Medico facilè suppleri potest.

Interea tamen Zvelferus perfectam extractionem in supposito suo modo non adsequitur, si animadversio, quæ superiùs circa *Oleum stomachicum Cratonis* occurrit, alicujus momenti sit; ubi scilicet *oleum olivarum*, cum quo *Oleum lumbricorum*, *vulpinum*, *anethinum*, & *hyperici* conficitur, propter lentorem suum & unctuositatem, pro extractione vegetabilium satis aptum menstruum non esse, propugnat. Annon ergo præstabit, pro perfectiori extractione *vinum* addere, & ne vegetabilia intacta remaneant, hoc modo procurare?

Spiritus vini uncias duas, quas Augustani circa finem descriptionis hujus Unguenti ponunt, pro *mastiches*, & *benzoës* dilutione adsignatas fuisse, existimo; quod Pharmacopœus exercitatus ipse non ignorabit; si tamen, eadem gummata infusioni &c. cum herbis &c. traderentur, ea hac ratione commodè satis oleis uniri, diffiteri nequit.

Alia quæ fortè obscuriora videri possent, Pharmacopœo perito difficilia, Lectori æquo absurda videri nequeunt.

In UNGUENTO NICOTIANÆ, SEU EX PETO, VEL TABACO *pag. 354.* I. *vinum* frustrà addi autumat, quo *nicotiana*, quæ per se succulenta est, macerari debeat; cujus etiam vices *succi libra dimidia*, quæ huc accedit, supplere possit. Verùm 1. non dicitur, quòd *nicotianæ folia recentia* sumi debeant; cùm præcipuè non omnibus in locis illa, nec quovis tempore, haberi queant.

Unde etiamsi folia recentia per se satis succulenta sint, exsiccata tamen, prout nonnunquam ab Institoribus venduntur, pauco succo & humiditate gaudent.

2. Licet recentia sumantur folia, quia tamen pinguia illa, uti de *oleo olivarum* è Zvelfero modò monui, insufficientia sunt ad extrahendas vegetabilium virtutes, aliquis liquor, qui extractioni inserviat, uti *vinum*, cur addi nequeat, haud video.

3. Zvelferus ipse in *Unguento ad hernias pag. 281. Pharmacop. Reg. radices herbas* &c. *recentes* cum *butyro*, *axungiis*, atque *vini rubri unciis sex* macerat & coquit. In *Unguento potabili rubro primo pag. 285. Pharmac. Reg. radices recentes* &c. pariter cum *butyro* ac *vini rubri unciis quatuor* macerat atque coquit. Si itaque in hisce medicamentis *butyrum* & *axungiæ* ex *radicibus*, *herbis recentibus* &c. virtutes perfectè non eliciunt, sed *vini* additione opus habent; cur simile ab Augustanis observatum, tantum est piaculum?

4. Suc-

4. *Succum nicotianæ vini* ſubire poſſe vices, dum *animadverſiones in Sirupum lenitivum de tribus pag. 70.* intueor, dubito. Si enim vegetabilium ſucci abunde jam ſuorum, è quibus expreſſi fuère, corporum virtutibus imbuti ſunt, atque ulteriori infuſioni & extractioni prorſus inſervire nequeunt, uti hoc de *ſucco roſarum* Zvelferus ibidem in ſpecie effatur, idem de *ſucco nicotianæ* timendum ſit, neceſſe eſt.

II. *Reſinam abietis*, cum axungiâ ſi coquatur, non ſolùm in bullas ſemper elevari & intumeſcere, verùm etiam ſpiritum ejus oleoſum, qui naturam *ſpiritus terebinthinæ* æmulatur, citiſſimè evaporare, objicit. Aſt 1. non cum ſolâ axungiâ, ſed etiam cum *nicotianæ ſucco* coquitur *reſina abietis*.

2. Si ſemper, quod tamen perito artifici non accidit, in bullas elevaretur *reſina*, hoc, ſi aliud non ſubſit incommodum, Unguenti præparationi nihil demeret.

3. Spiritum ejus oleoſum ex parte evaporare, non ibo inficias, ſed major ejus pars remanet, & hoc ipſo naturam *terebinthinæ* æmulatur, cujus oleum, ſive ſpiritus, uti communiter audit, non omnis exſtillat, ſi *terebinthinæ unciæ quatuor* cum *aquæ unciis ſex*, ad harum totalem prolectionem, deſtillentur.

UNGUENTA NIHILI AD OCULOS *pag. 354.* admittit, ita tamen, ut *camphora*, in pinguedine benè ſoluta, illis admiſceatur, & ne in diſſolutione exhalet, caveatur. Utrumque Pharmacopœus quilibet, vel modicè verſatus, ipſe non ignorat.

Si tamen minuta omnia eosdem monere, convenit, malè id aliquoties in *Pharmacopœiâ Regiâ* Zvelferus omiſit; ubi imprimis, ratione *camphoræ*, *Unguentum de liquiritiâ*, nec non *de lithargyro pag. 282.* conferantur.

In UNGUENTO PECTORALI *pag. eâdem*, *ceræ*, *oleorum*, & *adipum* frivolam atque ineptam loturam eſſe, cavillatur, ac propterea Lectorem ad *Unguenti infrigidantis Galeni animadverſiones* remittit, quarum *examen pag. 334.* invenitur.

In excutiendis UNGUENTIS PEDICULORUM *pag. 355.* ingenij vires & curioſitatem ſuam pariter exercet Zvelferus, dum nil quidquam ad rhombum hæc facere, probare intendit. 1. enim inſectis illis aut aliquid dandum eſſe, quod avidè amplectantur, vel devorent, aut à cujus odore vel ſapore adverſo (quorſum?) fugiant. Illud *pinguedinem porcinam* eſſe, quam, ſi *Mercurius*, *ſemen ſtaphidis agriæ*, *hyoſcyami*, aliudve venenum dulce, inſipidum, aut inodorum ipſi permiſceantur, facilè devorent, mortemque ſibi conſciſcant. Aſt ſi *ſapo Venetus*, *acetum*, *ſal* &c. prædictis commiſceantur, tunc illa nequaquam attingant, quin potius hæc illorum ſint alexi-

 pharmaca,

pharmaca, neque eorum odor tam validus ſit, ut ipſos propellat, aut fugere faciat; & ita quod uno vel altero ingredientium præſtatur, reliquis inconvenienter admixtis prohiberi, concludit. Lubens in hiſce imbecillitatem meam fateor, qui quid animalculis iſtis gratum acceptumque ſit, pro certo venditare nequeo. Zvelfero, majorem circa hæc peritiam præ ſe ferenti, qui velit, per me fidem habeat; conſiderans tamen, non omnibus inſectis eadem grata, vel adverſa eſſe; nonnulla hoc, vel illo, fœtido etiam odore, delectantur; aliqua dulcem ſaporem, ingratum & amarum alia ſectantur.

Quod ſi inſectis illis *pinguedo porcina* in deliciis eſt, ab admiſto verò *hydrargyro*, *ſemine ſtapidis agriæ* &c. exitioſa evadit; utrùm tamen *ſaponem Venetum*, *acetum*, *ſal*, quæ admodum impropriè alexipharmaca pediculorum vocat, tantopere averſentur, dubito; cùm nec odorem, nec ſaporem eorum ipſis magnopere contrariari, veriſimile ſit.

Si enim locum, victumque eorum conſideres, illum non absque fœtore, hunc interdum nullas ſapidas, dulcesve delicias eſſe, conſenties.

Excrementa illa capitis, quibus ſordida iſta animalcula immerſa ſunt, *ſaponis* quodammodo naturam æmulantur; unde nec *ſapo* ipſis adverſus fortè eſſe poteſt, quò minùs eundem devorent.

Nec ſine humoribus ſalſis, præcipuè ubi phthiriaſi & tineâ laborant, ſunt capita illa.

Præterea *aceti* & *ſalis* tam parca additur quantitas, ut reliquis permiſta, vix ampliùs eorum ſapor notabilis perſentiri poſſit.

Mercurius etiam, cum *aquâ forti*, unde *Mercurij ſublimati* æmulantem naturam induit, à Zvelfero hoc in caſu commendatus, ſaporis gratiâ deſtituitur.

Sed quid moror? Ipſe uſus monſtrat, quid ſimilia Unguenta, in malo illo debellando, valeant; quorum virtutem, vel cruda imprimis gens ruſtica, toties experitur, ſibique commendatam habet, & eo ipſo, ſatis efficacia eſſe, contra Zvelferum ſolidè evincit.

Sic quidam Medicorum noſtratium (ut hoc obiter addam) aliquoties, à ruſtico, cui, fœdis iſtis hoſpitibus gravato, Unguentum hoc commendaverat, ſe vitulo, ob felicem ſubſequentem effectum fuiſſe donatum, retulit.

2. Unguenta acribus ſimilibus, *aceto*, *ſali*, *ſaponi*, *helleboro*, permixta, ſi capitibus, phthiriaſi vel tineâ infectis, inungantur, pruritum ſummum, nec non dolorem ingentem, item majora ulcera excitare; nec iſta ad hæc mala ſananda, quibus utplurimum caput in ſimili inſectorum profluentiâ laborat,

rat, valere, objicit. Verùm, uti modò innui, acredo *salis*, & *aceti* à reliquis additis pinguibus mitigatur, ne vim ſuam corrodendi validè exſerere queat.

Celebriores etiam Practici, uti *Sennertus de infant. curat. part. 2. cap. 4.* pro tineâ capitis radicitus tollendâ, detergentia, & quodammodo erodentia commendant. Ita *d. l. Sennertus* in Linimentum, huic ſcopo inſerviens, *aceti acerrimi unciam unam* recipit.

Quid de Zvelfero dicam, qui ulceribus ſimilia acria deſtinare, ipſe non intermiſit?

Sic *Pharmacop. Reg. pag. 272. Unguento ægyptiaco*, quod in ulceribus malignis & ſordidis detergendis valde proficuum eſſe, deprædicat, *acetum* immiſcet; quod igitur Unguentum pruritum ſummum, dolorem ingentem, & ulcera majora, ex eodem Zvelferi fundamento, excitare debet.

Idem periculum ipſius correctum *Unguentum pediculare*, cum *argento vivo*, in *aquâ forti*, quod inter vehementiora corroſiva meritò locatur, ſoluto, confectum, maneret; vel ſi *Mercurius ſublimatus*, ceu idem ſuadet, in aquâ, vel decocto aliquo ſolutus, adhiberetur.

Ut jam non repetam, quòd uſum Unguenti illius hîc uſitati proficuum eſſe, compertiſſimum habeatur; nec dicam, Medicum non uni iſti Unguento adligatum eſſe, quin pro variâ rei exigentiâ, alia etiam remedia adhibere poſſit, ſciatque.

UNGUENTUM DIAPOMPHOLYGOS NICOLAI, VULGO NIHILI DICTUM, *pag. 356.* ſecundùm artem conficere, exercitatus Pharmacopœus ignorare nequit.

Cæterùm cum *aceti deſtillati unciis aliquot, ceruſſam*, & *plumbum uſtum* coquere, non adeo eſſe neceſſe, *Examen Unguenti albi* dictitat.

UNGUENTI POMATI *pag. eâdem* artificioſa præparatio Pharmacopœis peritis meritò relinqui poteſt.

Zvelferus autem cumprimis *aquarum*, & *vini* quantitatem abrogandam eſſe cenſet, cùm hæc neceſſariò exhalare debeat. Quod certè non eſſet de nihilo, ſi humiditatis cum ipſo Unguento commiſtio deſideraretur; tanta quippe ejus quantitas, juſtæ conſiſtentiæ Unguentum impetrare, haud permitteret.

Verùm ſi *vinum* ad ſpecierum aromaticarum infuſionem, *aquam* autem *roſarum* (ſola enim hæc in præſenti compoſitione conſpicitur; unde minùs adcuratè Zvelferus voce: *aquarum*, loco: *aquæ*, utitur) ad *ſevi caſtrati* ablutionem commendari dicamus, illa quantitas an abrogari debeat, meritò dubitatur.

Uti

Uti enim pinguedines non frustrà ablui, in *Classe vigesimâ* probabitur: ita si hunc in finem *aqua rosarum* hîc pro *sevo castrati* adhibeatur, odor rosatus hac ratione eidem nonnihil imprimitur.

De *vino* autem si quid exhalare debet, aliquam fragrantiæ specierum partem sic deperdi, verum est; major tamen remanet; quod ipsum tantopere reprehendi nequit; præcipuè dum Zvelferus in substituto suo *Unguento pomato*, *pomorum odoriferorum* N. xxiv. *rad. iridis conscissar.* ℥j. *rosarum recentium conscissar.* ℔j. cum *sevo castrati*, & *pinguedine suillâ*, ad humiditatis, & consequenter etiam fragrantiæ, exhalationem usque coquere, ipse præcipit.

Nec propriè odoris causâ, sed ad oris fissuras & cutis decorem, usus præsentis Unguenti commendatur.

Qui tamen valentem in eo odorem, variis modis ipsi conciliandum, obtinere, concinnioremque præparandi modum sequi, desiderat, illi per me integrum hoc esto.

POMATA SIVE SEVUM CONFECTUM EX AMATO LUSITANO pag. eâdem sicco pede transeo; cùm ejusdem compositio inter obsoletas, vel inusitatas numeretur.

In UNGUENTO POPULEO NICOLAI *pag. 357.* duo præcipuè notat:

1. *Vinum* omitti debere, autumat, quia herbæ, *si recentes*, satis succulentæ sunt; fragrantia etiam *oculorum populi* in tam longâ lentâque coctione cum *vino* exspirat. Verùm particula illa: *si* notari hîc debet.

Si herbæ omnes sint recentes, vinum rectiùs omitti, verisimiliùs dici posset.

Sed de hoc dubitatur; neque enim recensitæ herbæ omnes simul, sed successivè colliguntur. Unde priores in collectione non ampliùs recentes, aut humiditate nativâ turgentes esse possunt; quorum intuitu *vini sufficiens quantitas* ad coctionem adhiberi potest.

Hinc *Medici Hafnienses* eandem cum Augustanis methodum præparandi Unguentum hocce sectantes: *si herbæ sint sicciores, aliquid vini addendum*, monent.

Et licet hac ratione fragrantiæ *gemmarum populi* nonnihil dematur, tota tamen haud exspirat.

Nec *oculi* illi propriè odoris, sed virtutis somniferæ causâ, huc accedunt; quæ an in solâ illâ fragrantiâ consistat, maximè dubitatur.

Sed ne longior hîc sim, oppono *Unguentum populeum Pharmacop. Reg. pag. 285.* in quo *gemmarum populi recentium libræ duæ*, cum insigni aliarum herbarum, & florum recentium abundantiâ, ad humiditatis ferè totalem consum-

consumtionem, cum *axungiæ porcinæ libris decem*, leniter coqui debere, præcipitur; ubi certè non levis fragrantiæ *oculorum populi* jactura strenuè procuratur.

2. *Axungiæ* pondus augendum esse, cùm herbarum respectu mancum sit, putat; quam tamen *axungiæ* quantitatem desideret, equidem nescio.

Si quis verò juxta modum, in *Unguento populeo Pharmacop. Reg. pag. cit.* traditum, procedere vellet, ubi nimirum *axungiæ porcinæ libræ decem, herbarum &c. libræ sex, uncia una*, vel *unciæ undecim* ponuntur, is ferè *libras septem axungiæ* sumere deberet; quia in hoc Zvelferi Unguento pro *librâ unâ axungiæ, unciæ septem, drachmæ duæ, grana viginti quatuor*, vel *unciæ octo, drachmæ duæ, grana viginti quatuor herbarum* &c. destinantur.

Quod tamen necessarium haud esse, alia Zvelferi Unguenta testantur.

Sic in *Unguento cephalico Pharmacop. Reg. pag. 276.* pro *axungiæ porcinæ libris duabus, herbarum &c. libras duas, uncias quatuor cum dimidiâ*, atque ita pro *librâ unâ* dictæ *axungiæ, libra una, unciæ duæ drachmæ duæ*; in *Unguento cordiali Pharmacop. Reg. pag. 278.* pro *axungiæ porc. librâ unâ & dimidiâ, specierum libra una, unciæ novem cum dimidiâ*, sive pro *librâ unâ axungiæ, libra una, unciæ duæ, totidemq́ drachmæ & scrupuli specierum* adhibentur.

Unde vel in hisce duobus, similibusque Unguentis, herbarum &c. quantitatem pariter justo majorem, *axungiæ* contra mancam; vel *Unguentum* illud *populeum* Zvelferi non satis efficax esse, utpote quod ob nimiam excipientis, sive *axungiæ*, dosin, majorem herbarum quantitatem ferre posset, redhostimenti loco repono.

UNGUENTUM POTABILE *pag. 358.* optimâ ratione *vinum*, quia radices, ipsum ingredientes, siccæ sunt, recipere, largitur; *sperma* tamen *ceti*, peractâ decoctione, residuo jungere, atque *radicum rubiæ tinctorum* quantitatem augere, *alcannæ* etiam *radices* addere, quò colore rubro Unguentum sufficienter imbuatur, præcipit. *Sperma ceti* parato Unguento jungi posse, haud nego; idque fortè Augustani innuere voluerunt, dum *secundum artem* præsens Unguentum fieri debere, tradiderunt.

Concedo etiam, *radices rubiæ tinctorum* in majori quantitate sumi, vel *radices alcannæ* quoque, aut aliud quid, addi posse, si quis saturatè rubrum colorem expetat; cujus tamen Augustani nullam hîc mentionem faciunt.

In UNGUENTO EX RHAMNO ET FRANGULA D. R. MINDERERI *pag. eâdem, sulphuris vivi* quantitatem meritò augeri posse, notat. Sed idem etiam de aliis ingredientibus, si liberet, augendis, dici posset.

Simile

Simile pariter judicium de Zvelferi compositionibus ferre, nihil prohiberet.

Vitella ovorum in fine demum jam ferè refrigerato Unguento addenda esse, animadvertit; id quod ipsi Augustani jam observarunt, eadem, juxta cum aliis, post decoctionem, Unguento jam colato & expresso adjungentes.

Acetum scilliticum, ne nimiùm rodat, doloremque inferat, unà cum reliquis ingredientibus decoctioni committere, denique consultum ducit. Sed non benè consulit.

Nam 1. *acetum scilliticum* coquere, est, partem ejus spirituosam, cui aliàs tantùm non omnes ipsius vires adscribit, deperdere.

2. Pauca satis, reliquorum ingredientium respectu, *aceti hujus* est quantitas, cujus etiam acrimonia ab adjunctis cæteris nonnullis mitigatur.

3. *Acetum*, si scabies ab humore salso (scilicet in eo sensu, quo Zvelferus vult, voce salsi sumtâ) foveatur, quatenus hujus acrimoniam mitigat, maximè in hoc Unguento utile erit.

4. Si per *ingredientia* (dum scilicet *acetum scilliticum* unà cum *reliquis ingredientibus* decoquendum esse, voluit) omnia hujus Unguenti ingredientia, exceptis *ovorum vitellis*, quod idcirco fortasse in fine præparationis addere, studiosè notavit, intelligit, iterum malè agit; *terebinthinæ* enim & *styraci* vim ita inferri, ex aliis Zvelferi locis patet.

De UNGUENTO RESUMTIVO FERNELII *pag. 358.* multa, ratione ingredientium, præparationis, & adscripti ridiculi encomij, dicenda esse animadvertit, quæ tamen brevitatis causâ omittit; cùm unusquisque ejus levitatem facilè agnoscat. Insuper quamplurimas antecedentes animadversiones, ratione præparationis, observare, præcipit. Cùm tamen causas hujus adserti sui iniqui non adducat, idem excutere, supervacuum est.

Præparationis norma vix meretur animadversiones; quam etiam eodem planè modo in *Dispensatorio Hafniensi* traditam fuisse, Lector Benevolus offendet.

Contra UNGUENTUM ROSATUM MESUES *pag. 359.* insurgit, dum proprium modum, pro conservandâ ejusdem Unguenti vi refrigerandi, fragrantiâque, nec non candore conciliando, adnectit. Quod vim refrigerandi spectat, illa Unguento Augustanorum denegari nequit.

Odoris hîc non habenda est singularis ratio; prout eundem in *Oleo de capparibus* Zvelferum non curâsse, supra jam monui.

Mediantibus *rosis albis* majorem candorem Unguento huic accedere, equidem non nego, sed color ejus virtutes non exaltat.

Præterea

Præterea candorem illum vulgus, ceu tradit cum Auguſtanis Zvelferus, probat ; à prudentioribus verò, Medicisque tanti non æſtimatur ; qui tamen *roſas albas* propterea non planè excludunt.

Dum verò Zvelferus *axungiam porcinam*, & *roſas albas* contuſas recentes, odoriferasque, horas viginti quatuor invicem maceratas, *leniter* quamvis, ad humiditatis conſumtionem coquit, eo ipſo fragrantiam *roſarum leniter* exhalare, quoque permittit ; quam tamen alembico impoſito excipere potuiſſet ; & quidem majori cum fructu, quàm in ſecundâ novorum florum recentium, cum *axungiâ* prædictâ, miſtione, ubi in cucurbitâ, quò humiditas, quæ prodit, ſervari queat, unicam illam ebullitionem inſtituere jubet ; in qua unicâ ebullitione tanta fragrantis humiditatis exhalatio nullo modo fieri poteſt, quanta in diuturnâ, & viginti quatuor horas durante coctione pertimeſcenda eſt.

Sed quid cum exiguâ illâ humiditatis, unicâ ebullitione prodeuntis, particulâ, tam ſtudioſè à fugâ retractâ, agendum ſit, non exprimit.

Tertiâ infuſione cum novis *roſis*, ut & *ſucci roſarum* conjunctione opus non eſſe, uti Zvelferus notat, equidem concedo ; indè tamen, fruſtraneum eſſe laborem illum, nemo colligat ; quinimo eo modo Unguentum efficacius redditur ; de quo, medicamentorum nimirum virtute adaugendâ, aliàs ſollicitum admodum, & contra Auguſtanos rigoroſum, quanquam ſæpius intempeſtivè ſatis, ſe præbet Zvelferus.

Ultimò *oleum amygdalorum dulcium* ab hac compoſitione eliminatum vult, quia eo addito fluidum nimis, aut liquidum exinde redderetur Unguentum ; odor etiam non parùm diminueretur. Quod ſi de ſolo ſuo Unguento intelligi velit, me non movet.

Aſt ſi de Auguſtanorum modo idem intelligat, *oleum* ſcilicet *amygdalorum* additum, fluidum nimis reddere Unguentum, pernego.

Nec Unguenta ejusdem eſſe conſiſtentiæ, ſed molliora ac ſpiſſiora dari, ſuperiùs monui.

Pariter de odore paulò antea actum fuit.

Licet multùm immutare odorem nequeat, ſi recens, prout decet, illud ſumatur.

Quod modum ſecretiorem conficiendi *Unguenta odorata*, cujus meminit Zvelferus, attinet, illum ſuo in valore relinquo ; præcipuè cùm hîc non de Unguentis odoratis agatur.

Secretum tamen hoc, jam dudum propalatum, & ideo ſecretorum numero exemtum, Zvelfero non debemus.

Ita *Tobias Aldinus* exactam *mantecas*, (sic Italis dicuntur) sive *Unguenta odorata* parandi è floribus odoratis normam traditurus, talia scribit: *Sumo duo vascula alba è terra vitreata, plana, & depressa, in quibus nostri Pharmacopolæ solent conservas rosarum, violarum &c. ponere: fundum horum vasculorum adipe illo* (scilicet purissimo, albissimo, ac sine aquæ contactu præparato) *leniter illino, indè repleo vascula floribus odoratis, & simul claudo concularum more, reclusi flores maneant, & mutentur, ut dictum est in oleo: quum satis odoris adeps attraxerit, colligitur, & in vasculum aptum servatur, qui magnam Mantecæ copiam habere voluerit, huic pluribus vasculis opus erit. Mantecæ odoratæ usus jam notus Nobilibus, nil igitur aliud addam. Adeps eligitur solidior, ut hedinus, vitulinus, cervinus, si nimis solidus visus fuerit, aliquantum suilli adipis misceatur. Sed parari etiam potest ex odoratissimo oleo balanino, addita pauca cera albissima, ut in unguenti formam deveniat.* De hoc vid. *cap. 6. Descriptionis rariorum plantarum horti Farnesiani.*

In UNGUENTO RUBEO, SIVE DE MINIO CAMPHORATO *pag. 360. lithargyrum, minium*, & *cerussam* in *aceti destillati* sufficiente quantitate, antequam *oleo* commisceantur, coquenda esse, docet; *camphoram* verò in *oleo* solutam, sub finem demum addendam, judicat. Licet hoc modo institui præparationem posse, haud eam inficias; illa tamen ab Augustanis tradita admitti pariter debet. Qua de materiâ in antecedentibus actum jam fuit; unde repetere illam, superfluum foret.

Consentire etiam Augustanis observo *Amplissimum Collegium Noricum*, in ultimâ *Dispensatorij* sui editione, Anno M. DC. LXVI. factâ; in cujus *classe 2. sect. 8. pag. 109.* hujus Unguenti præparationem absque *aceto* pariter absolvit, his verbis ejusdem delineationem tradens: *Rec. Olei Rosati libram unam semis, Minij uncias tres, Lithargyrij uncias duas, Cerussæ unciam unam semis, Tutiæ, Camphoræ ana drachmas tres, Ceræ uncias duas. Misce, fiat in pila plumbea, cum pistillo plumbeo, Unguentum.*

In UNGUENTO AD SCABIEM *pag. eâdem* 1. *Cerussam* cum *succo limonum*, tanquam acido, coquendam esse, animadvertit, dubio procul, ut indè saccharina *plumbi* dulcedo eliciatur, sive *cerussa* dissolvatur. Hoc tamen necessarium haud esse, *Unguenti albi examen* evincit.

Quòd si *succus limonum* (eadem enim ratio est, ac *succi citri*) coquatur, eum in aciditate suâ infringi ac dulcescere, è Zvelferi *pag. 3. Pharmacopœiæ Regiæ*, supra *pag. 12.* ostendi; hac itaque ratione ad *cerussam* solvendam ineptus evadit.

2. *Sal* omittendum esse, judicat, quia pruritum augeat, & consequenter quoque majorem causet affluxionem, cùm utplurimum scabies à salso humore

humore producatur; unde contrariis, exstinguentibus scilicet salsum fermentum, curanda veniat. Si *sal* per se, & unicum hic in usum traheretur, majorem fortè fidem hæc Zvelferi sententia inveniret; verùm dum unà cum acrimoniam ejusdem temperantibus adhibetur, tantum excitare pruritum haud valebit.

Sal autem in Unguentis, Linimentis &c. contra scabiem usurpandis, utiliter misceri, crebra Practicorum suggerit experientia.

Ita *Petrus Borellus observat. medico-physic. centur. 2. observ. 7.* Unguento suo odorato ipsum *salis spiritum* immiscet; & *Daniel Sennertus libr. 5. medicin. pract. part. 1. cap. 27.* nonnullis Unguentorum formulis *sal commune* destinat.

Aliàs etiam *acetum* in hoc casu exulare deberet; cùm tamen *asphodeli radices* in *aceto* coctas, utiliter scabiosis illiniri, *Petr. Andr. Matthiolus com. in lib. 2. Dioscor. cap. 164*; & *lib. 4. cap. 123.* tritam *buglossi radicem* cum *aceto* tribus diebus continuis illitam, scabiosos juvare, testetur.

Sal etiam in ulceribus putridis, ac serpentibus mundificandis, in pruritu, & scabie exsiccandâ, *Joh. Schröderus Pharmacop. med. chim. lib. 3. cap. 21.* commendat.

Imò si scabies à salso humore, si vox *salsi* in eo sensu, quo aliàs solet, à Zvelfero accipiatur, quatenus scilicet *acido* directè opponitur, ortum ducit, *salis communis* usus non adeo incommodus esse potest; cùm in hoc acidum abundet, atque ita salsum illum scabiosorum humorem, tanquam contrarium exstinguere quodammodo valeat.

Quo sane respectu scabiem, licet ab acri, salso foveatur humore, mediante sale, per medicamentum contrarium curari, dici potest. Similitudo enim, quæ intercedere videtur, reverà contrarietas est.

Sit autem, quòd *Salis* in hoc Unguento quantitas excedat, propterea tamen usus ejusdem omnino rejici haud debet.

Si Medicus prudens, eo modo paratum Unguentum justò potentius esse, nonnunquam observet, additis aliis, acrimoniam ejus temperantibus, ad usum adcommodabit. Neque enim universale scabiosorum refugium esse, unquam ab Augustanis creditum fuit, qui potius illud *Sennerti l. c.* memoriâ tenent, dum inquit: *neque unico medicamento facilè omne genus scabiei curari potest, & qui hoc tentant, vel negligentiæ, vel inscitiæ accusandi sunt.*

Si verò *sali* tanta corrodendi, & pruritum excitandi inest potentia, sine ratione Zvelferus eidem *Mercurium sublimatum*, ex *argento vivo, spiritu salis*, & *vitrioli* conflatum, licet in minori quantitate, substituit; utpote quem

fummè corrofivum effe, nemo ambigit; unde etiam *Mercurij corrofivi* etymo à Zvelfero *pag. 461. animadverf.* infignitur.

In *UNGUENTO AD TINEAM pag. eàdem*, *florum æris* pondus excedere, autumat, cùm maximè corrofivi fint. Verùm corrofivos hos *flores* effe, probè norunt Auguftani, ideoque Unguento huic illos addidêre; cum tineâ laborantibus topica, ex erodentibus, aliisque indicationi fatisfacientibus mifta, conveniant, ita tamen, ut unà refpectus ad ipfius mali magnitudinem, ægri ætatem, naturam &c. habeatur.

Unde fi fortè nimis potens Unguentum hoc in nonnullis cafibus effe, videatur, idem, admiftis largiore in quantitate oleis, aliisve congruis, facilè mitigari poteft.

Neque verò tantâ oleorum &c. additione, pro vi corrofivâ *florum æris* minuendâ, opus eft. Aliàs in *Unguento ægyptiaco Pharmacop. Reg. pag. 272.* pondus *cryftallorum æruginis* pariter minuendum, vel *mellis* &c. adaugendum foret.

Sed fimilia ad præparationem medicamentorum non pertinent.

Accedit, quòd Unguentum hoc ab Auguftanis inter medicamenta obfoleta relatum fuerit.

UNGUENTO DE SUCCIS ARANTII *pag. 361.* corrigendo quamvis operam impendere vellet, nil tamen effecturum fe, cavillatur, quod, fervatis fingulis ingredientibus, ad denominatos adfectus utile foret; quare etiam illud, tanquam inutilem compofitionem, transgreditur. Sed hæc partim contra medicamentorum præparationem, qua de hoc in opere fermo effe debet, nihil inferunt; partim etiam pro commento habentur, usque dum, cur compofitio hæc ad denominatos adfectus inutilis fit? demonftretur.

In UNGUENTO DE TUTIA NICOLAI *pag. eàdem ceruffam*, & *plumbum calcinatum* cum *aceto* prius coquenda effe, denuo animadvertit; de quo tamen in *antecedentibus* actum jam fuit.

Infuper *olei* quantitatem refpectu *ceræ* paucam nimis effe, objicit. Certum quidem eft, Unguentum hoc aliis fpiffius effe, eâ tamen in confiftentiâ communiter apud nos expeti & præparari, fciendum eft.

In UNGUENTO AD VERMES *pag. 362.* ancipitem fe hærere, fcribit, an prægrandem errorem, quoad fuccorum pondus, culpæ typographi, an verò voluntati autographi adfcribere debeat; cùm nulla *fucci nafturtij*, (cujus vis & efficacia in fpiritu volatili, facilè avolante, confiftat) refpectu reliquorum, fit proportio. Illius enim *libram integram*, horum (qui tamen directius ad fcopum propofitum colliment) duntaxat *drachmam*

unam

unam poni, existimat. Sed insigniter Zvelferus fallitur, dum *succum nasturtij* sumi, sibi persuadet. Non enim *succus*, sed ipsa *herba* ab Augustanis præscribitur; id quod ordo ingredientium ita positus comprobat:

Rec. Succi absinthij
abrotani &c. ana drachmam unam,
porri uncias duas,
nasturtij aquatici libram unam.

In *ultimâ* quidem *Dispensatorij Augustani impressione*, in *folio* editâ, vox: *nasturtij* sub *porri* vocabulum ponitur, hoc nempe modo:

Rec. Succi absinthij,
abrotani &c. ana drachmam unam,
porri uncias duas,
nasturtij aquatici libram unam.

eoque succum, non herbam sumendam esse, evincitur. Ast erratum typographi hoc esse, è reliquis *Pharmacopœiæ Augustanæ editionibus* sufficienter elucescit.

Quin & Zvelferus in *utrâque Pharmacopœiæ suæ reformatæ editione* vocem: *nasturtij* non sub tô: *porri*, sed rectâ infra *succi* vocabulum ponit, atque ita herbam, non succum intelligi, clarè satis ipse ostendit.

Unde solo cavillandi animo hanc animadversionem Augustanis scriptam fuisse, suspicandi ansa subministratur. Sed ad reliqua me quoque converto.

Vim & efficaciam *nasturtij* in spiritu volatili, facilè avolante, consistere, ex parte quidem concedo; ast omnem virtutem in eo residere, nego.

Si quis Adversariorum contrarium sustineat, eum ad Zvelferi *Pharmacopœiam Regiam*, ibidem reformandum, voco; ubi nimirum, spiritu dicto per cocturam, & inspissationem expulso, pars terrestrior saltem succi, vel herbæ, reliquis medicamenti partibus unita relinquitur.

Exemplum hujus in *Sirupo antiscorbutico pag. 21.* occurrit; in quo *succi nasturtij aquatici & hortensis ana libra una*, cum *succi cochleariæ librâ unâ & sacchari libris tribus cum dimidiâ*, ad omnem ferè humiditatis succorum exhalationem, & tabulati quasi consistentiam, coquitur.

In *Pilulis splenetics pag. 68. succi nasturtij libra dimidia*, cum multis aliis, ad spissioris Extracti consistentiam, exhalando redigitur.

Herbæ nasturtij, v. g. *uncias tres pag. 6.* in *Sirupo aperitivo chalybeato secundo*; & *pag. 17.* in *Sirupo nephritico primo*, cum *aquâ* decoqui, observatur.

Si modum procedendi quoque, in Unguentis observatum, desideres,

Unguen-

Unguentum ſpleneticum pag. 286, ubi præcipitur, ut *herbæ naſturtij hortenſis*, & *aquatici ana unciæ tres* &c. parùm coquantur, notabis.

Sed ad noſtrum potius Unguentum redeamus, in quo reformato *ſucci naſturtij inſpiſſati*, atque ita ſpiritu ſuo volatili privati, *drachmæ duæ* à Zvelfero ponuntur.

Unde in *naſturtij* coctione, vel omnem vim & efficaciam non deperdi, adfirmandum; vel inconſideratè inutilem illam cocturam ſæpius à Zvelfero commendatam fuiſſe, fatendum erit.

Præterea *ſucci naſturtij libram unam* ab Auguſtanis poſitam eſſe, *cæterorum* verò ſuccorum ſingulorum duntaxat *drachmam unam*, falſum pariter exiſtit; cùm *ſucci porri* non *drachma una*, ſed *unciæ duæ* præſcriptæ fuerint.

Reliquos ſuccos directiùs ad ſcopum propoſitum collimare, quàm illum *naſturtij* creditum, ſi de virtute Unguenti vermibus adversâ loquatur, dubito; cùm *naſturtium* inter medicamenta ἑλμινθικὰ, & Priſcis, & noſtris temporibus ſemper locum invenerit. Reliqui quòd efficaciores ſint, adhuc probari debet; quin & de hac materiâ agere, huc non ſpectat.

Pergit dein, & *oleum abſinthij* jam ſufficienter imprægnatum eſſe ab *abſinthio*, objicit, ut, *licet tres libræ ſucci Naſturtij adderentur, & cum dicto oleo ad humiditatis conſumptionem coquerentur, parùm tamen exindè juvaminis ſperandum eſſet: Nam tanta quantitas ſucci, multò minùs herbæ, cum Unguento absque ulteriori decoctione & abſtractione permanere nequit.* Aſt hîc etiam meras nugas Zvelferus tradit.

Si *oleum abſinthij* jam ſufficienter imprægnatum eſt, ut ampliùs quid in ſe recipere nequeat; cur ipſe in *Pharmacopœiæ Regiæ* Unguentis *Olea roſarum, ſambuci, chamameli* &c. aliquoties, aliis herbis imprægnanda, comendat? Sed de hoc quoque actum jam ſuperiùs fuit.

Facilè autem concedo, quòd *oleum abſinthij*, ſi à *librâ unâ naſturtij* nihil in ſe recipiat, multò minùs à *tribus ejusdem libris* aliquid recepturum ſit; neque contrarium Auguſtani unquam tradiderunt.

Si tanta quantitas ſucci cum Unguento absque ulteriori coctione permanere nequit, quòd multò minùs tanta herbæ quantitas cum eo permanere queat, inverſus dicendi ordo eſſe mihi videtur; facilior quippe herbæ cum Unguento, quàm ſucci unio exiſtit.

Quid per *tantam quantitatem* ſucci, vel herbæ, intellectum velit, an videlicet *libram unam*, vel *tres?* equidem neſcio; ſed cùm de *tribus libris* non ſit ſermo Auguſtanis; nec *ſuccus naſturtij*, multò minùs *integra* ejus *librâ*, &

quæ

quæ absque ulteriori coctione permanere debeat, iisdem fuerit præscripta, materiam hanc tractare, superfluum foret.

Quòd verò adsignata herbæ quantitas cum Unguento, absque ulteriori decoctione & abstractione permanere queat, ut defendam, ansam præbent aliquot Unguenta *Pharmacopœiæ Regiæ*; v. g. *pag 276. Unguentum cephalicum*, quod *axungiæ porcinæ libras duas*, & *herbarum florumq; recentium libras duas, uncias quatuor* recipit. Sic *pag. 278. Unguentum cordiale axungiæ porcinæ libram unam semis, herbarum, florum, & corticum libram unam, uncias septem*, præter alias species, continet. Et tamen utrumque, licet parùm coquatur & abstrahatur, quæ abstracta humiditas postea residuo redditur, ritè præparatum esse, dici debet. Cùm Augustani tantùm *libram unam herbæ* ad *libram unam & dimidiam olei*, cum *ceræ sufficiente quantitate* justam consistentiam adepti, recipiant, & ex arte Unguentum conficiant.

Quamvis humiditatis succorum abstractionem aliqualem Augustanos in suâ præparatione prohibuisse, neutiquam dici queat.

Tandem, quod à succis, peractâ coctione, remanet, nullâ arte Oleis permiscibile esse, animadvertit. Quod si ita foret; cùm tamen hîc de Unguentis, quæ diversam ab Oleis consistentiam habent, agatur, animadversio hæc nihil evincit.

Cæterùm de succorum cum Unguentis permistione in *Examine generali Unguentorum*, quod in *hujus Classis frontispicio* posui, sermo institutus fuit.

De UNGUENTO VIOLATO *pag. 362. animadversiones super Unguentum rosarum* consulere, jubet; quarum igitur *Examen* simul huc trahatur.

Unguentum hoc non in usu esse, addit; sed cui non sit in usu, haud exprimit, Augustanorum in Officinis paratum semper inveniri debet.

UNGUENTI AD VERRUCAS, SEU CARUNCULAS IN MEATU URINARIO NATAS *pag. eâdem* præparationem facilem quidem esse, admittit; ast cavere sibi, hortatur, qui illud adhibiturus est, ne ægrotanti intolerabilem dolorem, præsertim si *oleum vitrioli*, aut *aqua fortis* jungatur, concitet &c. Quidquid hîc profert, præterquam quòd compositionem potius, quàm præparationem medicamenti respiciat, experientia eatenus evertit, quatenus ipsa felicem Unguenti hujus usum, ceu adnexæ Augustanorum animadversiones docent, contra quamvis objectionem defendit.

Unguentum hoc à perito & provido Chirurgo adhibitum, excitare tantum dolorem non valet; siquidem ita adplicandum est, ut carunculam saltem, non alias meatus urinarij partes tangat,

Neque

Neque indiſcriminatim quibusvis, qualibet in meatu urinario carunculâ, laborantibus commendatur; cùm corporum, robuſtiorum, vel infirmiorum, nec non magnitudinis carunculæ &c. ſemper ratio habenda ſit.

Unde Auguſtanos circumſpectè, nempe *pro magnitudine adfectus*, aliquid *olei vitrioli*, vel *aquæ fortis* addendum eſſe, monuiſſe, obſervo.

Si excreſcentiam illam carneam aliis blandioribus remediis facilè tollere poterit Chirurgus, utique malè ad hujusmodi fortiora cathæretica deſcendet. Quam curandi per leniora ſcientiam jam dudum quoque cognitam fuiſſe, notiſſimum eſt.

Si varia in curatione illâ ſuperveniant ſymptomata, illis obviam ire, dexteritas Medici ignorare nequit.

Liceat mihi adducere illud percelebre *Emplaſtrum*, quod recipit *viridis æris, auripigmenti, vitrioli, aluminis rupei ana uncias duas*, cum *aceto acerrimo* in tenuiſſimum pollinem redactas; cujus *unciæ duæ* cum *lithargyri unciis duabus, olei roſati unciis quatuor*, in *Emplaſtri* conſiſtentiam coctis, miſcentur. Hoc validâ erodendi vi non deſtituitur; & tamen tanto cum ſucceſſu adhibitum fuiſſe, conſtat, ut *Amatus Luſitanus centur. 4. curat. 19.* Lernæi & Herculei hujus morbi clavam nominet, quod hymnis multis & laudibus decantari mereatur.

Videantur de eodem *Ambroſ. Paræus lib. 18. operum chirurgic. cap. 23. Hieronym. Fabricius ab Aquapendente lib. 3. oper. chirurgic. cap. 14. Dan. Sennertus Medic. pract. lib. 3. part. 8. ſect. 1. cap. 9.* nec non *Petr. Borellus hiſtor. & obſervat. medico-phyſic. centur. 1. obſ. 19.*

Idem tamen in robuſtis hominibus, ac ruſticis ſaltem admittit *Horatius Augenius epiſtol. & conſultat. medic. tom. 2. lib. 9.*

Si verò mitioribus medicamentis tam grave malum curare novit Zvelferus; cur *Mercurium ſublimatum*, maximè corroſivum, in ulceribus venereis, in gonorrhœâ diuturnâ ac virulentâ curandâ, pro excreſcentiis carneis, laudes ſuas mereri, fatetur?

Ultimum *UNGUENTUM VIRIDE REGINÆ pap. 363.* non minimis abſurditatibus refertum eſſe, arguit.

1. In coctione diuturnâ herbarum odoriferarum & balſamicarum virtutes exhalare, quæque non exhalant, ineptiſſimâ præcipitatione Unguenti in aquam frigidam, poſt peractam coctionem, elui, putat. Verùm inepta ſatis hæc animadverſio eſt. Quis enim Auguſtanorum, diuturnam coctionem inſtituere, deſideravit?

Lenis potius aliqua decoctio intelligitur, ſive una vel altera ebullitio Zvelferiana.

Sed

Sed in unâ ebullitione *exiguum humiditatis fortè prodire*, in reformati hujus Unguenti præparatione, Zvelferus ſcribit. Parum ergo, & quod, exemplo Zvelferi, ſæpius in *Pharmacopœiâ Regiâ* occurrente, non adeo magni eſſe poteſt momenti, coctura illâ perditur.

Abſurdum autem mihi videtur eſſe, ſtatuere, quòd reſidua virtus balſamica Unguenti, dum expreſſum in aquam frigidam effluere permittitur, eluatur; uti enim non negatur, aliquid hoc modo aquæ communicari: ita tamen perpaucum id eſſe, res ipſa comprobat.

2. Ne nimis efficax evadat Unguentum, *oleum* ſimpliciter, non uti *butyrum*, ad eliciendas herbarum vires addi, objicit. Sed neque hæc animadverſio alicujus momenti eſt.

Si *butyrum* herbarum vires ſufficienter jam elicuit, *oleum*, pro ulteriore earum extractione, fruſtrà conjungeretur.

Sed *butyrum* ſufficienter herbas extraxiſſe, ipſius Zvelferi teſtimonio comprobo. *Herbarum* enim hîc poſitarum quantitas continet *Manipulos quinquaginta ſeptem*, quos Manipulos ſi *libræ ſex* in pondere æquare, ponamus, optimè à *libris ſex butyri* extrahi poſſe, tot à Zvelfero in *Pharmacopœiâ Regiâ* adducta Unguenta confirmant; ubi ſæpe major ſpecierum quantitas, quàm *butyri*, vel *axungiarum*, occurrit. Unde ſi ibi ſufficientem extractionem factam fuiſſe, credi debet; cur non & idem in hoc Auguſtanorum Unguento concedatur?

Præterea *oleum olivarum*, propter ſuum lentorem & unctuoſitatem, pro extractione vegetabilium, ſatis aptum menſtruum non eſſe, Zvelferum ſtatuere, ſuperius jam monui.

3. *Maſtichen*, quæ in *oleis* facilè & promtè liqueſcit, pulveriſatam perperam addi, arbitratur. *Maſtichen* in *oleo* promtè diſſolvi, ambabus concedo manibus. Sed pulveriſatam propterea perperam Unguento addi, pernego. Hæc enim pulveriſata *maſtiche* dum additur, utique etiam in Unguento adhuc calente ſolvitur.

Sed quæſo, cur in *Unguento Comitiſſæ adſtringente Pharmacop. Reg. pag. 277. maſtichis pulveriſatæ uncia una & dimidia* additur, atque non prius in *Oleo myrtillorum* ſolvitur?

In *Unguento de lithargyro pag. 282. Pharmacop. Reg.* cuilibet ejus *libræ uni & dimidiæ, maſtiches ſubtiliſsimè pulveriſatæ drachmæ ſex* adjunguntur, nec prius in *Oleo ſambuci*, vel *roſarum* diſſolvuntur. Quare vel hanc animadverſionem, Auguſtanis ſcriptam, Antagoniſtæ deleant, vel eandem dictis Zvelferi ſui Unguentis adnecti, non ægrè ferant.



RESTITUTA
CLASSIS DECIMA OCTAVA,
Emplaſtra explanans.

IN *animadverſionum Claſsis hujus præfatione*, Emplaſtra, & Cerata non niſi conſiſtentiæ ratione inter ſe differre, quorum illa paulò ſolidiora, hæc nonnihil molliora exiſtant, Zvelferus monet. Quod uti eſt tritiſſimum, & à plurimis adnotatum jam fuit: ſic nihil novi hîc edocet, ſed ſcripta potius ſcribit.

Quamvis utraque ſæpius ab Autoribus confundi, certum ſit.

Hoc etiam medicamenti genus utrumque latitudinem non reſpuit; uti ex *Eſthio* notat *Joh. Theod. Schenckius Syntagmat. compon. & praſcrib. medicam. part. ſpec. claſs. 3. ſect. 7. cap. 1.*

Quæ de univerſali determinatione proportionis oleorum ad reliqua ingredientia profert, dum *communiter ad* ℥j. *oleorum* (*præſertim in Ceratis*) ℥iij. *ceræ*, *reſinæ* ℥j, *pulverum* ʒj. ʒjß. & ʒij, ſed vanâ adſertione, deſtinari, ſtatuit, Auguſtanos non tangunt; qui univerſalem illam regulam non tradunt, neque etiam in ullâ ſuorum Emplaſtrorum, ac Ceratorum compoſitione obſervant; utpote, & præparationem, & ingredientia diverſorum Emplaſtrorum, atque Ceratorum maximè inter ſe differre, haud ignorantes.

Quanquam univerſalis hæc Zvelferi adſertio vanitate non careat.

Alij enim jam ante Zvelferum determinationem illam non adeo poſſibilem eſſe, cognoverunt, reque ipsâ confirmarunt, Cerata ſcilicet, & Emplaſtra ex diversâ ingredientium proportione conficientes.

Non poteſt, inquit *Joh. Jacob. Weckerus*, *in omnibus Emplaſtris certus medicamentorum modus pondusq́; præſcribi.* Vid. ejus *Antidotar. general. lib. 1. cap. 37.*

Dan. Sennertus Inſtitut. medic. lib. 5. part. 3. ſect. 3. cap. 36. de Ceratis ſequentia habet: *Proportio autem miſtorum varia eſt, neque facilè definiri & regulis comprehendi poteſt.*

Et

Et *Joh. Schröderus Pharmacop. medico-chim. lib. 2. cap. 53.* proportionem *olei*, *ceræ* &c. in Emplastris exactè definiri non posse, similiter animadvertit.

Imò & illi, qui quantitatem istam *oleorum*, *ceræ* &c. universaliter determinant, non tamen *communiter* illum à Zvelfero propositum modum sequuntur.

Unde *Petr. Morellus method. præscribendi formulas remedior. lib. 2. sect. 1. cap. 11. olei*, *ceræ*, *pulverumq;* proportionem ancipitem admodum apud Autores esse, memorat.

Et cùm, prout Unguentorum, sic & Emplastrorum, ratione consistentiæ, aliqua detur differentia, *Morellus* autem triplicem eam ponat, quatenus nimirum sunt minùs dura, duriora, & durissima, ipse pro *olei* ℥j. ad Emplastrum minùs durum *pulverum* ℥ß, *ceræ* ℥j; ad durius *pulverum* ʒvj, *ceræ* ℥jß; ad durissimum *pulverum* ʒvj. vel ℥j, *ceræ* ℥ij. recipit. Pro Cerati verò compositione, ad *olei* ℥j. *pulverum* ʒj. ʒjß, *ceræ* ℥ß. in *capite præcedente 10.* exigit.

Pariter *Sennertus l. c.* de Ceratis agens talia adducit: *Ita ferè definiri solet analogia mistionis, ut cum ex oleo, cerâ, & resinâ constant, sumatur olei pars* j. *resinæ dimidia, ceræ part.* iij. *Cum verò pulveres adduntur: ut oleorum ad pulveres proportio sit octupla: ad ceram verò tripla, quadrupla, sextupla: & ad resinam, quæ ut tenacius hæreat, addi solet, duodecupla.*

Inter causas verò, ob quas proportio illa determinari nequeat, etiam ponit, quòd *terebinthina*, *resina*, *gummata* &c. modò liquidiora, modò solidiora, & crassa deprehendantur. Quod equidem negari nequit. Ast contra Zvelferi *Pharmacopœjæ Regiæ* Emplastrorum & Ceratorum compositiones militat, in quarum plurimis *terebinthinæ* &c. pondus determinatur, veluti in *Emplastro catagmatico pag. 292. citrino vulgari pag. 293. nervino pag. 296. Ceratis de betonicâ cephalicis pag. 305. 306, ad hernias seu rupturas pag. 306, matricali pag. 307.* videre est.

Verùm ipsa potius Augustanorum Emplastra speciatim perlustrare, adgredior; quorum primum est

EMPLASTRUM ALBUM COCTUM *pag. 365.*, quod paratu difficile esse, Zvelferus objicit; præsertim si pondus præscriptum rerum, ex quibus componitur, strictè observari debeat. Ast paratu hoc difficile esse, etiamsi ingredientium præscriptum pondus strictè observetur, non simpliciter concedo; sed tædiosam quodammodo & laboriosam existere, ob diuturnam lentamque coctionem, qualis, ut albedo ejusdem conservetur requiritur, ambabus largior manibus.

Fundamentum adſerti ſui ex naturâ *ceruſſæ* deſumit, quam rem graviſſimam eſſe, ſcribit, cùm econtra *oleum* reſpectu illius, leve admodum, adeoque, quoad pondus, prorſus improportionatum ſit. Quare convenire, putat, *ut Ceruſſa olei pondus ſuperet, vel ad minimùm adæquet.* Aſt nihil ſolidi hîc deprehendo.

Licet *ceruſſa*, metalli ſui, cujus calx eſt, naturam ſervans, grave ſatis & ponderoſum corpus, econtra *oleum olivarum* leve admodum ſit, ut ita, ſi utriusque molem ſpectes, nulla inter iſta duo ſpectetur proportio; cùm tamen Emplaſtrum hoc non ſolâ & ſimplici miſtione conficiatur, ſed coctio ſimul in ſubſidium vocetur, cujus ope *oleum ceruſſam* adgreditur, eam diſſolvit, cumque ipsâ quaſi coagulatur, & tali modo bonæ conſiſtentiæ Emplaſtrum adquiritur, proportionem convenientem inter illa duo adeſſe, ſatis eluceſcit.

Atque hoc modo parari poſſe Emplaſtrum præſens, Pharmacopœi non ignorant.

Quin eandem etiam difficultatem in præparatione *Emplaſtri triapharmaci*, quo nomine illud notiſſimum *Noribergenſe*, ſive *Ehrnſingerianum Emplaſtrum* inſignit (cùm tamen potius *tetrapharmacum* vocari poſtulet, è quatuor nimirum ingredientibus, *minio*, *aceto roſato*, *oleo roſato*, & *camphorâ* conflatum; cujus magis genuinam deſcriptionem *Diſpenſatorium Noricum claſſ. 2. ſect. 9. pag. 130.* exhibet) *pag. 301. Pharmacop. Reg.* deprehendo.

Minij enim, quod cum *ceruſsâ* pari ferè paſſu ambulat, nam hoc, & illud calx plumbea eſt, *libra una cum dimidiâ* tantùm ponitur, cùm tamen *olei libræ duæ* ipſi accedant. Unde ſimiliter nulla hîc inter utrumque, *calcem plumbeam*, & *oleum*, eſt proportio.

Pariter *ceruſſæ*, atque *olei* idem pondus in præſenti Auguſtanorum *Emplaſtro albo cocto* notari, obſervatur.

Quare ſi in iſto *Emplaſtro triapharmaco*, cocturâ, debita forma obtinetur, eadem etiam in Auguſtanorum Emplaſtro adquiritur.

Porrò *acetum deſtillatum*, pro meliori *ceruſſæ* ſolutione, addendum eſſe, animadvertit. Aſt ſi *acetum deſtillatum* pro meliori ſaltem *ceruſſæ* ſolutione adjungi debet, non alium in finem, meritò expenſis illis in *aceti* comparationem, deſtillationemque faciendis, carere poſſumus; quia *calces plumbeæ* non adeo difficilis in *oleo* ſunt ſolutionis.

Hanc *ceruſſæ* in *oleo* diſſolutionem nec ipſe Zvelferus negare potuit, utpote qui in ſequentis *Ulmenſis Emplaſtri animadverſionib.* talia profert: *Ceruſſa per coctionem in oleo diſſoluta.* Si itaque per ſe in *oleo* ſolvitur, *aceti* additionem non adeo neceſſariam eſſe, videtur.

Aſt

Aſt dum qua ratione addendum ſit *acetum deſtillatum*, & qua in quantitate, non edocet, animadverſione dignus eſt; cùm in utroque facilè error à minùs exercitato Pharmacopœo committi queat.

Interea ſi quis modum in *Pharmacop. Reg. pag. 291.* circa *Emplaſtrum*, quod etiam *Albi coſti* nomen gerit, obſervet, is certè non benè rem expediet.

Namque *Aceti ſambucini libram unam & dimidiam* eidem *Ceruſſæ Venetæ* quantitati, cum *Olei ſambuci libris duabus* miſtæ, pro illius exactiori ſolutione, inter coquendum, eſſe infundendam, à Zvelfero notatur. Nunc ſi *Aceti* iſtius *ſambucini* naturam perluſtremus, non minimam ejus partem unà cum *florum ſambuci* odoratis atomis, ſtudioſâ deſtillatione prius ſeparatis, in auras migrare, deprehendemus.

Acetorum enim medicinalium è floribus præparationem, quam veram, legitimam, & dextram adpellat, *pag. 213. Pharmacop. Reg.* traditurus, *acetum vini* floribus recentibus adfundere, & deſtillando iterum abſtrahere, docet; cui deinde novos recentes flores injicit, atque, poſt aliquot dierum infuſionem, *acetum* hoc colat, filtrat, ſicque uſui reſervat.

Verùm quia *acetum* illud ſpirituoſum eſt, ac *oleo*, dum hoc cum *ceruſſâ* coquitur, infunditur, id ſanè, calorem ſentiens, facilè avolat, aliquâ ſaltem ſui parte relictâ, quæ *ceruſſam* corroſit.

Non enim poſſibile eſt, ut omnes *aceti* atomi acidæ ſic protinus cum *oleo*, & *ceruſſâ* diſgregentur, ut omnes in *ceruſſam* agere poſſint; hinc neceſſariò earum aliquæ, antequam dictam calcem invadere queant, in auras fugiunt.

Unde potius *ceruſſæ*, antequam *oleo* admiſceatur, cum *aceto* illo repetitam lentam imprægnationem à Zvelfero, qui exiguam etiam ſubtilium partium jacturam Auguſtanis exprobrat, commendari debuiſſe, ubi nimirum acidæ iſtæ atomi non æquè avolant, autumo.

Præterea vel *ſimplex acetum deſtillatum* negotio huic ſufficeret; cùm enim *flores ſambuci* illis plantis ab ipſo Zvelfero *pag. 330. animadverſ.* adnumerentur, quæ ſulphureæ ſunt, tenuiumque partium, atque ita levi etiam coctione easdem amittunt, nihil ſanè ab odoratis iſtis, tenuibusve partibus, ob diuturnam in Emplaſtro hoc coctionem, in qua ſcilicet tanta *aceti* phlegmaticæ partis evaporatio quæritur, ſupereſſe poteſt.

Hinc jam adparet, quàm benè Zvelferus obſervet id, quod *pag. cit.* adduxit, ſcribens: *Eò namque tum ego ipſe ſemper aſpiravi, & meritò quivis Medicus in præſcribendis medicamentorum generibus in id unicè attentus eſſe deberet, ut in unoquoque compoſito ſingulorum ingredientium vires & virtutes integras conſervaret, nec easdem inutiliter perderet.*

Accedit

Accedit insuper, quòd Zvelferus in isto suo *Emplastro albo cocto*, *acetum sambucinum* ideo infundendum esse, notet, ut *exactior cerussæ dissolutio* fiat. Sed in *sambuci floribus* non reperitur illa *cerussam* corrodendi potentia; quinimo illi ipsi flores *acetum* jam impraegnarunt, atque ita ad *cerussæ* dissolutionem inhabile quodammodo, juxta Zvelferi quidem mentem, reddiderunt. Unde *acetum simpliciter destillatum* huic utique præferendum esse, si *aceti destillati*, pro hoc negotio, additio strictè expetatur, meritò statuere quis posset.

Pluribus hac de materiâ in *Examine Unguentorum alborum* actum fuit, quæ facilè præsenti quoque *Emplastro albo cocto* adplicari à quovis possunt.

Sal, licet, quod nonnullis usitatum esse, Zvelferus notat, addi queat, adjungere, necessarium non esse, ex eodem fundamento, quo *aceti* additio necessaria negatur, evincitur; scilicet sine *salis* accessu *cerussa* etiam in *oleo* dissolvitur, atque Emplastrum diligenter paratum albicat.

EMPLASTRUM D. D. ULMENSIUM *pag. 366.* illo antecedente paratu facilius existere, animadvertit, cùm candor in eo non expetatur. Sic est, non tantum temporis ad hujus præparationem requiritur, cùm violentiori igne conficiatur, citiusque in *oleo cerussa* hac ratione dissolvatur, & ad consistentiam debitam perducatur. Quo respectu facilior utique præparatio ejus dici potest. Sed nihil hoc contra Augustanos concludit.

De additione *ceræ* quæ profert, ipse quoque existimo, peritiores Pharmacopœos huic, aliisque Emplastris *ceram* admiscendi tempus, modumque non latere.

Emplastris his *mastichen*, & *thus* subtilissimè trita, nec non *camphoram*, in *olei* particulâ dissolutam, conjungi posse, Medici minimè ignorant, qui non solùm has, sed & diversas alias species, pro diversitate indicantium &c. commisceri posse, cognitum habent. Sed hæc & similia ad medicamentorum præparationem non spectant.

In EMPLASTRO APOSTOLICO NICOLAI ALEXANDRINI *pag. eâdem* cùm ingredientia ejus saltem ab Augustanis ponantur, nullâ præparationis factâ mentione; proinde necessum esse, ducit Zvelferus, ut dextrum ejus parandi modum subnectat. Quod propositum equidem tantopere impugnare, nolo. Peritus tamen Pharmacopœus dextram ejusdem confectionem ipse non ignorat.

Interea dexter ille Zvelferi modus aliquid sinistri quoque continet, si vel *animadversiones antecedentis Emplastri albi* excutiantur, dum *lithargyrum*, quod calcem plumbeam esse, neminem latet, cum solo *oleo* coquit, sicque dissol-

dissolvere illud, conatur, qui tamen *aceti* accessum aliàs necessarium ducit. Prout etiam in *Unguento Apostolorum Avicennæ, pag. 339. animadversionum, lithargyrum*, addito *aceto forti*, quod nempe Augustani ibidem non observarunt, coquendum esse, studiosè monet.

Plura etiam in præparatione illâ mutari variè possent, v. g. si ista *galbani uncia una* non in *aceto*, sed in *terebinthinæ unciâ unâ & dimidiâ*, quæ pariter ad Emplastrum hoc requiritur, dissolveretur.

Quod utique præstaret, si *animadversionibus, in Unguentum de althæâ compositum Nicolai pag. 338.* scriptis, fides sit habenda; ubi sequentia habentur: *Galbanum si purum totaliter in terebinthinâ liquefit & dissolvitur, quod tùm faciliori negotio postmodùm oleis commisceri potest, quàm si vino vel aceto dissolutum esset.* Quare etiam *galbani*, & *gummi hederæ* causâ, pondus *terebinthinæ* ad *uncias duas* adauget, sic ut cuilibet *unciæ gummi, uncia una terebinthinæ* respondeat.

Quanquam in tantum propterea pondus *terebinthinæ* augere, opus ibidem haud fuerit; cùm istarum superadditarum *duarum unciarum* loco, *drachmæ quinque* vel *sex* sufficissent; quia *gummatum uncias novem* in *sex terebinthinæ unciis* liquari posse, *pag. 378. animadvers. in Emplastrum magneticum Angeli Salæ*, exemplum Zvelferus suppeditat.

In nostro verò, de quo jam agimus, Emplastro *terebinthinæ* quantitatem augere, non opus est, cùm ejus *uncia una cum dimidiâ, galbani unciæ uni* respondeat.

Pariter etiam *myrrha* in *terebinthinâ* solvi requireret. Nam, sic Zvelferi verba *pag. 350. animadvers. in Unguentum Martiatum Nicolai* sonant: *Licet Myrrha in vino vel aceto nonnihil dissolvi aut dilui queat, non tamen hæc tam genuina solutio est, quàm si in Terebinthinâ solvatur vel liquefiat, utpote quæ tùm deinceps oleis &c. facillimè commisceri potest; secus evenit, si cum vino vel aceto diluta sit.* Idcirco etiam huic scopo ut satisfaciat, compositioni prædictæ, per se satis prolixæ, *terebinthinam*, quæ aliàs Unguentum istud non ingreditur, admiscet, ac ita, licet aliàs in medicamentis compositis ingredientium cumulationem detestetur, compositionem adhuc prolixiorem efficit, saltem, ut *myrrham* tali modo solvere possit. Quapropter si tam necessaria est illa solutio, eandem, & quidem majori jure, in hoc quoque Emplastro observare debuisset.

Imò non tantùm *galbanum*, cum *myrrhâ*, sed quoque *ammoniacum*, & *sarcocollam*, quorum omnium pondus si conjungatur, *uncias tres, drachmas sex* ea pendere, deprehenditur, in *terebinthinâ* dissolvere potuisset, *acetiq;* additione opus ipsi minimè fuisset, si duntaxat præscriptis *terebinthinæ*

unciæ

unciæ uni & dimidiæ unciam unam, ex fundamento, ſuperiùs in *animadverſionibus Emplaſtri magnetici* monſtrato, adjeciſſet, nec ita quidem duplicato ejus pondere opus habuiſſet.

Bdellium in *aquâ plantaginis* ſolutum addit; ſed non adeo prudenter. Aqua enim iſta ſi non tota, majori tamen ex parte in ſubſequente præparatione iterum exhalat, ſicque expenſæ, quas aliàs præcavere velle, videtur, in ejus deſtillationem fruſtrà factæ fuerunt.

Bdellium quoque in quacunque *aquâ ſimplici*, eâdem facilitate, diſſolvi poſſet; & ita exhalatio ejus nullum Pharmacopœo damnum inferret.

Ut jam non repetam, quòd Zvelferus vegetabilia, adſtringendi virtute prædita, deſtillationibus, quales ſimilium aquarum ſunt, ineptas reputet.

Imò *bdellij* ſolutio planè omitti, atque ipſum ſaltem in pulverem redactum, unà cum aliis pulveribus, adjici potuiſſet; quod etiam Zvelferus in *Unguenti Apoſtolorum* præparatione, *pag. 339. animadverſ.* obſervavit, videlicet *bdellium* in formâ pulveris ſubtiliſſimi adjiciens.

Maſtichen reliquis pulveribus adjungit, ſicque alternatim inſpergendo, cæteris commiſcet. Aſt neque hîc animadverſionibus ſuis prioribus conformem ſe præbet.

Potuiſſet enim *maſtiche* cum *cerâ*, *colophoniâ*, & *terebinthinâ* in *oleo* liquari.

Namque pulveriſatam eam perperam addi, ex *pag. 363. animadverſ. in Unguentum viride Reginæ* venari licet, ubi Zvelferus talia fatur: *Maſtix* (maſtiche) *etiam, quæ in oleis facilè & promptè liquefit, pulveriſata non minùs perperam additur.*

Unde etiam *pag. 344. animadverſ. in Unguentum Comitiſſæ*, *maſtichen*, & *ceram* in *oleis* liquat, tum demum pulveres inſpergens; & *pag. 345. animadverſ. in Unguentum fuſcum Nicolai*, *maſtichen* unà cum *cerâ*, *pice*, & *terebinthinâ* in *oleo* liquat, eandem cum *thuris* pulvere non adjiciens.

Sed ſatis de hoc; ex quo Lector Benevolus etiam cognoſcit, quòd in citatis Unguentis Zvelferus multa, ratione diſſolutionis gummatum, contra Auguſtanos ſcribat, quæ tamen ipſe poſtea non obſervat.

Sequentia jam quatuor Emplaſtra paratu facillima eſſe, monet.

Horum primi, videlicet EMPLASTRI DE BACCIS LAURI *pag. 368.* præparationem adnectit, quæ tamen cùm ab Auguſtanis generaliter ſaltem indicata fuerit, atque à Pharmacopœo perito, præcipuè quia facillima eſt, non ignoretur, miſſam eam facio.

EMPLASTRUM BASILICUM MAIUS MESUES pag. eâdem nullo ferè indigere *oleo*, animadvertit; cùm ejus ſpecies ingredientes

entes etiam fine ipſo commixtæ, mollioris conſiſtentiæ Emplaſtrum conſtituant. Sed Emplaſtrum hoc, inuſitatorum cenſum aliàs ingrediens, aliquid *olei* ferre poſſe, non planè negari debet; cùm non una eademque omnium Emplaſtrorum ſit conſiſtentia, ſed nonnulla molliora, duriora alia exiſtant; quo de circa principium *Examinis Claſsis hujus* actum fuit.

Accedit quoque, quòd, *terebinthinam*, *reſinam*, *gummata* &c. modò liquidiora, modò ſolidiora & craſſa deprehendi, Zvelferus in *præfatione animadverſ. ad hanc Claſſem* monuerit. Quæ recenſita ſimplicia huic quoque Emplaſtro deſtinantur. Unde ſi eadem ſolidiora & craſſa fuerint, cur *olei* particulam ferre nequeant, haud video, imprimis dum Auguſtani pondus *olei* non exprimunt, ſed tantum, *quantum ſufficit*, ſumendum eſſe, volunt, ſicque *olei* pondus, ob diverſitatem ſpecierum ingredientium, Zvelferi ad mentem, non determinant.

Illud etiam paucum *oleum* ad Emplaſtri malaxationem adhiberi poteſt.

Quæ de *cerâ citrinâ*, videlicet quòd ea *albæ* præferenda ſit, adducit, Emplaſtri hujus præparationem non concernunt.

Ejus verò quantitatem, quò nonnihil de *oleo* addi poſſit, augendam eſſe, usque adeo concedi haud debet, tum quòd neceſſarium minimè hoc eſſe, ex modò dictis eluceſcat, tum quòd *cera*, & *oleum* huc, ad formam Emplaſtri obtinendam, non propriè ob ſingulares aliquas virtutes medicas, ferè ſaltem accerſantur; quo reſpectu, ſi absque *olei* ope Emplaſtrum hoc debitè parare ſe poſſe, Pharmacopœus intelligeret, *ceræ* quantitatem adaugere, ut parum *olei* addere queat, neutiquam tenetur.

Idem etiam in *EMPLASTRO BASILICO MINORI MESUES pag. eâdem* obſervari debet.

EMPLASTRUM E LAPIDE CALAMINARI pag. eâdem, ſi juxta modum ab Auguſtanis præſcriptum paretur, durioris Unguenti, non verò Emplaſtri conſiſtentiam adquirere, objicit; idcirco vel *ceræ* quantitatem notabiliter augendam, vel *lithargyri* ponderi *unciæ dimidiæ* adſignatæ adhuc *duas uncias* conjungendas eſſe, arbitratur. Aſt neutrum horum opus eſſe, qui Emplaſtrum hoc diligenter paraturus eſt, cognoſcet.

EMPLASTRUM CATAGMATICUM, SEU AD FRACTURAS OSSIUM D.D. RENODÆI *pag. 369.* ſecundùm præſcriptam formulam præparatum, non Emplaſtri, nec Unguenti formam impetraturum, objicit; *ſed neſcio* (ſic cavillatur Zvelferus,) *cujus medicamenti mirabilem acquiret conſiſtentiam, cùm illa principio & fine careat, omniq; ordine ac debitâ componendi ratione.* Aſt non adeo hæc animadverſio inconcinna ſano judicio placere poteſt; cùm tradita hîc ab Auguſtanis præparatio

ratio utique principium, *radicum* nimirum *ſymphyti majoris*, *althææ*, *viſci querni*, *plantaginis* &c. in æqualibus *vini nigri*, & *aquæ fabrorum* partibus, decoctionem habeat; nec fine, qui illis verbis: *Fiat lege artis Emplaſtrum*, indigitatur, careat.

Nec ſanè ullam rationem video, ob quam Auguſtanorum præparandi modus, non Emplaſtri, ſed mirabilem aliam conſiſtentiam producat?

Siquidem *radicum ſymphyti*, *althææ* &c. cocturam ritè ſe habere, non eſt dubium; quod decoctum *mucilagini ſeminis cydoniorum oleisq́* miſtum, & ad humiditatis aquoſæ exhalationem coctum, cum *lithargyro* dein, *gummatibus*, & tandem *pulveribus* unire, atque ita, *lege artis*, Emplaſtrum conficere, peritus Pharmacopœus haud ignorat.

Quare, Emplaſtri hujus dextram elaborationem, ex præſcriptâ Auguſtanorum formulâ adgredi, qui Pharmacopœi neſciunt, minùs exercitati ſint, neceſſe eſt, & qui munere illo vix digni exiſtunt.

Atque his vel modum à Zvelfero præſcriptum commendo; vel ut artem meliùs addiſcant, conſulendum ipſis eſſe, arbitror.

Hinc ignorantia conficiendi Emplaſtra, ſi eorum compoſitione ritè ſe habente, præparatio vulgari illo: *Fiat ſecundùm artem*, ſaltem indigitetur, non Medico, ſed Pharmacopœo potius, ſecus ac velle videtur Zvelferus *pag. 47. Append. animadverſ.* imputanda eſt.

Et Medici nonnulli, officio ſuo ſe ſatisfeciſſe, meritò arbitrantur, dicta verba formulis adſcribentes; nec authoritatem ſuam miniſtris pharmacopœis proſtituunt; qui ſi probè calleant artem, illud *ſecundùm artem conficere*, jam ſatis intelligunt, præſcriptamq́ue prolixam conficiendi formulam non neceſſariam, ſed ſuperfluam eſſe, ducunt. Sin rudes in conficiendis medicamentis exiſtant, indigni ſunt, quibus officium illud concredatur. Et ſimilibus Auguſtani non, ſed illis potius, tam magni momenti ſpartam adſignant.

EMPLASTRI CERONEI NICOLAI pag. 370. præparationem optimè quidem inceptam, aſt peſſimè & perquam ſtupidè finitam eſſe, convitiatur; ſed in quo tanta conſiſtat labes, clarè non exprimit.

Licet etenim alium præparandi modum adnectat, ipſe tamen Auguſtanorum illum neutiquam tollit, aut erroneum eſſe, evincit; in quo nimirum *ſagapenum*, *galbanum*, *opopanax*, & *ammoniacum* ad pultis formam ſolvuntur cum *vino*, cujus mediâ parte bulliendo conſumtâ, *pix navalis*, dein *cera*, poſtmodum *colophonia*, & *ſtyrax* cum iisdem liquantur; poſtea *maſtiche*, *olibanum*, *myrrha*, *bdellium*, *terebinthinam*, *alumen*, *lithargyrum*, *fænugræcum* ordine conjunguntur, & maſſa iſta in aquam frigidam effunditur;

cui,

cui, aquâ expressâ, *aloë* pulverisata additur, atque peractâ super marmor, *oleo laurino* inunctum, malaxatione, *crocus* pulverisatus adjungitur, manibusque, *oleo laurino* inunctis, magdaleones efformantur.

Ubi certè nihil animadversione tam acerbâ dignum reperio, nisi fortè massæ in aquam frigidam effusioni eadem scripta fuerit. Quam equidem omitti posse, non ibo inficias; interea tamen cur adeo insolenti calamo perstringi debeat, nulla alicujus momenti causa subest.

Sed Emplastrum hoc minùs usitatorum numero cùm insertum sit, de eo pluribus agere, supervacaneum esset.

De EMPLASTRO CITRINO VULGARI *pag. 371.* cùm id paratu sit facillimum, non est sollicitus Zvelferus.

DIACHYLON SIMPLEX SIVE ALBUM MESUES *pag. eàdem* parem diligentiam, quam *Album coctum*, efflagitare, monet, cùm albedo in eo valdopere probetur. Verùm animadversio hæc superflua est. Si enim Augustanorum ad normam diligenter paretur, desideratam albedinem ipsum adquirit.

Interea Zvelferus, *animadversiones* suas, *super Emplastrum album coctum* conscriptas, unà huc trahendas esse, atque secundùm eas Emplastri hujus præparationem commodè institui posse, scribit. Sed dum ibi *cerussæ* pondus *olei* ponderi respondere, & *acetum destillatum*, pro meliori *cerussæ* dissolutione, addi debere, animadvertit, (quod tamen necessarium haud esse, in Examine ejusdem, propugnavi) eo ipso minùs ritè *Diachyli sui simplicis, pag. 293. Pharmacop. Reg.* descripti, se tradidisse præparationem, comprobat. *Lithargyrum* namque, cujus hìc eadem, atque *cerussæ*, ratio est, cum solâ *axungià porcinà*, absque *aceti destillati* accessione, dissolvere tentat; præterea *lithargyri libris tribus*, *axungiæ porcinæ recentis libras quatuor* destinat; cùm tamen *lithargyrum*, uti *cerussa*, res sit gravissima, *axungia* verò, respectu illius, levis admodum, adeoque quoad pondus prorsus improportionata.

Mucilagines illud ingredientes, cum *lixivio*, quod nonnullis Pharmacopœis usitatum commendat Zvelferus, extrahi quidem possunt, sed adeo necessarium haud est.

Et quia Emplastrum hoc ad vulnera quoque & ulcera consolidanda adhibetur, mirari subit animum, quòd Zvelferus, ob acrem ejus vim, *lixivij*, & quidem, uti in *citato Diachylo suo* habet, *fortis*, additionem non improbet; qui aliàs acria in consimilibus casibus eradicare, contra Augustanos, sustinet.

Aliquos, pro *oleo*, *axungiam porcinam* substituere, pariter notat; quos

& ipſe in *modò nominato ſuo Diachylo ſimplici* ſequitur. Per me id imitari, vel negligere licet.

Siquidem variè medicamentum aliquod, etiam ratione ingredientium, mutari facilè poſſe, ecquis eſt, qui neſciat?

Auguſtani illum à ſe traditum modum cum emolumento obſervant, & porrò obſervabunt.

In *DIACHYLI COMPOSITI, SEU EMPLASTRI DE MUCILAGINIBUS DICTI pag. 372.* præparatione neceſſum eſſe, ducit, ut *mucilagines* cum *oleis* ad totalem humiditatis conſumtionem coquantur. Aſt quid hìc agendum ſit, aliaque ſimilia, Pharmacopœus peritus, ut iterum hoc inculcem, jam ipſe novit, qui nimirum *ſecundùm artem* Emplaſtrum hoc conficere, didicit.

Sed *mucilagines* cum *oleis* ad humiditatis totalem conſumtionem coquere, *oleumq́;* coctum colare, vel à craſſamento, à *mucilaginibus* relicto, ſeparare, dum præcipit Zvelferus, eo ipſo parùm benè procedit; quia dum *mucilagines* totæ iterum ſeparantur, non tantùm *radices althææ, ſemen lini, cortices medianos ulmi,* ac *fænugræcum* inutiliter perdit, verùm etiam laborem, extractioni *mucilaginum*, earumque cum *oleis* coctioni impenſum, irritum reddit, nec non *oleorum chamæmeli, liliorum alborum,* & *anethi* ſpirituoſas partes exhalare, improvidus cogit.

Hanc tamen meam objectionem non alio, niſi Zvelferi fundamento niti, volo, quod *pag. 44. Append. animadverſ.* ſtruxit, ſic ſcribens: *Succi vegetabilium tanquam aquoſi nullo unquam cum oleis conſortio connectuntur, ut vel centies invicem commixta, denuò naturâ ſuâ ſegregentur, nullâque omninò arte ita commiſceri aut uniri poſſint per ſe, ut per minima commixta maneant, undè nemo in eam opinionem deſcendat, aut ſibi perſuadeat, ſuccorum virtutes medicinales, in olea transmigrare, illisq́; dextrè communicari, quid? quòd licet invicem, olea ſcilicet & ſucci coquantur ad totalem ſuccorum & humiditatis exhalationem, ut aliàs moris eſt, nihilominus evidens fit ſeparatio olei à ſucco inſpiſſato* &c. *Mucilagines* autem cùm nihil aliud ſint, quàm ſucci vegetabilium, *radicum althææ* &c. pariter in prædictâ *oleorum* coctione ſegregabuntur; quos inſpiſſatos & ſegregatos ſuccos, à Zvelfero nomine craſſamenti à mucilaginibus relicti, donatos, ab *oleis* ſeparare, Zvelferus ſiniſtrè ſatis jubet.

Gummata quidem Emplaſtro commiſceri poſſe, inſuper notat, *aceto & vino* prius diluta; melius tamen eſſe, judicat, eadem in *terebinthinâ* diſſolvere, quia conſiſtentia mollior alioquin evadit, quàm pro Emplaſtro exigitur. Quo ipſo dicam Auguſtanis ſcribit, qui in præſenti Emplaſtro *gummata in vino optimo* diſſolvere, præcipiunt. Aſt uti non nego, *terebinthi-*

nam

nam negotio huic inservire posse: ita vicissim Augustani culpari haud merentur.

Exigua enim ad hanc dissolutionem, quæ nempe si ad pultis formam fiat, sufficit, *vini* quantitas requiritur, quæ ideo consistentiam Emplastri tantopere immutare nequit; præcipuè cùm Emplastrorum, ratione consistentiæ, latitudo aliqua detur, & si fortè *vinum* abundet, illud coctione iterum separari, sicque debita forma obtineri possit. Licet verò hac ratione partes aliquæ spirituosæ in auras abeant, tam magni tamen momenti eæ haud sunt, quia non nisi perpaucæ esse queunt.

Ubi etiam illorum, quæ in *Examine animadvers. Emplastri Apostolici*, circa *gummatum* in *terebinthinâ* dissolutionem, notavi, Lector Amicus recordetur.

Sequitur nunc *DIACHYLON MAGNUM MESUES pag. 372.* cujus animadversiones sic exorditur: *Equidem multò consultius esset, hanc & similes compositiones ex Dispensatoriis elidere, quàm corrigere.* Cur verò tam malignam censuram compositio præsens mereatur, dum non exprimit, de eâ judicium ferre nequeo.

Nihilominus eandem omittere, quòd consultius fuisset Zvelfero, arbitror.

Quippe medicamentum præsens, vel ob compositionem, vel præparationem, elidi requirit.

Ob compositionem autem, Zvelferi animadversiones respuit, cùm ipse in præparationes saltem animadvertere, sibi proposuerit.

Præparatio verò nullum præ se fert errorem, utpote quam *secundùm artem* fieri debere, ab Augustanis generaliter innuitur; quod artificium Pharmacopœus peritus minimè ignorat, cui videlicet labor hic demandatur.

Plura de Emplastro hoc addere, necessarium haud existit, quod jamdudum ex Augustanorum Officinis remotum fuit.

In *DIACHYLO PARVO MESUES pag. 373.* pondus *lithargyri* ad *unciam unam vel alteram* augeri debere, animadvertit. Hoc quidem fieri posse, non nego; ast fieri debere, quilibet, qui secundùm præscriptam methodum paraturus illud est, negabit.

DIACHYLON CUM GUMMIS VIGONIS *pag. eâdem* difficultates nonnullas implicare, putat. Si enim 1. ad *uncias viginti sex & dimidiam oleorum, libram dimidiam sevi vitulini*, nec non *terebinthinæ unciam unam cum dimidiâ, ceræ* quantitas sufficiens, ad Emplastra aliàs à Medicis determinata, tandem addi deberet, ejus vix *novem libras* sufficere, objicit. *Ast hæc quantitas*, sic pergit Zvelferus, *ceræ nimiùm excederet proportionem ingre-*

dientium

dientium reliquorum. Quare *lithargyri* quantitatem, respectu aliorum ultra modum diminutam, necessariò adaugendam esse, concludit, atque in formulâ *drachmis* ejus *decem*, *libram unam cum dimidiâ* postea substituit. Sed animadversio hæc difficultates nonnullas implicat.

Nam posito, *novem ceræ libras*, vel majorem etiam ejus quantitatem, sumi debere, cùm *cera* tantùm consistentiam requisitam inducendi causâ adjungatur; licet, reliquorum ingredientium respectu, ejus dupla, tripla, vel quadrupla dosis sumatur, propterea errorem committi, dicere minimè licet.

Aliàs & Zvelferus periculo huic subesset, si v. g. *aquæ* magnam quantitatem pro aliquibus ejus medicamentis, ut ipsis forma liquida inducatur, præscribi, notetur, in quibus sanè quantitas *aquæ* nimiùm excedit proportionem ingredientium reliquorum; ceu illud *Pharmacop. Reg. pag. 87. Decoctum contra calculum nephriticum*, & *pag. 88. Decoctum contra dysenteriam*, in quo *aquæ libræ octo*, *specierum libra dimidia & drachmis sex cum semisse* destinantur. In præsentis Emplastri descriptione, præter *ceræ* à Zvelfero denotatas *libras novem*, aliorum ingredientium quantitatem ultra *libras quatuor, duasq; uncias* adesse, conspicitur, quæ partim substantiâ suâ integrâ, partim meliori sui parte extractâ illud ingrediuntur.

Lithargyri quantitatem, respectu aliorum, ultra modum diminutam esse, negatur.

Minor quidem ea est, intuitu *radicum althææ*, *iridis*, nec non *oleorum chamameli &c. pinguedinum*, *terebinthinæ*, & *sevi vitulini*, ast æqualis, respectu *olei amygdalorum dulcium*, *æsypi*, & *succi glycyrrhizæ*; imò major, respectu *seminum lini*, *fœnugræci*, *malvæ*, *althææ*, *cydoniorum*, & *psyllij*, *sagapeni*, *opopanacis*, *bdellij*, *galbani*, atque *ammoniaci*.

Potiori ergo jure de ultimò recensitorum aliquo Zvelferus dicere potuisset, quòd quantitas ejus, respectu aliorum, etiam *lithargyri*, ultra modum diminuta sit.

Denominatum tamen *lithargyri* pondus non necessariò adaugendum esse, ex antedictis elucescit.

2. Pro *succo glycyrrhizæ nigro*, *fortissimum radicis liquiritiæ decoctum* substitui posse, opinatur, ne Emplastrum à succo illo, colore nigro imbuatur. Decoctum tale posse substitui succo, equidem non nego. Ast Emplastrum hoc neque ut notabilem albedinem præ se ferat, expetitur, neque à succo addito nigredine imbui, illud præparantes observant. Non quidem admodum albescit tali modo paratum, sed quoque non nigrescit.

Cæterùm si eadem *decocti radicum glycyrrhizæ* quantitas, quæ scilicet, post debitam, ad extracti spissi consistentiam, inspissationem, pondere

drachmas

drachmas decem, quot ſcilicet *drachmæ ſucci glycyrrhizæ* ab Auguſtanis præſcribuntur, adæquat, ſumatur, Emplaſtrum hoc eodem colore, quo, ſi cum ipſo ſucco paratum eſſet, imbuetur. Siquidem decoctum radicum illarum inſpiſſatum parem cum ſucco nigredinem præ ſe fert; nec certè inter utrumque usque adeo magna eſt differentia.

Imò majorem nigredinem, à Zvelferi decocto, Emplaſtro præſenti induci, neceſſe eſt; quia præſcriptæ à Zvelfero *radicum liquiritiæ libræ dimidiæ* decoctum, ſi cum ſufficiente aquæ quantitate radices decoctæ, earundemque omnes vires extractæ fuerint, ad ſucci debitam conſiſtentiam evaporatum, ſive, uti Zvelferus hîc præcipit, ad conſumtionem humiditatis coctum, *drachmas decem* in pondere longè ſuperat, ſicque Zvelferus aliorum reformare & dealbare Emplaſtrum cupiens, ſe, propriumque ſuum Emplaſtrum inſigniter reformat, multoque magis denigrat.

Interea ob externum tale aliquod, & ad medendum nil conferens accidens, medicamenti alicujus compoſitionem immutare, minimè decuit; præcipuè quia non tam ad medicamenti pulchritudinem (ſi tamen aliqualis hîc ſperanda eſt) ſed potius ad ejusdem efficaciam reſpiciendum eſſe, alibi Zvelferus clamitat.

Infringitur autem Emplaſtri efficacia, ſi pro minori nigredine conciliandâ, minor *liquiritiæ* quantitas recipiatur.

EMPLASTRO DE CRUSTA PANIS MONTAGNANÆ *pag. 374.* præterquam quòd vitium typographicum ſubeſſe, ſuſpicetur, id quod ex falsâ ipſius conſtructione colligit, inſuper etiam nonnulla fruſtrà addita eſſe, omnino exiſtimat Zvelferus, ex. gr. *coralia alba*, *rubra*, & *ſpodium*, utpote quæ externè adplicata, præſertim *ſpodium*, tanquam res emortuæ, ventriculum haud roborent. Utique vitium typographicum ſubeſt, ratione locationis ingredientium, quæ tali modo fieri debuiſſet:

Rec. Olei de maſtiche,
cydoniorum,
Terebinthinæ,
Ceræ ana unciam unam.

Non minùs etiam *coralia*, & *ſpodium* hoc in Emplaſtro omitti poſſe, arbitror, cùm tali modo adplicata virtutem ſuam, qua ventriculum roborare dicuntur, exſerere vix queant.

Quanquam propterea non mox res emortuæ dicendæ ſint.

Poſſe quoque plures alias Emplaſtrorum ſtomachicorum formulas præſcribi, nemo eſt, qui dubitat. Interea illud Auguſtanorum, à *Montagnanâ* mutuatum, ſuam pariter laudem meretur.

EM-

EMPLASTRI DE FULIGINE *pag. 375.* præparatio licet non adeo difficilis sit, nosse tamen se non paucos, scribit Zvelferus, qui illud dextrè conficere ignorant. Quare illorum in gratiam, dilucidiorem & faciliorem ejus præparandi modum adponit. Quod monitum Augustanos non tangit, qui præparationem ejus artifici commendant, cui ingredientia ista ritè miscere, atque ita in debitam Emplastri formam adunire, utique non est difficile.

Illos, qui talia, non adeo difficilia, conficere ignorant, parùm æstimant; quin, ut Zvelferus eosdem informet, libenter permittunt.

EMPLASTRUM GRYSEUM DE LAPIDE CALAMINARI *pag. 376.* nullâ ratione artificiosiùs, quàm simplici misturâ confici posse, animadvertit. In quo iterum nihil, quod contra Augustanos militat, adducit, qui *secundùm artem* conficere hoc Emplastrum, præcipiunt. Pharmacopœus autem artis suæ peritus ipse, ex ingredientium consideratione, non coctionem hîc requiri, sed debitam solùm nonnullorum liquationem, simplicemque mixtionem, cognoscit.

In EMPLASTRO AD HYDROPEM *pag. eàdem* nihil animadvertit, sed genuinam tantùm ejus præparationem producere, conatur; in cujus tamen delineatione, præter ipsam præparationem, compositionem quoque reformat, dum nonnullorum ingredientium pondus adauget, nonnulla verò planè (an præmeditatè, vel ex negligentiâ? me latet) omittit.

Alium autem addere confectionis modum, tam necessarium haud fuit, cùm ille ab Augustanis adsignatus suo stet valore.

Et quamvis ipsi *baccas lauri, anethum, floresq́ chamameli* coctioni, unà cum *stercore columbino, sulphure* &c. submittant, in qua partes earum aliquas oleosas petere auras, negari nequit, omnes tamen haud avolant, sed parva saltem earum pars deperditur.

Ipse etiam Zvelferus in commendatâ à se, circa præparationis finem, unâ vel alterâ ebullitione, earum aliquas in aërem dimittit.

Augustani justæ consistentiæ Emplastrum adquirunt, dummodo ad debitam spissitudinem decoctio fiat. Zvelferus verò *potiùs Cataplasma* parare, uti ipse fatetur, docet.

Circa EMPLASTRUM ISCHIADICUM *pag. eàdem* similiter aliud quid non occurrit, quàm quòd Zvelferus illud solùm conficere, edoceat, dosin interim *fermenti*, quam, ut & *olei lini*, non determinant Augustani, (qui tantum sumendum esse, volunt, *quantum satis* est) exprimens; reliquorum verò ingredientium omnium, excepto *castorio*, pondus (fortè, ut aliquid

aliquid contulisse videatur,) duplicans, & Emplastrum indè confectum, accedente etiam unâ vel alterâ ebullitione, Cataplasmatis nomine similiter insigniens.

Augustani verò efficax hoc suum Emplastrum, solâ ingredientium in mortario calido incorporatione, diligentique permixtione, conficere norunt.

In EMPLASTRO MAGNETICO ANGELI SALÆ *pag. 277.* duo potissimum occurrere, cavillatur Zvelferus, quæ ingentem redolere absurditatem, autumat, videlicet *gummatum* cum *aceto scillitico* coctionem, & *terræ vitrioli* præparationem. Utrumque hoc licet meliori modo tradi potuisset, ingentem tamen absurditatem redolere, mox dici non meretur.

Sagapenum, ammoniacum, & *galbanum* etiamsi per diuturnam coctionem dispendium aliquod partium subtiliorum incurrant, omnes tamen amittere, nullâ ratione probari potest.

Quod si aliquas earum perdere, ingentem involvit absurditatem, quin ipse Zvelferus censuræ huic rigidæ subsit, non est dubium, utpote qui in suis Emplastris, recensita gummata liquando, cum aliis ingredientibus permiscet, & eo ipso, lenis quamvis accedat calor, partes aliquæ subtilissimæ quò minùs in auras exhalent, prohibere nequit. Imò postquam ingredientium facta jam fuit permistio, nihilominus tamen Emplastra talia aliquandiu in calore agitare, præcipit; in qua agitatione particularum subtiliorum exhalatio egregiè promovetur.

Prout hujus exemplum suggerit *ammoniacum*, & *sagapenum*, quæ *aceto* soluta *Pharmacop. Reg. pag. 294. Emplastro diaphoretico* conjunguntur, &, postquam *omnia commixta atque dextrè unita* jam sunt, nihilominus adhuc *per horam integram* in vase duplici, calore leni, Emplastrum jam paratum agitatur.

Ammoniacum, & *galbanum* in *Emplastro oxycroceo Pharmacop. Reg. pag. 297.* conspiciuntur, quod, ubi, *omnibus exactè mixtis*, debitam consistentiam obtinuit, *aliquandiu in calore diplomatis* agitandum esse, præcipitur.

Videntur autem Augustani hanc gummatum solutionem, pro sordium, quæ ipsis inhærere utplurimum solent, separatione, præcipuè commendâsse; qua sanè ratione tantopere culpandi non sunt, cùm multas sæpe impuritates continere ea, nemo ignoret.

Unde quoque Zvelferus *Pharmacop. Reg. pag. 296.* in *Emplastro nervino*, *sagapenum* &c. in *terebinthinâ* liquatum, per linum & qualum, si *opus*, colare; atque eodem modo *ammoniacum*, & *galbanum pag. 297.* in *Emplastro oxycroceo*, *si necessitas postulet*, tractare, jubet.

Si quis tamen cum minori *aceti* quantitate idem impetrare se posse, autumet, illi litem non movebo.

Quanquam id, quod à *scillâ* remanet, in hoc Emplastro non exiguarum sit virium, ut vel eâ ratione major *aceti scillitici* quantitas sumi queat.

Præparationem & edulcorationem *terræ vitrioli* quod spectat, eam satis ineptam & non intellectam esse, objicit. Verùm non omnia, quæ hîc reformat, satis intellexit Zvelferus; cujus rationes adductas itaque percurrere, libet.

Et quidem præparationem quod concernit; 1. nullatenus tam facili negotio tria illa (*ficta aliquando*) Chimicorum principia, Sal, Sulphur, & Mercurium, additione *salis ammoniaci*, & sublimatione, à *vitriolo* separari, statuit.

Sal, Sulphur, & Mercurium dum *ficta aliquando* principia Chimicorum adpellat, nescio, quænam sibi de iis fingat.

Si enim ficta aliquando sunt, nunquam vera erunt. Si autem aliquando vera sunt, quod Zvelferus velle videtur, nunquam falsa esse queunt. Aliàs principia dici non possent. Sed de istis agere, ad præparationem medicamentorum nostrorum non spectat.

Posito itaque principia ista tria in nonnullis haud mereri nomen principiorum, quod tamen *vitriolum* attinet, utpote de quo hîc sermo unicè est, idem de ipso adfirmare nequit Zvelferus, nisi sibimetipsi contradicere velit; dum *pag. 385. Pharmacop. Reg. vitriolum* corpus, tribus constans principiis, Sulphure scilicet, Sale, & Mercurio, vocat.

Non posse autem tria hæc principia, per traditam sublimationem *vitrioli*, cum *sale ammoniaco*, tam facili negotio separari, Zvelfero minimè contradico.

Cæterùm de separatione dictorum principiorum *vitrioli*, mentem Zvelferi excutere, si liberet, ab ineptiis immunem eum haud esse, ostendere, non adeo difficile foret.

Interea solùm *Sulphuris vitrioli*, quod *anodynum* vocat, artificiosam (scilicet) separationem in *Pharmacopœiâ Regiâ, pag. 394. & 395.* Lector Benevolus excutiat. Cui sanè vera illa *Salæ* sententia, *sect. 1. Synops. aphorism. chimiatr. 45.* adplicari potest, scribentis: *Pulvis iste subviridis vel flavus, quem chemici quidem, mediante præcipitatione, vel attractione per laminas ferri facta, separant, non est sulphur, sed pars mineralis & fixa vitrioli* (cuprum, ferrum) *cui nomen sulphuris Vitrioli anodyni nequaquam debetur.*

2. Sublimationem illam cum *sale ammoniaco* non succedere, objicit, nisi *vitriolum* prius ad rubedinem optimè calcinatum fuerit. Verùm, etiamsi

etiamsi simpliciter, *vitriolum Hungaricum* sublimationi esse subjiciendum, in textu innuatur, eo ipso tamen destillationem, vel calcinationem requisitam præcedere debere, non negatur; quin potius illam fieri debere, præsupponi, artifex recordatur.

Imò Augustani sublimationem istam dum tradunt, quòd, à *vitriolo* phlegma, omneque sal acidum jam separatum esse, ex *Angelo Salâ*, Emplastri hujus autore præsupponant, credibile est, qui postquam, mediantibus destillationibus, rorem vitrioli, aquam secundam, spiritum & oleum, (prout partes illas distinguit) nec non sal vomitivum extractione, separavit, terram nigram restare, *tract. 1. Anatom. vitriol. cap. 7.* scribit, quam igne fortissimo exsiccare, & postea, cum æquali pondere *salis ammoniaci*, in pulverem redactam, primùm igne lento, dein majore, tamdiu sublimare, jubet, donec nullum ampliùs fumum alta petere, conspiciatur. Atque istud, quod *sal ammoniacum* à *vitriolo* in sublimatione in altum rapuit, nonnullos *sulphur vitrioli* adpellare, memorat.

Sed ponamus, Augustanos minùs benè scripsisse: *donec auferantur ejus tria principia* &c. & ad tertium dubium nos conferamus, quòd scilicet, etiamsi *sal ammoniacum* cum *vitriolo non calcinato* sublimaretur, non tamen terra lotioni apta, sed *vitriolum* solubile, post sublimationem, in residuo maneat. Quod dubium, cùm *vitriolum*, salinis partibus jam exutum, sublimationi adaptetur, sponte concidit.

Verùm omnibus hisce planè non indigemus, cùm post sublimationem hanc ritè peractam aliud non, quàm *terra vitrioli*, *colcothar* dicta, remaneat; quod *colcothar* ab illo, post spiritus destillationem, extremo igne factam, relicto, &, si opus, edulcorato, non differt. Unde etiam hoc, illius loco, ad *Emplastrum magneticum* adhibere, perinde est; ceu idem Pharmacopœi nostri observare, consueverunt, & eo ipso *Mindererum*, quem de hoc Emplastro, *cap. 7. de chalcantho* videri posse, Augustani notant, imitantur.

Nunc de edulcoratione paucis quoque agendum est.

Namque terram à sublimatione relictam, nullo modo ad hunc destinatum usum edulcorari debere, Zvelferus animadvertit, cùm edulcoratione omnis vis magnetica (adstrictoria, & attractoria) relictâ terrâ mortuâ, ipsi dematur. Quod adsertum suum *pag. 409. animadvers. in Colcotharis indulcati præparationem*, confirmare nititur. Minùs dextrè tamen se expedit.

Quid enim est, quod edulcoratione tollitur? Certè non aliud, nisi sal quoddam, vel potius, *vitriolum*, quod ab ignis vehementiâ in destillatione à terrâ illa non separatum, vel etiam noviter ex aëre attractum fuit.

Illud quidem capiti mortuo *vitrioli*, à vulgari ſpiritus deſtillatione residuo, utplurimum ineſt.

Rariùs enim tam diu ignis tædioſus continuatur, usque dum ſpiritus corroſivi omnes egreſſi fuerint.

Et hinc Zvelferus *l. c.* caput mortuum *vitrioli* utplurimum valde corroſivum eſſe, benè obſervat.

Hinc quoque tale *colcothar*, extremâ Vulcani violentiâ ſpiritibus ſuis non privatum, linguam & palatum, ſi guſtetur, offendere; à ſale autem aëris attracto vim aperientem nanciſci, teſtatur.

Quo ſanè reſpectu utrumque edulcoratione indiget.

A ſale quidem aëreo liberare id, expedit, ùt vi aperitivâ depoſitâ, adſtrictoriam obtineat; cùm in Emplaſtro noſtro hæc potius, quàm illa, expetatur.

Corroſivum autem ſal ſequeſtrari debet, quia hîc non corroſiva, ſed adſtrictoria virtus deſideratur.

Quomodo itaque edulcoratione vis adſtringens tollitur, ſi ea neque à ſale aëreo, neque corroſivo dependet? Annon eadem ipſi tali modo potius conciliatur?

Objicit equidem Zvelferus *l. c.* adſtrictoriam & attractivam vim imbibitione aquæ tolli; ſed nihil hoc in loco evincit. Quia poſt peractam ablutionem *colcothar* exſiccandum, ſive ab aquâ imbibitâ liberandum eſſe, nemo fortè ignorat.

Quamvis ab aquâ, iſto modo imbibitâ, vim adſtrictoriam tolli, non ſimpliciter conceſſerim. Nec ullam video rationem, ob quam hac virtute aquam pollere, dicere liceret. Sed ſatis de hoc.

Nunc EMPLASTRUM DE MELILOTO MESUES *pag. 378.* nos ad ſe vocat, cui inſufficientem præparandi modum adſcriptum eſſe, & omnes propemodum Pharmacopœos ſimpliciter, ſcilicet liquando, quæ liquari poſſunt, dein reliqua pulveriſata adjiciendo, *ammoniacum* verò in *aceto* ſolutum, *ficusq;* in pulpam converſos admiſcendo, Emplaſtrum hoc conficere, ſcribit. Quem etiam modum commendat, quia omnia coquendo, multum de rerum aromaticarum atque odoriferarum fragrantiâ, & penetrante, ſubtili eſſentiâ deperdatur. Verùm inſufficiens eſt Zvelferus reformandæ præparationi hujus Emplaſtri.

Rationem conficiendi hoc Pharmacopolarum illorum, de quibus Zvelferus loquitur, ſuo in valore relinquo; cùm unum medicamentum à perito Magiſtro diverſimode parari poſſit. Zvelferi modum, quem ipſe elegantem & pro-

& proficuum adpellat, pariter non planè rejiciendum esse, existimo. Ast non minùs, qui ab Augustanis traditur, insufficiens dici haud debet.

Partium quidem subtilium aliquam hîc fieri jacturam, negari minimè potest; multum tamen id esse, dummodo à Pharmacopœo perito præparatio fiat, negatur.

Primò enim *melilotus*, *fœnugræcum*, & *chamæmelum* in aquâ decoquuntur, ubi major fragrantiæ, *chamæmeli* imprimis, pars in auras abigitur; cui decocto, post medietatis per cocturam consumtionem, colato, triturandasubtilissimè pulverisata immittuntur, & coctio ad paucæ aquositatis remanentiam repetitur &c. in qua coctione dubio procul Zvelferus rerum aromaticarum & odoriferarum fragrantiam, penetrantemque subtilem essentiam perdi, credidit; longè tamen sese ipsum fefellit.

Pharmacopœus namque, in quo prudentia & solertia medicamenta parandi supponitur, optimè scit, quæ priùs, quæve posteriùs liquori immitti & coctioni submitti debeant, qui ideo rerum aromaticarum fragrantiæ curam habens, minùs odorata priùs, & circa finem coctionis aromatica demum atque odorifera immittere, sponte novit. Quo facto, si & reliqua omnia debito ordine admisceantur, bonæ notæ Emplastrum prosurgit.

Quod verò de nonnullorum ingredientium fragrantiæ dispendio, licet, uti modò demonstravi, insufficienter objicit, illud pariter in ipsius eleganti & proficuo, ceu vocat, præparandi modo reformare datur, dum nonnulla, veluti *flores chamæmeli*, *absinthium*, *spicam indicam*, violentæ coctioni tradit, ubi pars eorum aromatica & fragrans magnam jacturam incurrat, necesse est; præterea *cardamomi*, *cyperi*, & *cinnamomi*, similibus particulis refertorum pondus immutat, dum pro eorum singulorum *drachmâ unâ & dimidiâ*, saltem *drachmam unam* mutatæ suæ præparationi admiscet.

EMPLASTRI DE MINIO VIGONIS *pag. 379.* bonitatem communiter à vulgo ex colore rubro judicari, qui tamen ex adpositis ingredientibus non mutatis haud impetrari queat, animadvertit. Verùm, ut Zvelfero largiar, hoc fortè à vulgo Viennensi fieri; ab Augustano tamen minimè observari, tenendum est, à quo nimirum, Emplastrum hoc ut rubrum adpareat, non strictè requiritur; sic ut Augustani de dosi ingredientium mutandâ sollicitos se præbere, neutiquam opus habeant; qui vicissim cuilibet, qua velit methodo, rubrum, aliove colore præditum Emplastrum hoc alibi ut præparet, lubenter permittunt.

Imò cur rubicundum colorem, etiam non mutatis ingredientibus, impetrare nequeat, haud video.

Postea

Postea ob inconcinnam rerum commixtionem, cunctorum hujus compositionis ingredientium vires sartas tectasque servare, impossibile esse, judicat, cùm *Olei rosarum*, & *Unguenti populei* fragrantia in commendatâ præparatione pereat necesse sit. Sed neque hîc singulare quid adfertur.

Unguentum enim *populeum* præparandi normæ *animadversiones* si evolvantur, in eâ ingredientium, præsertim *oculorum populi*, fragrantiam in longâ lentâque coctione unà cum *vino* jam exspirâsse, Zvelferum statuere, adparet. Si ergo odor ille jam exhalavit, qua ratione is demum hac in præparatione perire potest?

De *Oleo rosarum* idem hîc adplicari potest, quod ipse Zvelferus *pag. 265. Pharmacop. Reg.* in *Oleo de capparibus hepatico & splenetico* monuit; in quo nimirum, dum, ob cocturam institutam, *rosarum* fragrantiam expelli, observat, ibidem non odorem *rosarum* desiderari, concludit. Pariter idcirco & hîc odorem *rosarum* non expeti, respondeo.

Alterum *EMPLASTRUM DE MINIO NICOLAI MASSÆ pag. eâdem*, & Augustanorum, & Zvelferi methodo elaborari potest; quod tamen in usu nobis haud esse, character indicat.

EMPLASTRUM NERVINUM VIGONIS *pag. 380.* ex admodum dissonante rerum congerie constructum; secundum etiam præparandi modum priori inepto multò ineptiorem; sique omnes hujus Emplastri, tam quoad compositionem, quàm præparationem ejusdem, errores commissos enumerare, lubido esset, integram paginam sibi non suffecturam esse, cavillatur Zvelferus. Quam rigorosam censuram probare haud possum.

Et quidem compositionem reformare, Zvelferus non potuit, cùm extra limites propositi sui vagatus hoc modo fuisset.

Præparatio autem tam inepta non est; licet modo meliori (etiam dexteriori, quàm Zvelferiano) parari eam posse, inficias ire nolim.

Sed cùm omnia illa generaliter saltem objiciantur, nec ipsi errores manifestentur, de iis quoque multa disserere, frustraneum censeri posset.

Interea hoc saltem moneo, secundum ab Augustanis adscriptum modum magis ineptum priori dici haud posse, cùm potius concinnior is meritò statuatur.

Plura de Emplastro hoc addere, hac vice supervacaneum duco; nisi quòd duos illos adsignatos conficiendi modos strictè à Pharmacopœo observari haud debere, moneam.

EMPLASTRI NIGRI *pag. 381.* animadversiones sic exorditur: *Si dextra fieri debet Emplastri hujus præparatio, necessum est, ut ingredientia,*

quæ adeo confusè conglomerata sunt, priùs in ordinem redigantur. Ast hæc animadversio non penitus censuram effugere potest.

Concedo enim, quòd, si dextra Emplastri præsentis à tyrone pharmaceutico fieri debeat præparatio, necessum sit, ingredientia alio ordine tradere, quò is, quæ priùs, quæve posteriùs addi, & permisceri postulant, certior reddatur.

Sed ipsius Pharmacopoei & Magistri, quem artis, quam profitetur, adprimè peritum esse, requiritur, in gratiam, desideratum in ordinem ingredientia redigere, tantopere necessarium non est; utpote qui fundamenta præparationum probè edoctus, & multiplici experientiâ confirmatus, ingredientia, confusè conglomerata visa, eruere, atque ex iis debitè Emplastrum parare, probè novit.

EMPLASTRI OPOTELDOCH D. D. MINDERERI *pag. 382.* magna hinc indè apud Autores plurimos prostare encomia, refert Zvelferus, & proinde æquum judicat, ut sedula exquisitaque ejus fiat præparatio; cujus igitur parandi modum subnectit. Quem equidem impugnare eò minùs animus est, quia Augustanorum illum non tollit, cùm hîc legibus artis conformis, paratuque non adeo difficilis existat.

Præter mutatam autem *Emplastri* hujus *colcotharini* præparationem, ipsam quoque compositionem, ingredientium aliquorum dosin augendo, alia adjiciendo, nonnulla omittendo, Zvelferus immutat, quod tamen & præter scopum, & necessarium minimè est, præcipuè cùm, si illa *Mindereri* compositio genuinè paretur, magnarum virium Emplastrum prosurgere, præter *Mindererum*, Augustani, aliique compertum habeant.

Interea *Mindereri* sententiâ adquiesco, qui *succos alchimillæ, symphyti* &c. adjici quoque posse, notans, suam tamen cuique intentionem liberam esse, vult.

Quare & Zvelferi intentionem in adjiciendis &c. nonnullis pariter liberam relinquo.

Quam tamen libertatem, in retinendâ genuinâ descriptione, Augustanis etiam nemo adimere præsumat.

Quem prolixum subnectit discursum, de *magnete*, utpote cui, *oleo* vel *essentiâ Martis* saturatè impraegnato, majorem & potentiorem suis in operationibus & actionibus in distans accedere efficaciam, à nonnullis statuitur &c. ad Augustanos is non spectat, apud quos de hac materiâ altum est silentium.

Nec sanè *magnes* compositioni huic additur, ut vim suam attrahendi ferrum exserat, sed potius ut virtute suâ exsiccante Emplastri vires augeat.

Id

Id quod considerans *Felix Platerus*, *quæstion. medicar. 91.* sic scribit: *Magnes licet ferrum sibi simile trahat, non tamen agit eâ vi in corpus nostrum, cum quo nullam habet similitudinem. Proinde potius siccante vi, uti & hæmatites prodest, sanguinis fluorem sistens & siccans potenter.*

Quæ dein contra Dispensatorium nostrum scommata eructat, tanquam inania verba, intacta relinquo.

De edulcoratione *terræ vitrioli* dum iterum minùs æquè judicat, videlicet, quam rationi non usquequaque consentaneam esse, pronunciat, illa, quæ in *Examine Emplastri magnetici* dicta fuerunt, huc trahantur.

Neque negare volo, edulcorationem frustraneam esse, *si*, verbis utor Zvelferi, *probè sufficienterq; Vitriolum calcinatum, omniq; aquositate & spiritu privatum sit*, quod tali modo *necquicquam ampliùs corrosivum esse, nec salsedine abundare*, deprehenditur, *nisi ex aëre, si fortè ad aliquod tempus repositum fuerit, de novo eam attraxerit*; quam tamen salsedinem longè alias, ac *vitriolum*, redolere virtutes, Zvelferus statuit.

Quod equidem tantopere non impugnabo; spiritum tamen ex tali, à sale aëreo impregnato *colcothare*, eundem ferè esse, cum illo *spiritu vulgari*, & ita corrosivum quoque existere, ex *pag. 391. Pharmacop. Reg.* discitur.

Sicque non usque adeo multùm *colcothar* illud, sale isto impraegnatum, à *vitrioli* viribus differre, videri posset.

Qua ratione etiam, dum *colcothar* ratione facultatis exsiccantis præsenti Emplastro conjungitur, minùs convenienter, illud astris vernali tempore per septimanam unam vel alteram ut priùs exponatur, à Zvelfero exigitur.

Sufficiat in præsentiarum, continuationem ignis in *spiritus vitrioli vulgaris* destillatione rarò eò usque fieri, usque dum omne sal corrosivum resolutum, & in vas recipiens expulsum sit, ac idcirco utplurimum *colcothar* in retortâ relictum multum adhuc de eo participare; quod etiam ipse Zvelferus *pag. 409. animadvers.* observat. Quare vel hujus intuitu edulcoratio ipsius rationi undiquaque consentanea, & summè necessaria est, quò vis illa corrosiva auferatur, virtusque exsiccatoria, adstrictoria, & ita vulnerum consolidatoria remaneat.

Eandem de *croco Martis* rationem esse, tandem concludit Zvelferus, *Nam*, inquiens, *ubi adstringere volupe fuerit, humectantia stypticis admiscenda non sunt, & vice versâ.* Verùm non admodum concinna hæc est sententia, contra quam quatuor imprimis notare, placet.

1. Augustani, cum *Minderero* suo, *Martis* edulcorationem hîc non tradunt, cùm *crocum Martis* ex arte sine corrosivo concinnatum requirant. Qui itaque, corrosivis particulis dum destituitur, edulcorari quoque non deposcit.

2. Posito,

2. Posito, *crocum* hunc deposcere edulcorationem; dum ipse, sale corrosivo imbutus, aquâ humectatur, ejusque ope à dictâ salsedine liberatur, stypticam vim non amittit; sed eam, si ob corrosivi salis præsentiam antea non adfuerit, potius adipiscitur.

3. Licet hac ratione aqua, tanquam humectans, *croco Martis*, styptico, se insinuet, ab eâdem tamen, post absolutam edulcorationem, per institutam exsiccationem, iterum separatur.

4. Si tamen humectantia, quorum familia amplè satis se extendit, stypticis admiscenda non sunt; (quod haud simpliciter conceditur) quàm benè plurima medicamenta, stypticis pariter & humectantibus gaudentia, in *Pharmacopœiâ Regiâ* Zvelferus parare docuerit, aliis judicandum relinquo.

Conferantur v. g. *Unguentum Comitissæ adstringens Pharmac. Reg. pag. 277*, *Emplastrum catagmaticum pag. 293*, *Emplastrum ad rupturas seu hernias pag. 299*, *Emplastrum de symphyto ad hernias pag. 301*, *Emplastrum vulnerarium verum pag. 303*, *Ceratum de quercu pag. 308*, *Cataplasma ad hernias pag. 312*, & alia similia medicamenta externa dictæ Pharmacopœiæ; ut de internis, ad quæ generalis illa Zvelferi animadversio pariter extenditur, nihil proferam.

In OXYCROCEO COMMUNI EX NICOLAO *pag. 384.* *crocum* imprimis, cujus nimiam quantitatem adesse, opinatur, accusat. Sed fallitur Zvelferus.

Etenim, larga *croci* dosis licet adsit, à quo nomen etiam Emplastrum hocce sortitur, propterea tamen nimiam eandem esse, haud sequitur.

Ast Zvelferus instat, & 1. non convenire, objicit, ut *pulveres, qualescunque etiam illi sint*, in Emplastris æquale cum *cerâ*, aut *resinis* pondus habeant. Quod adsertum admodum vacillat; si, præterquam *resinarum* quòd magna detur diversitas, quâ vel solidam consistentiam habent, vel diversimode liquidiora existunt, Emplastris etiam *olea*, aliave ingredientia liquida commisceri solere, consideretur, quo intuitu, etiamsi *pulverum*, & *ceræ*, vel *pulverum*, & *resinarum*, aut omnium æquale adsit pondus, Emplastrum tamen optimæ consistentiæ efformari potest.

Sed istam Zvelferi sententiam *Emplastro nostro Oxycroceo*, de quo hîc propriè agendum est, adplicemus. In quo an *pulverum* æquale pondus cum *cerâ resinisve* præscriptum fuerit? dispiciamus.

Si Zvelferus *pulverum* nomine *crocum* solùm indigitat, in Emplastro nostro *ceræ*, & *croci* æquale pondus reperiri, utique verum est. Attamen cur illud non convenit? De causâ sanè ingens est silentium.

An fortè solidiorem, quàm par est, consistentiam emersuram esse (ceu

ſequentia, dum ſcilicet *libram unam croci* Emplaſtro huic imprimi poſſe, negat, forſan innuunt) credidit? Sed deceptus ſic fuiſſet; cùm præter *terebinthinam, acetum* quoque compoſitioni huic deſtinetur.

Cæterùm hac etiam ratione *croci pulveriſati*, & *reſinarum* non æquale, ſed diverſum planè, & harum quidem multò majus pondus adeſſe, deprehenditur.

Sin *pulverum* nomine Zvelferus illa, quæ ſub finem præparationis Emplaſtri præſentis inſpergere jubent Auguſtani, nimirum *myrrham, olibanum, maſtichen*, & *crocum* (quod certè velle videtur, dum ait: *pulveres qualescunq; etiam illi ſint*) intelligat; neque hac ratione, *pulverum* cum *cerâ* aut *reſinis* æquale pondus adeſſe, compoſitio monſtrat.

Poſſe autem quandoque æquale *pulveris*, & *ceræ* quantitatem in Emplaſtris poni, vel ſuperiùs examinatum *Emplaſtrum D. D. Ulmenſium*, in quod nempe *ceruſſæ ſubtiliſsimè tritæ* vel pulveriſatæ, & *ceræ citrinæ* partes æquales recipiuntur, evincit; & tamen propterea à Zvelfero illud non reformatur, ſed potius à præparationis facilitate commendatur.

Non minùs in *Pharmacop. Reg. pag. 302.* pro *Emplaſtro antivenereo, ſeu Mercuriali* conficiendo, ad *maſtichis* & *olibani pulverum an. unciam unam, ceræ unciæ duæ* admittuntur. Ut alia, quæ ex iſtâ Diſpenſatorij dicti *Claſſe decimâ octavâ* adduci hîc poſſent, ſilentio prætercam.

2. Nec tam vili precio vendi *crocum*, ut eum adeo largiter citra neceſſitatem profundamus, objicit. Iterum de precio quid deblaterat; quem tamen precioſiſſimis (ſi ſcilicet precium, ſumtusve ſpectentur) compoſitionibus Pharmacopœiam ſuam obruiſſe, in propatulo eſt.

Quanquam illa *croci* quantitas tantum precium non efficiat, ſi in debitas portiones, vel doſes, quibus in uſum venire ſolet, compoſitio iſta dividatur.

Nec opus eſt, in *Emplaſtrum* hoc *crocum Auſtriacum* cariorem recipere, ſed illum, qui, bonæ tamen notæ ut ſit, ex *Galliâ*, minori multò precio, ad nos adfertur, huc trahere, ſufficit.

Citra neceſſitatem tantum *croci* hîc ſumi, ſi ponamus, cùm diverſimode Emplaſtri hujus compoſitio mutari queat, non tamen, inutiliter eum profundi, aut pondus minuendum eſſe, ſequitur.

3. Quod magis eſſe, putat, tantam *croci* quantitatem Emplaſtro huic imprimi non poſſe, animadvertit. Aſt maximè hoc falſum eſt. Si enim debita *aceti*, quod non eſt omittendum, adhibeatur quantitas, cur *crocus* ille imprimi nequeat? haud video.

Unde neque pondus *croci* diminuere, neque Emplaſtrum noſtrum aliter, quàm

quàm traditus ab Augustanis modus suadet, conficere, nec, quod magis est, Zvelferi modum amplecti, cogimur.

Tandem aliqua nota, quam memorato suo præparandi modo adnectit, se nobis sistit, dum gummata quædam, utpote *galbanum*, *opopanacem*, *ammoniacum*, longè meliùs in *terebinthinâ*, quàm in *aceto* solvi, statuit, cùm illa cum *aceto* propria horum gummatum solutio haud sit; & propterea non consultum esse, ducit, ea cum *aceto* multùm coquere, sed tantum de *aceto* solummodo addere, ut ex iis pulticula efficiatur, ne sub coctione diuturnâ partes ipsorum magis subtiles & penetrantes evanescant. In præsenti verò Emplastro, ob *terebinthinæ* paucitatem, & gummatum copiam, in illâ solutionem fieri non posse, notat. Recensita gummata, videlicet *galbanum*, & *ammoniacum*, (*opopanax*, præsenti Emplastro haud accedens, huc non pertinet) meliùs in *terebinthinâ*, quàm *aceto* liquefieri, equidem non impugno.

Sufficit mihi, quòd illa, cum *aceto* quæ fit, solutio explosionem non mereatur, cùm eam pro Emplastrorum præparatione satis convenientem esse, ipsius Zvelferi exemplum, quod *pag. 294. Pharmacop. Reg. in Emplastro diachylo cum gummi*, nec non *diaphoretico*, exhibet, comprobat, unà cum decisione, quam *pag. 128. animadvers.* consignavit, videlicet ibidem concedens, quòd gummata resinosa *aceto* dilui, & quasi dissolvi possint, pro Emplastrorum, Unguentorum, & aliorum præparatione expetita.

Sive itaque solutio ista cum *aceto* propria sit, sive impropria, eam tamen, pro Emplastris genuinè parandis convenire, sufficiat.

Consequentia, quam ex hoc adserto format Zvelferus, nulla planè est. Nam sic argumentatur: Gummata quædam in *terebinthinâ* meliùs, quàm in *aceto*, solvuntur, quia hæc non est propria eorum solutio. Propterea non est consultum, ea cum *aceto* multùm coquere: Aliud enim est, gummatum solutionem; aliud, coctionem instituere. Illa etiam absque hac perfici potest.

Ast vicissim pari jure argumentari, alicui liceret: Gummata quædam in *terebinthinâ* meliùs, quàm in *aceto*, solvuntur, quia illa propria est solutio. Propterea non est consultum, ea cum *terebinthinâ* multùm coquere.

Nulla tamen in præsentis Emplastri præparatione gummatum in *aceto* dilutorum coctio, multò minùs diuturna, præcipitur. Unde etiam, ne partes ipsorum magis subtiles & penetrantes evanescant, nullum adest periculum.

Et quamvis, ubi coctio, pro *aceti* exhalatione, nonnunquam instituitur, aliquæ subtilium partium exhalent, illæ tamen non usque adeo magni

momenti esse possunt; quin subtilissimas quoque in eorum à Zvelfero commendatis liquefactionibus &c. evanescere, in antecedentibus jam monui.

In hoc Emplastro, quod jam examini subjectum fuit, ob *terebinthinæ* paucitatem, gummata, nimirum *galbanum* & *ammoniacum*, in eâ dissolvi non posse, vix credo, si obtrusam Dispensatoriorum normam, *Pharmacopœiam Regiam*, consulere, licet; quæ in *unciis quatuor terebinthinæ*, posse *galbani* & *ammoniaci an. uncias quatuor* liquefieri, sicque Emplastris aduniri, docet; sic enim *pag. 291.* in *Emplastro basilico & vulnerario gummatum* integræ *unciæ sex*, in *terebinthinæ unciis duabus* liquefieri debent.

Vel si parcam nimis *terebinthinæ* quantitatem adsignatam esse, ponamus; cur non eandem, quò genuinè soluta gummata Emplastro huic dextrè commiscere potuisset, adauxit? Utpote quod eum in finem in *Unguento de althæâ composito Nicolai pag. 338. animadvers.* factum ab eo jam fuisse, superiùs monui.

Et quidem duplicem præcipuè ob causam idem hoc in loco observare, potuisset, tum quia hac ratione majorem quoque *croci* quantitatem Emplastro huic imprimere, licuisset; tum quia ipse jam *terebinthinæ unciis quatuor* in substituti *Oxycrocei communis* præparatione, *unam* adhuc superaddidit; sicque portione ejus aliquâ dictis *unciis quinque* insuper adjunctâ, *galbanum* & *ammoniacum* in eâ dissolvere, *picem* verò, *ceram*, & *colophoniam* absque eâ liquare, facile fuisset.

Nunc *OXYCROCEUM VIGONIS pag. 385.* se offert, quod licet Augustanorum in Officinis prostare minimè teneatur, debitam tamen Emplastri consistentiam non, nisi mutatis ejus ingredientibus, suppeditare, ceu animadvertit Zvelferus, dubito; cùm, si ritè juxta traditam normam paretur, præparatio non possit non benè succedere. Nec ullam contrariæ adsertionis rationem video.

EMPLASTRUM DIAPHOENICUM CALIDUM MESUES, nec non FRIGIDUM EIUSDEM *pag. 386.* 1. Parùm admodum, quoad caloris, vel frigoris temperaturam inter se differre, animadvertit. Quod licet ita sese habeat, cùm tamen hoc ad præparationem eorum non spectet, de eo quidquam ulterius addere, nolo, hoc saltem animadvertens, Zvelferum in *Pharmacopœiâ Regiâ, pag. 197.* & *198.* tres diversas *Aquæ cordialis* descriptiones tradere, quarum *primam*, *Aquæ cordialis calidæ* nomine insignit, *duabus* verò posterioribus *frigidæ* epitheton tribuit; cùm tamen utraque largiter satis ingredientia aromatica, & calidâ qualitate dotata recipiat.

2. Illius *Emplastri*, *calidi* scilicet, conficiendi modum, simul tamen ipsam

ipſam compoſitionem quoque immutans, adponit; quo labore opus haud fuiſſet; cùm illa ab Auguſtanis adducta præparandi norma quò minùs obſervari poſſit, nulla ſubſit cauſa; compoſitio autem pariter efficax exiſtat.

Loco *Galiæ moſchatæ*, & *Trochiſcorum ramich*, ſpecies eorum ſumere, per me licet; præcipuè ſi iſti Trochiſci in Officinis aliis etiam pro uſibus parati non habeantur. Auguſtani verò, qui utramque compoſitionem ſibi uſitatam eſſe, volunt, ſicque paratam in Officinis ſuis ſemper inveniunt, ipſos quoque Trochiſcos prædictos Emplaſtris hiſce adjungunt, animadverſionem vix merentur.

Aſt, quod Zvelferus vult, loco *Galiæ moſchatæ*, *ambræ* ℈j, *moſchi* gr. vj, *ligni aloës* ʒ ß. ſumere, ſi quis exactam ponderis *Galiæ moſchatæ*, ab Auguſtanis præſcripti, quod eſt ʒj, rationem habere velit, haud convenit; cùm potius *ambræ* ℈j, *moſchi* gr. vj$\frac{2}{3}$, *ligni aloës* ʒ ß. gr. iij$\frac{1}{3}$. addere, deceat.

Ut propemodum ad unam omnes, ſic animadverſiones in EMPLASTRUM DE RANIS CUM MERCURIO VIGONIS *pag. 387*. exorditur Zvelferus, *Emplaſtrorum compoſitiones inconcinnè & abſurdè conſcriptæ ſunt, ita nec, quam in præſens ventilamus, Emplaſtri formula ſua abſurditate caret.* Aſt iterum limites propoſiti ſui egreditur Zvelferus, dum inconcinnam animadverſionem ſuam in *compoſitiones* vibrat.

Sed qua concinnitate dica hæc Emplaſtro præſenti ſcribatur, & num Zvelferus nihil abſurdi in ejus reformatione committat? diſpiciamus.

Iſtam autem abſurditatem illico aliquem deprehendere, ſcribillat, ſi modò *argenti vivi* extinctionem cum *ſalivâ jejuni hominis* perpendere is non gravetur. Unde I. quærit: *Quis, rogo, aſſervabit hujus ſpurcitiei libram unam vel alteram, quâ pro diſſolvendâ aſsignatâ quantitate Argenti vivi opus eſſet.* Aſt 1. *Mercurium* in *ſalivâ* extinguere, non diſſolvere, præcipitur.

Iſtam enim extinctionem pro veneni, quod in *hydrargyro* eſt, correctione inſtitutam fuiſſe, credibile eſt.

Hinc *Guil. Rondeletius* in *Pharmacopol. officinâ*, quòd hac ratione venenum emendetur, ſtatui, teſtatur; quod ſuperſtitioſum & inutile vocat. Nec certè magni illam præparationem momenti eſſe, credibile eſt.

2. Licet quis *ſalivæ* tantam copiam non adſervaret, quæ adſignatæ *argenti vivi* proportioni reſpondeat; non tamen uno die præparationem iſtam abſolvere, atque unius *hominis jejuni ſalivam* adhibere, neceſſum foret; ut itaque, quod uno die, & ab uno homine fieri nequit, pluribus diebus, pluriumve *ſalivâ* impetretur.

3. Salsè, ut eò magis Emplaſtri hujus præparationem exoſam fortè reddat, *ſalivam* vocat *ſpurcitiem*; quæ, ſi talis ſit, miror, quòd *ſpurcitie* iſtâ

Cauterium

Cauterium ſuum nobile è fraxini cineribus factum, madefacere, atque pro fonticulis excitandis adplicare, *pag. 51. Append. animadverſ.* præcipiat.

II. Zvelferus interrogat: *Quis tantam copiam aquoſitatis Emplaſtro huic commiſcere poterit, ſervatâ juſtâ Emplaſtri conſiſtentiâ, & viribus Mercurij integris?* Verùm cùm *Mercurij* ſolutio in *ſalivâ* non quæratur, hæc iterum ſeparatur, ſolusque *Mercurius*, cujus venenum per *ſalivam*, accedente aliquot dierum digeſtione, qua de videatur *Gabriel Fallopius tract. de morbo gallico cap. 78.* extinctum eſſe, putarunt, adhibetur.

Sed ponamus, *Mercurium* in magnâ ſatis *ſalivæ* quantitate ſolutum, Emplaſtro huic deſtinari; is utique, ſervatâ juſtâ Emplaſtri conſiſtentiá, viribusque *hydrargyri* integris, admiſceri poſſet, ſi nimirum humiditatis leni calore exhalatio fieret.

Verùm hac de materiâ prolixiùs agere, nolo; cùm iſtâ præparatione, quam magnopere excuſare, animus minimè eſt, facilè carere poſſimus, & Pharmacopœi *argentum vivum oleo laurino* ſubactum, reliquis aptè ſatis permiſcere, ſciant.

Nunc Zvelferi præparationem, quam ipſe multò meliorem, & longè efficaciorem adpellat, tangere, ac num illa abſurditate, nugisque careat? inquirere, pariter decet.

In eâ verò jam pridem *Cl. Tackenius Hippocr. chim. cap. 25. Mercurij corroſivi* ſiniſtram additionem obſervavit, nec ſine causâ rejecit.

Zvelferus enim *argentum vivum* in *ſ. q. aquæ fortis* ſolutum, cum *axungiâ viperinâ*, & *oleo liliorum alborum* in vitro leniter, ad *aquæ fortis* exhalationem, ſive, donec ejus guttula una vel altera in ignem projecta, ſtrepitum ampliùs non edat, coquere præcipit. Cùm autem Emplaſtrum hoc à *Vigone* ad diſſipandos artuum &c. à lue venereâ inveteratâ obortos dolores commendetur, ne à *Mercurij corroſivi* additione, dolores, quos lenire, hîc intentio eſt, novi generentur, non immeritò veretur *Tackenius*.

Cui quidem objectioni Zvelferus *pag. 174. Apolog. contra Tackenium* reſpondere conatur, ſcribens: *Scito, quòd Mercurius, aquâ forti ſolutus, ac cum axungiis & oleis leniter coctus, in vitro, vel vaſe terreo capaciori, ad aquæ fortis exhalationem, in reſiduo maneat, unà cum axungiis & oleis, ferè dulcificatus, per minima autem illis commixtus, tanquam ab unctuoſis ſolutus eſſet.*

Et *pag. 175.* ſequentia habet: *Hæc coctio Mercurij ſoluti cum axungiis & oleis, ad humiditatis, vel aquæ fortis exhalationem, eſt artificioſa & dextra (ignis intentione) edulcoratio, & ſpirituum corroſivorum expulſio, ſine præcipitatione tamen Mercurij facta; ita ut verè dulcis; legitimè tamen ſolutus*

ab un-

ab unctuosis, vinculis autem corrosivorum spirituum non amplius ligatus, operationes suas naturales liberè possit exercere.

Et iterum : *Crede interim, quòd corrosivum acidum in axungiâ si non moriatur, leni tamen coctione expellatur ac mitescat* &c. Sed malè se excusare hîc Zvelferum, si quis rem intimiùs perpendat, nemo dubitabit.

Satis aptè huic Zvelferi responsioni *cap. 7. Clav. hippocrat. medic. Tackenius* satisfecit, regerens, causticum hoc, *Mercurium* in *aquâ forti* solutum, cum *axungiâ viperinâ & oleo* usque ad humidi aquei absumtionem cocturâ, dulcescere, contra experientiam, & claram veritatem esse. Siquidem 1. *alcali tartari* adfusum massam istam coctam grysei coloris, mediæ horæ spatio, *Mercurio* præcipitato, in obscurè flavescentem colorem convertere, objicit, dum scilicet acidum corrosivum, ab *aquâ forti* relictum, ab *alcali tartari* absorbetur, sicque *Mercurius*, solutus in acido, separatur. 2. Quia ex propriâ Antagonistæ confessione, *Mercurius*, quem dulcificatum esse, venditat, nihilominus condylomata, carnes putridas, & similia absumit.

Nec sanè aliter, nisi crimen læsæ veritatis committere velimus, statuere possumus.

Et quidem 1. cocturam illam, leni igne institutam, ad *aquæ fortis* exhalationem facere, sic ut solus *Mercurius* cum *axungiâ & oleo* remaneat, non est credibile ; cùm *aqua fortis* non adeo volatilis sit indolis, ut omnes isti corrosivi spiritus, præcipuè *hydrargyro* arctè conjuncti, tam facilè avolare queant.

2. Si *Saturnus*, ab *aceto destillato* corrosus, & cum *oleis* coctus, his se immiscet, *aceto* tamen remanente ; cur non idem quoque cum *Mercurio* in *aquâ forti* corroso, accidat, si is pariter cum *oleis* coquatur, ita ut ipso se his insinuante, *aqua fortis* etiam remaneat ? Superesse verò ibi *acetum destillatum*, è Zvelfero adstruo, qui in *animadvers. Unguentorum alborum*, ea nimis effœta absque eo esse, *pag. 337.* objicit, omnesque *cerussæ* vires refrigerantes saccharinæ *Saturni* dulcedini, quæ nimirum ab *aceti & Saturni* corrosi unione oritur, adjudicat, & sic ipse *cerussam* cum *oleo*, & *aceto sambucino* igne lenissimo coquere, ut Unguentum fiat efficacissimum, *pag. 273. Pharmacop. Reg.* edocet. Si enim hæc vera sunt, *acetum* certè in coctione hac evanuisse, neutiquam dici potest ; cùm, eo à *plumbi calce* separato, nulla ampliùs saccharina dulcedo percipiatur.

Imò *acetum* in coctione simili multò faciliùs evaporare deberet, quia *cerussæ* major, quàm *Mercurij*, cum *oleis* est adfinitas ; siquidem illa in ipsis promtè satis, hic non item, solvitur.

3. Præter

3. Præter *Tackenij* modò adductum experimentum, observavi etiam, isti *argenti vivi*, cum *oleo laurino* ad humidi aquei absumtionem, ita ut guttula una vel altera in ignem conjecta strepitum ampliùs non edat, cocti, misturæ si *sal tartari p. d. solutum* adfundatur, ebullitionem aliquam oriri; quatenus scilicet *tartari alcali*, & *acidum aquæ fortis* in coctione remanens, in se invicem agunt, & ita, à mutuâ illâ actione, effervescentia oritur; quæ sanè ab *alcali* & *olei* permixtione haud oboritur. Quo etiam motu cessante, *Mercurium* currentem in fundo vasis, atque hinc indè per massæ corpus granulatim dispersum deprehendi.

Idem quoque ex propriis Zvelferi verbis evincere, haud est difficile.

Nam 1 argumentum Tackenianum firmo nititur fundamento. Hæc quippe Zvelferi verba sunt, *pag. 176. Apolog. contra Tacken.* consignata: *Non enim à Reformatore Mercurius solutus simpliciter & rusticè, Unguentis commiscetur, uti præcipitatus, qui occultum & corrodens acidum in se continet; sed in coctione lentâ corrosivo suo privatur, ut magis dulcis, quàm præcipitatus ipse, Unguentis per minima commixtus, feliciores & benigniores edat effectus in absumendis corruptelis & excrescentiis, ex lue Venereâ obortis.* Operationes naturales *Mercurij*, quas in Emplastro, suo modo parato, conspici, tradit, non sunt excrescentias illas Venereas absumere, quia hoc potius corrosivis spiritibus, *Mercurio* aliunde accedentibus, debetur.

Unde libenter Zvelfero concedo, præsens *Vigonis Emplastrum* eo modo, quo à Zvelfero docetur, confectum, feliciores & benigniores in absumendis excrescentiis, ex lue venereâ obortis, effectus edere.

Quod utique à genuinè, & absque *Mercurio* corrosivo præparato Emplastro haud sperandum esse, fateor; neque ut ita agat, expetitur.

2. *Pag. 174. cit. Apolog. hydrargyrum* in *aquâ forti* solutum, & cum *oleo*, atque *axungiâ* coctum, *ferè dulcificatum* reddi, notat. Quo ipso, aliquid corrosivi adhuc superesse, nec *Mercurium* sufficienter dulcificatum existere, consentire videtur.

3. *Pag. seq. 175.* artificiosam dextramque vocat *argenti vivi* in *aquâ forti* soluti coctionem, *ad humiditatis vel aquæ fortis exhalationem.* Humiditatem enim aqueam illam, sive phlegma *aquæ stygiæ*, coquendo exhalare, nemo est, qui dubitet; remanet autem, quod in illo phlegmate, vel humiditate exhalante solutum fuit, sal corrosivum cum *Mercurio*, cui arctè sese insinuavit.

Dum verò de cocturâ, ad humiditatis, vel *aquæ fortis* exhalationem factâ, loquitur, & ita humiditatem atque *aquam fortem* idem esse, innuere videtur,

videtur, ambabus largior Zvelfero manibus, quòd tota *aqua fortis*, vel, ut clarior sit sensus, tota *aquæ fortis* humiditas coquendo evanescat.

4. Ipse *pag. eàdem*, de fugâ spirituum corrosivorum acidorum dubitare incipit, dum vult, ut *Tackenius* credat, quòd corrosivum acidum in axungiâ si non *moriatur*, leni tamen coctione expellatur ac *mitescat*. Si *moritur* in *axungiâ* sal corrosivum, quòd cocturâ in auras illud evanuerit, dicere haud licet; si idem leni coctione *mitescit*, neque ita exhalâsse, dici potest.

Sed plura hac de materiâ addere, supersedeo; quare ad

EMPLASTRUM DE RHABARBARO JOANNIS MANARDI *pag. 388.* & EMPLASTRUM SANTALINUM, OLIM INCOGNITUM DICTUM *pag. eàdem* me confero; quæ paratu facilia esse, & idcirco singularibus animadversionibus tantopere non indigere, notat. Quæ autem ex ingredientibus priùs, quæve posteriùs commiscenda, aut coquenda sint, perito Pharmacopœo ex ipsâ eorum naturâ abunde constabit. Progredior itaque ad

EMPLASTRUM SPLENETICUM HIERONYMI FABRICII AB AQUAPENDENTE *pag. eâdem*, cujus nonnihil auctam, uti scribit, præparationem exhibet. Qua tamen nihil contra Augustanos adducit.

Secundùm artem enim Emplastrum hoc conficere, Pharmacopœo non potest esse difficile; prout quoque augere ingredientium numerum, nec non pondus, haud parit difficultatem.

Interea, illam ab Augustanis prolatam formulam scopo satisfacere, sufficiat.

In EMPLASTRO STIPTICO CROLLII *pag. 389.* animadvertit: 1. ut *lithargyrum* in pondere ad aliquot *uncias* augeatur, vel præscriptum ejus pondus duplicetur. Sed cùm hujus moniti causam non addat, de eo aliud quid statuere nolo; nisi quòd superfluum illud esse, existimem; cùm Emplastrum hoc, absque illo *lithargyri* in pondere augmento, satis efficax existat, debitasque Emplastri notas obtineat.

2. Ne *bdellium* cum reliquis gummatibus in *aceto* solvi tentetur, quia gummi mucilaginosum & in aquâ resolubile est. Non hîc contradico; sed *bdellium* in aquâ solutum, vel etiam, quod nonnullis usitatum est, in pulverem redactum, Emplastro huic conjungi posse, largior.

Interea Zvelferum *pag. 397. animadvers. in Ceratum matricale, bdellium* in *aceto* nullo modo solvi, repetere invenio, sed potius in *terebinthinâ & oleis*; quod tamen pariter non est possibile.

Ggg 3. Vi-

3. *Vitriolum album* dissolutum addendum, atque cum *oleo*, & *lithargyro*, nec non *minio*, ad Emplastri consistentiam coquendum esse. Verùm Augustani, *vitriolum* illud reliquis pulveribus permistum dum Emplastro adjungunt, animadversionem minimè merentur.

Neque enim strictè Zvelferi ille modus observari debet; qui licet non planè sit repudiandus, illum tamen Augustanorum minimè tollit.

EMPLASTRUM TETRAPHARMACON GALENI *pag. 390.* nullam difficultatem habere, animadvertit, dummodo observetur, ut, postquam liquata sunt ejus ingredientia, per linum colentur. Quod ipsum Pharmacopœus, ubi opus, non ignorat.

EMPLASTRUM TRIAPHARMACON MESUES *pag. eàdem* spadiceo colore commendabile esse, notat, qui coctione paulò violentiori impetrari debeat. Quod Pharmacopœus ipse iterum cognitum habet, qui in similibus Emplastris, pro cocturæ diversitate, diversos quoque colores producere, novit.

Circa EMPLASTRUM AD TOPHOS *pag. eàdem* aliud non animadvertit, quàm quòd ejusdem præparationem adducat. Quam suo in valore relinquo. Augustanis, ut *secundùm artem* fiat, Pharmacopœis peritis indicâsse, satis fuit.

In EMPLASTRO FILII ZACHARIÆ SECUNDUM MESUEN *pag. 391.* ejus consistentiam reformat, scribens: *Quisquis hoc Emplastrum vel simpliciter, vel istud valentius reddendo, cum mucilaginibus fænugræci, œsypi, ichthyocolla &c. ad normam præscriptam conficere voluerit, nunquam ferè Emplastri consistentiam adipiscetur, licet satis diu multumq́, imò vel ad combustionem usque species huic compositioni deputatas percoxerit.* Siquidem nihil adesse putat, quod soliditatem aut debitam Emplastri duritiem ingredientibus largiri possit. Sic est, Emplastrum hoc eâ, qua præcedentia reliqua, soliditate & duritie non gaudere.

Unde etiam ejusdem, prout hîc in usu est, consistentia Ceratum potius æmulatur.

Cæterùm dari in Emplastris latitudinem aliquam, ratione consistentiæ, supra jam notavi.

Nimis itaque immaturo Zelo Zvelferum hujus medicamenti usum expungere velle, arbitror, & illud non requirere, adsero, ut spongiam ipsi admoveatur. Ob consistentiam enim molliorem hoc rejicere, nugis non caret.

Licet etiam alia ad enumeratos adfectus Emplastra huic Classi inserta essent,

essent, quod jam non controvertam, neque hanc propter rationem sinistro illi judicio locus dari potest.


Neque enim omnia hujus Classis Emplastra Augustanis usualia sunt; neque Officinæ nostræ Medici unius, sed plurium medicamentis præscribendis inserviunt.

Præterea, ut alia taceam, non unum calopodium omnium pedibus adcommodare, uti Sutor valet: ita neque Emplastrum aliquod, certo adfectui destinatum, omni individuo semper adplicare, Medico licet.

Imò uno semper remedio uti, imperitiæ ut Medicus arguatur, quandoque in causâ est; sicut econtra variatio ipsum commendat. Qua ratione *Hippocratis* varias inter adtributas laudes, à *Pæto* etiam in *epistolâ*, quæ in *operibus Hippocratis secunda* recensetur, ad Regem *Artaxerxem* exaratâ, ejus diversis modis pestem profligandi scientia extollitur.

EMPLASTRUM VESICATORIUM *pag. eâdem* simpliciter parari posse, quod Zvelferus monet, nec Augustani ignorant.





RESTITUTA
CLASSIS DECIMA NONA,
Cerata exhibens.

PRimum quod se offert, CERATUM DE AMMONIACO D. D. PETRI FORESTI *pag. 392.* inordinatè nimis & confusè conscriptum esse, obiter notat, cujus dein parandi modum adnectit.

Licet ingredientia Cerati præsentis meliori ordine poni potuissent, ex istâ tamen locatione ipsi præparationi nihil decedit. Confer. quæ in consimili materiâ circa *animadvers. in Emplastrum nigrum* prolata fuerunt.

CERATUM EX BETONICA *pag. 393.* etiamsi paratu facillimum esse, concedat; nihilominus modum conficiendi illud adnectit; sicque nihil singulare animadvertit.

Et cùm Ceratum hoc *Mumia* quoque ingrediatur, de eâ differendi ansam arripit, atque illa, quæ ad nos hodiernâ die transportantur cadavera nigricantia, linteis involuta, sæpenumero fœdissimâ morte defuncta, nil minùs esse, quàm veram *Ægyptiorum mumiam*; quæ ipsa etiam tantùm abesse, putat, ut utiliter intra corpus humanum adsumi, quin mage plurimùm obesse possint. Non negatur, prout in omnibus materiis medicis: sic in *mumiis* etiam magnam, ratione bonitatis, differentiam esse; quin & fraudes non leves committi.

Ast ideo selectione opus est.

Licet cadavera quædam nigricantia, qui color ab *asphalto* potissimùm est, ad nos hodiernâ die transportentur; non omnia tamen ejusmodi esse, diligens *mumiarum* inspectio monstrat.

Quæ ipsa, veræ Ægyptiorum *mumiæ* esse, propterea non desinunt. Corpora enim defunctorum, sive ob tenuiorem sortem, sive Libitinariorum fraudem &c. *asphalto* in Ægypto conditæ, nihilominus *mumiæ ægyptiacæ* nomen merentur.

De hac *Jul. Cæs. Scaliger de subtilit. exerc. 104. sect. 9.* agit, scribens: *Quæ ad nos mumia defertur ex Ægypto, non ex Aloë, & Myrrhâ condimentum*

tum est corporum, sed ex Asphalto. Illis enim utuntur Nobiles, quorum effodere corpora capitale est.

Quanquam, quod huic *Scaligeri* sententiæ, in elegantissimo suo libello *de Mumiis Wratislaviensibus*, subjungit *Andreas Gryphius*, *illum pœnæ rigorem, dudum est, quod auro perfregimus.*

Verùm non solùm dicta cadavera nigricantia sæpenumero fœdissimâ morte defuncta esse, sed & illa, quæ veræ *Mumiæ Ægyptiacæ* titulo fortè dignatur Zvelferus, taliter quandoque se habere, dicendum est; ut ita nulla prærogativa, hanc ob causam, ulli *mumiæ*, ex Ægypto advectæ, concedi queat.

Et licet ad nos delatæ *mumiæ* tales forent, quòd tamen idcirco intra corpus humanum utiliter adsumi nequeant, universaliter haud conceditur.

Quamvis hîc de usu *mumiæ* interno agere, planè ἀλλότριον sit, cùm *Ceratum* hoc *de betonicâ* non deglutiendum ægroto offeratur, sed ejusdem capiti potius imponatur.

Interea, majoris securitatis gratiâ, *mumias artificiales* adhiberi posse, non contradico; quod jam in usu aliquibus esse, notum est.

Imò sine artis medicæ detrimento, isto remedij genere carere nos posse, *mumiasq́* ad nos delatas ad explendam curiosorum spectantium cupidinem adservare, rectius licere, arbitror; ut corpora ista *in ornamenta conclavium vertantur, tumbis quondam ac nocti credita sempiternæ*, ceu eleganter *l. c. Gryphius* effatur.

CERATUM CAPITALE pag. eâdem nullam experitur animadversionem, nisi quòd, additâ ejus præparatione, à Zvelfero *santalum citrinum rubro*, ab Augustanis posito, substituatur, *ladani* etiam, *ceræ*, & *resinæ*, sive *terebinthinæ* pondus exprimatur, immuteturque. Quorum neutrum tamen necessarium est.

De *santali* quidem substitutione agere, ad compositionem, non præparationem Cerati spectat.

Nec si reliquorum trium recensitorum simplicium partes æquales, & quantum ad desideratam Cerati consistentiam sufficit, sumantur, prout Augustani præcipiunt, animadversio hîc locum invenit.

CERATUM CERINE CTESIPHONTIS pag. eâdem nullâ notatu dignâ animadversione excipitur.

Circa CERATUM DIACHALCITEOS GALENI, SEU DIAPALMÆ *pag. 394.* animadvertit, quòd, rarus in locis Europæis *palmæ* proventus cùm sit, & non nisi in hortis quorundam Magnatum culta visatur,

visatur, non ubivis locorum Ceratum hoc dextrè, & quidem cum *palmæ* ramusculis confici possit. Prout etiam sæpissime se vidisse, testatur, solam rudiculam, ex *palmæ* ramo confectam, pro agitatione, in ejusdem præparatione, sive coctione, adhibitam fuisse, *atque taliter confectum hoc Ceratum in Germaniam, aliasq; Regiones, utpotè in quibus illud adeò benè & artificiosè scilicet, parari non posse arbitrati sunt*, ab exteris fuisse translatum. Sed in locis Europæis rarus licet *palmæ* sit proventus, propterea tamen Ceratum hoc ubivis locorum dextrè confici non posse, falsum est.

Quasi enim teneriores *palmæ* rami exsiccati (recentes quippe, sive humido nativo turgidos strictè sumendos esse, Augustani non requirunt) ad nos deferri haud possent; qui tot exoticis, etiam à Zvelfero compositionibus suæ *Pharmacopœiæ Regiæ*, destinatis, in Germaniâ quoque, fruimur, quæ Europæa tellus non producit. Multa sic Zvelferi medicamenta non ubivis locorum, nec in Germaniâ, confici possent.

Utrùm nonnullis in locis, quæ tamen à Zvelfero non exprimuntur, sola rudicula, è *palmæ* ramo confecta, pro agitatione, in Cerati præsentis præparatione, adhibita, taliterque paratum Ceratum in Germaniam, aliasq; Regiones, tanquam benè confectum, ab Exteris translatum fuerit? equidem nescio.

Sufficiat, Augustanis proprio Marte paratum hocce medicamentum in usu esse, qui nimirum satis benè & artificiosè à se illud, ex *quercu*, confici posse, jam dudum huc usque arbitrati fuerunt.

Nota, quam in fine suæ præparationis, quæ Augustanorum conficiendi modum non tollit, ponit, quòd scilicet in Germaniâ, aliisque locis, ubi *palmæ* haberi nequeunt, satis commodè rudicula, pro agitando Emplastro (vel potius Cerato) ex *viridi ramo querno* confici, & loco *teneriorum palmæ ramorum*, *folia tenera querna recentissima* substitui possint, non omnem animadversionem respuit.

Namque 1. *teneriores rami palmæ*, si expetantur, ubique locorum in Germaniâ, prout reliqua simplicia exotica, haberi possunt.

2. Rudiculam in defectu *ramorum palmæ*, ex *recenti ligno quercus* fieri posse, ipsi Augustani indicant.

3. Non est universale, quòd in Germaniâ *palmæ* haberi nequeant; utpote, quæ in uno alterove horto, ob raritatem, coluntur.

DIADICTAMNI SEU SACRI GALENI *pag. 395.* adnexum conficiendi modum erroneum esse, proclamat; cui idcirco alium subnectit. In quo tamen error consistat, haud declarat.

Quare,

Quare, cùm ibi errorem esse, deprehendere non liceat, diu hîc subsistere nolo, unicum hoc repetens, alium adscriptum præparandi modum, priorem erroneum esse, non evincere.

Dein notam aliquam adnectit, ac *squamam æris*, nec non *diphrygen* nihil diversum esse ab *ære usto*, quæ tria separatim in hoc Ceratum à *Galeno* recipiuntur. *Quid igitur*, sic quærit Zvelferus, *opus est*, *entia citra necessitatem multiplicare? Quod autem Galenus ea confuderit*, *mirum non est*, *cùm ipsius tempore similia metallica non ità distinctè*, *uti hodiernâ die*, *innotuerint*.

Verùm ut *æs ustum*, *squamam æris*, & *diphrygen* convenire inter se, Zvelfero concedamus, animadversio tamen hæc ad Augustanos non spectat; quibus nimirum præsens Ceratum in usu minimè esse solet.

Imò *diphryges* Eorum Officinis vix nominetenus notum est; cùm simplex istud in nullam aliam Dispensatorij nostri compositionem, quàm Ceratum hocce obsoletum, recipiatur.

Quid verò dicta corpora metallica sint, *Galeni* tempore non ita innotuisse, Zvelfero haud facilè adsentior.

Imò & ante ipsum eadem cognita jam fuisse, è *Dioscoride* colligitur, qui *lib. 5. cap. 47. æris* ustionem tradidit; *cap. 49. squamam æris* ex Cypriis officinarum clavis decussam esse, scripsit; & *pag. 79. diphrygis* tria genera recensuit, quorum *secundum* perfecti *æris* quasi subsidentem fecem esse, prodidit, quæ post frididæ aquæ adfusionem inveniatur.

Licet autem unum eorum, in dosi competenter auctum, loco trium substitui queat, ne entia citra necessitatem multiplicentur; errare tamen, qui contrarium faciunt, vix dici possunt; præcipuè cùm nec compositi vires immutent, nec ullam in præparatione difficultatem pariant, multò minùs precium augeant.

Ast multiplicationem hanc dignam esse, ponamus, in quam animadvertendum sit; ex eodem tamen fundamento, quòd scilicet entia citra necessitatem multiplicari haud debeant, major Zvelferi compositionum pars, quas in *Pharmacopœiâ Regiâ* describit, erronea, animadversioneque digna judicanda foret; videlicet, in quarum plurimis non duo, vel tria, sed plura ingredientia, naturâ quidem diversa, sed effectu, viribusque similia, e. g. alexipharmaca conspiciuntur, sicque entia præter necessitatem multiplicantur.

Sed hæc tantopere non urgeo; quin potius à Zvelfero simplicia aliqua, non solum virtute, sed & naturâ similia, uni eidemque composito admisceri, noto.

Cerussa

Cerussa enim, *minium*, *plumbum ustum*, & *lithargyrum*, nihil aliud, quàm *plumbi calces* esse, naturâ viribusque inter se minimè diversas, saltem puritate, atque nonnullis aliis externis accidentibus differentes, extra dubium positum esse, arbitror.

Id quod etiam Zvelferus *pag. 346. Pharmacop. Reg.* comprobat, scribens: *Cerussa & Minium ex hoc metallo* (plumbo) *arte parantur: quemadmodum & Lithargyrium non nisi Plumbum sapit: ex quibus omnibus ac singulis, saccharum, sal, sive vitriolum* (*seu quo insignias nomine*) *aquè ac ipso crudo Plumbo, elici possunt, puriora tamen ex uno, quàm ex alio.*

Pariter *pag. 337. animadvers. lithargyrum*, & *cerussam, simplices Plumbi calces* vocat.

Et nihilominus in *Pharmacopœia Regia Unguento de lithargyro seu Saturnino pag. 282*; & *Cerato ad hernias secundo pag. 307. lithargyrum* cum *minio* ponitur. In *Emplastro defensivo pag. 293. lithargyro*, atque *cerussa*; in *Emplastro de plumbo pag. 298. plumbo usto seu calcinato more figulorum*, nec non *cerussa* locus conceditur.

Quis, entia citra necessitatem in hisce multiplicari, dubitet?

Non absimile judicium de *pompholyge*, & *nihili albo* ferre, liceret.

CERATI DE GRATIA DEI, NICOLAI pag. eâdem diversam saltem addit præparationem; quod medicamentum tamen in usu nobis esse, desiit.

Pariter & *ISIS EX GALENO pag. 396.* aliâ methodo à Zvelfero paratur.

CERATO MATRICALI, VEL DE GALBANO *pag. cit.* aliquid, quo cum species in consistentiam Cerati coire queant, addere, necessum esse, monet; cùm non cuncta hanc compositionem ingredientia gummata in *aceto* se dissolvi patiantur, utpote *gummi animæ*, *tacamahacæ*, *bdellij*, *asæ fœtidæ*, quæ potius in *terebinthinâ*, & *oleis* solvantur; *galbanum* verò & *myrrha* aliquantum equidem in *aceto* liquefieri, non tamen veram & genuinam hanc esse solutionem, repetit. Speciosa hæc animadversio non usquequaque concedi potest.

Namque 1. nihil aliud, quàm quod in formulâ præcipitur, hîc requiritur, cum quo species pro debitâ consistentiâ uniri queant, si *galbanum*, & *myrrham*, in *aceto* dissoluta, pro reliquis speciebus in massam cogendis, sufficientia esse, consideretur. Uti enim ista solutio glutinosa est: ita eadem reliqua ingredientia, præcipuè dum optimè invicem in mortario nonnihil calido contunduntur & permiscentur, conglutinat quasi, & ob tenacitatem resinosam, tum propriam, tum aliorum ingredientium, cohærere facit.

Quod

Quod tamen Ceratum cùm citò durius evadat, *cerâ*, *terebinthinâ* &c. additâ, præcavere hoc, non interdico, nisi recens semper dispensare illud magis arrideat.

2. *Bdellium* dum inter ea gummata collocat, quæ *terebinthinâ*, & *oleo* dissolvi cupiunt, immemor est *animadversionis*, in *Emplastro stiptico Crollij* editæ, ubi *bdellium gummi mucilaginosum* esse, & in *aquâ* resolubile, admonet. Unde nec in *terebinthinâ*, nec *oleo* liquefieri illud potest, quæ oleosam, & *aquæ* contrariam naturam obtinent.

3. *Galbanum*, & *myrrha*, sive aliquantum, sive verè in *aceto* dissolvi, dicantur, sufficit, quòd, tanquam resinosa, *pro præparatione Emplastrorum*, *Unguentorum*, *&* *aliorum expetita*, *aceto* dilui, & quasi dissolvi possint; uti Zvelferus *pag. 128. animadverſ.* ipse concessit.

CERATUM OESYPI MESUES, & *PHILAGRII pag. 397.* conjunctim adgreditur, & vix mereri illa, scribit, ut ipsorum correctioni vel tantillum operæ demus. Neque ab ipsis Augustanis, correctioni eorum incumbendum esse, statuitur, qui utrumque, in Officinis suis ut prostet, neutiquam exigunt.

In priori tamen, dum nullo modo ad justam Cerati consistentiam illud cogi posse, nisi, cum dispendio tamen partium spirituosarum & oleosarum utilium, diu ac fortiter coquatur, & quasi comburatur, existimat, non simpliciter adsensum meretur. Etenim non una Ceratorum est consistentia, quorum aliqua liquidiora esse, ideoque ad Unguenta ferè posse referri, à nonnullis jam observatum fuit. His itaque mollioribus præsens etiam Ceratum adnumerari deberet.

Alterius Cerati præparationem *secundùm artem* absolvere, Pharmacopœum peritum latere nequit.

CERATUM DIAPIPEREOS GALENI pag. 398. vel album, vel nigrum, vel gryseum, pro diversitate cocturæ, & regimine ignis, confici, atque ideo antecedentes similium Emplastrorum animadversiones observari posse, notat. Illud cùm sit notissimum, nec Augustanorum præparationem indè infringatur, ipsumque Ceratum inusitatum nobis sit, ad sequens me confero

CERATUM EX PELLE ARIETINA ARNOLDI DE VILLA NOVA pag. eàdem, circa quod pariter diu subsistere nolo, licet vehementer à Zvelfero perstringatur; cùm ejusdem quoque nullus apud Augustanos usus existat. Unde magna apud Pharmacopœos nostros, de ingenti illud parandi difficultate, ut querela audiatur, causa hîc non subministratur.

Perfectiorem quidem parandi modum addi potuisse, non inficias iverim; ille tamen, ab Augustanis productus, ita comparatus est, ut à quovis, artem Pharmaceuticam edocto, facilè intelligi, & perfici possit; atque ita, eundem delere, nulla cogit necessitas, multò minùs stupidus is & absurdus mox dicendus est.

Unicum antequam ad aliud Ceratum me conferam, adhuc monere libet, quòd nimirum Zvelferus curiosè nimis *sanguinem hominis recenter è venâ extractum*, *& non siccum* sumere, *siccatumque substituere*, doceat. Quasi verò Augustani *sanguinem siccatum* recipiendum esse, innuissent, cùm simpliciter sanguinem posuerint, an liquidus, siccusve debeat esse, non exprimentes.

Quanquam illum potius ab ipsis intelligi, existimarem.

Circa CERATUM PRO HERNIOSIS D. D. NORIBERGENSIUM *pag. 399. aloën*, *tragacanthum*, & *gummi arabicum* in decocto aliquo adstringente & vulnerario dissolvere, liberum cuique relinquit, De quo cùm Augustani nihil habeant, aliud non addo, quàm ut pariter id unicuique liberum esse, velim.

Dein *ceræ*, ac *picis* quantitatem, dubius tamen, exprimit. Augustani autem eorum tantum, *quantum sufficit*, accipiendum esse, volunt.

In CERATI SANTALINI MESUES *pag. eâdem* confectione, pondera *ceræ*, & *olei rosarum* invertenda esse, animadvertit, si debita Cerati consistentia exoptetur. Ast hac ratione si animadvertere, & sine ratione compositiones Augustanorum reformare licet, virum se præstare Zvelferum, nullus dubito, qui negat ea, quæ αὐτοψία comprobat.

Ceratum enim hoc *santalinum*, servatis ingredientibus requisitis, eorumdemque pondere adsignato, secundùm artem præparatum, sic satis justam dare Cerati consistentiam, unicuique facilè experiri licet. Unde plura non adjungo.

In *CERATI SPARADRAPI VIGONIS pag. 400.* animadversionibus, ejus parandi modum, ab Augustanorum diversum, à Zvelfero saltem additum fuisse, deprehendo. Quare, præcipuè cùm medicamentum hoc obsoletorum Classi insertum sit, moras in eo nectere, nolo.

In CERATO STOMACHALI GALENI *pag. eâdem*, *ceræ*, & *Olei rosacei* lotionem, quam ineptam vocat, utpote qua saltem efficacia & fragrantia ipsorum eluatur, in *Unguentis rosarum*, *pomato*, & *Reginæ* se jam reprobâsse, monet, quam etiam hîc omittere, omnino utile esse, censet. Verum equidem est, ablutionem illam rectiùs omitti hîc posse. Zvelferus tamen, dum eam in *citatis Unguentis* reprobâsse se, scribit, fallitur.

Nam

Nam in *Unguentum rosarum*, quod *animadversionum pag. 359.* habetur, nec *cera*, nec *Oleum rosaceum* recipitur, multò minùs ulli loturæ animadversio scribitur; sicque ineptè satis exemplum hujus hîc à Zvelfero contra Augustanos adducitur.

Unguenti Pomati Amati Lusitani præparationem prorsus ridiculam esse, *pag. 357. animadversion.* quidem objicit; in specie tamen nec contra *Olei rosacei*, utpote quod in illius Unguenti descriptione haud reperitur, nec *ceræ* ablutionem quid profert.

In *Unguento viridi Reginæ pag. 363. animadvers.* adversus ejusdem in aquam frigidam expressionem insurgit; quæ ipsa tamen propriè ablutio dici nequit; multò minus *Olei rosacei*, quod nec ad hujus compositionem recipitur. *Cera* etiam, postquam Unguentum ex aquâ iterum extractum fuit, demum adjungitur, ut ita, in aquam fuisse eam præcipitatam, & simul ablutam, dici nequeat.

Solâ ac simplici ingredientium commixtione parari hoc Ceratum, ipsi Augustani jam notarunt.

Ceræ pondus nonnihil adaugendum esse, vel *olei* diminuendum, si solidior Cerati expetatur consistentia, non est dubium.

Licet etiam meliora stomachica Emplastra, quàm hoc Ceratum est, commendari possint, hîc tamen & de Ceratis agimus, & præsens *Galeni stomachicum Ceratum* non exiguarum esse virium, compertum habemus.





RESTITUTA
CLASSIS VIGESIMA,
Præparationes quorundam Simplicium, quorum in præcedentibus Classibus mentio fit, dilucidans.

PRæparationes in hac *Classe* contentas *destructiones* potius simplicium, *pro maximâ parte* dicendas esse, animadvertit Zvelferus. Quod quantopere invido & impotenti calamo arguat, ex speciali uniuscujusque examine patebit.

ADIPUM PRÆPARATIONEM *pag. 402.* ineptam lotionem, & quæ nullius prorsus utilitatis sit, adpellat; tum quòd pinguedinibus per crebras illas ablutiones multum de viribus detrahatur, tum quòd ipsis à lotione humiditatis aliqua impacta maneat, quæ postea in causâ sit, ut eò citius rancescant, situm contrahant, ac tractu temporis etiam ingentem concipiant putorem. Verùm si dextrè fiat hæc præparatio, nulla humiditas impacta ipsis remanet.

Post ablutionem enim superaddere coctionem, necesse est; id quod studiosè ab *Hafniensibus* in *Dispensatorio suo* observatur, dum *ad consumtionem humiditatis* eandem instituere, præcipiunt.

Et talia Pharmacopoei, si vel modicâ prudentiâ polleant, ignorare ipsi haud possunt.

Quæ adipum coctio, etiamsi recentes sumantur, necessaria esse videtur, si cita eorum corruptio præcaveri debet.

An enim sine humido aquoso illos esse, dici potest, si ita recenter ex animalibus desumantur? Quis etenim lympham per omnes corporis partes, consequenter etiam pinguedinem, dispersam negabit.

De rancoris periculo quidquam Augustanis objicere, Zvelferus rectiùs intermittere potuisset, qui se nimirum eidem animadversioni obnoxium reddit; dum *butyrum recentissimum* ad Unguentorum suorum compositiones

tiones ſæpius adhibet; hoc enim quòd multas, in ſui præparatione, vel à *lacte* ſeparatione, aquoſas atque ſeroſas partes recipiat, & quàm facilè rancescat, nemo ignorat.

Cæterùm per crebras ablutiones multum de viribus detrahi pinguedinibus, dicit, ſed non probat Zvelferus.

Ulterius adipum, pinguedinum, ac ſevorum loturam ſuperfluam nominat, quia, *ſi purè & nitidè ex animalibus excipiantur*, impura non ſint, neque pravâ aut noxiâ aliquâ qualitate infecta. Multum ſanè ſub illo: *ſi purè & nitidè ex animalibus excipiantur*, continetur.

Adipum enim, pinguedinum, & ſevorum extractio à Laniis, Venatoribus &c. peragitur, qui tamen tam nitidè iſtud negotium peragere, raró ſolent; adeo ut vel illorum causâ ablutio commendari queat.

Quamvis etiam purè ſatis ac nitidè ſi excipiantur, ob inhærentem tamen ipſis cruorem, qui aquam, cum qua lotura fit, inficit, celebrari poteſt.

Unde *Medici Londinenſes* in *Pharmacopœiâ ſuâ* præparationem hanc ſeqq. verbis *pag. m. 357.* tradunt: *Adeps ſeu pinguedo recens, exemtis venulis, fibris, & membranulis, ſimplici aquâ clarâ toties lavetur, donec pura, nec ampliùs cruenta effluat.* Ergo pinguedines, ut puriores evadant, lavantur.

Sed ob pravam, vel noxiam aliquam qualitatem, nemo Auguſtanorum, loturam inſtituendam eſſe, unquam præcepit.

Ipſe *Dioſcorides*, licet adipem ſaltem colliquatum ac colatum uſui reponat, quem modum Zvelferus commendat, tamen *pinguedinum* nonnullarum, uti *ſuillæ, urſinæ* &c. ablutionem *lib. 2. cap. 69.* tradit; atque *pingue laurinum, vitulinum, & cervinum, vino* ablutum, ad odorata Unguenta adhibet.

Ob explicatam itaque rationem, Adipum ablutionem admitti poſſe, patet.

De aliis eorum loturæ cauſis, dum vel acrium & mordicantium qualitatum removendarum, vel utilium aliquarum, uti ſuaveolentium, ope ſcilicet *aquæ roſarum*, alteriusve cujusdam liquoris odorati, *aquæ* loco adhibiti, inducendarum causâ inſtituitur, hîc agere, ſuperſedeo.

USTIONES ÆRIS *pag. 403.* cum *ſale communi*, vel *ſulphure* peractas, inſigniter diſcrepare, putat.

1. Cum *ſulphure* ſi *laminæ æris* purgatæ ſtratificentur & urantur, verè calcinari eas, atque fragiles evadere, ut in pulverem totaliter tundi poſſint, concedit, qui pulvis ſi ulterius ſæpiusque cum *ſulphure* calcinetur, tandem in *crocum* rubicundum redigi, vel aquâ ſæpius adfusâ in *vitriolum Veneris cæruleum* elaborari poſſit; quod *vitriolum* vehementiori calcinatione iterum

in

in *crocum Veneris* rubicundum, vel ſpadicei coloris commutetur. Sic eſt, multi & varij ſunt *crocum æris* parandi modi; prout etiam à deſtillatione *ſpiritus Veneris*, ſic Zvelfero dicti, *crocus* ejusmodi eligantiſſimus ſpadicei coloris remanet. Omnes autem iſti *croci*, ſive cum *ſulphure* calcinentur, ſive adfuſo *ſpiritu ſulphuris*, aut *vitrioli* ſolvantur, *vitriolum Veneris cæruleum* ſuppeditant; quod denuo omne, vehementiore calcinatione, expulſo ſpiritu acido, in *crocum* revertitur, qui iterum, iterumque in *vitriolum* redigi, calcinari, inque *crocum* reduci poteſt.

Crocus autem talis, ſive per ſimplicem cum *ſulphure* calcinationem, ſive ex *vitriolo* factus, quòd ſtupidiſſimè à quibusdam Chimicis aquâ edulcorari præcipiatur, ſic ſatis ſtupidè objicitur.

Et quidem quod *crocum*, ex *ære*, cum *ſulphure* ſimpliciter calcinato, productum, attinet, in iſtâ edulcoratione partem *æris*, cum particulâ *Spiritus acidi ſulphuris* ſolutam, ſeparari, utique verum eſt; an autem huic ſeparato *ſali metallico vitriolato* (ſic enim à Zvelfero vocatur) tota vis *croci*, adſtringens ſcilicet, & aperiens, adſcribi debeat? maximè dubitatur.

Eadem hîc ratio militare videtur, quæ *Marti crudo* debetur, quo de in *Electuario chalybeato* ſermo habitus fuit.

Æs uſtum enim inſtar *æris crudi* ſe habet, in hoc præcipuè differens, quòd crudum habeat corpus arctè compactum & concretum; uſtum verò pulveriſatione facilè in exiguas atomos divelli ſe, patiatur. Unde tali modo liberiùs agere, adſtringere, & exſiccare valet; prout v. g. in *Unguento Apoſtolico* ad ulcera depaſcentia adhibetur; ubi ſcilicet præſentiâ ſuâ illud ulcerum fermentum, ceu vocat Zvelferus, compeſcit, ſatisque manifeſtè, ſuperfluâ iſtâ humiditate conſumtâ, adſtringit.

Sed vim adſtringentem *æris uſti* in ſolo ejus *ſale metallico vitriolato* non conſiſtere, & ita *crocum*, ſale hoc ſeparato, omnem efficaciam haud amittere, ſi Zvelferi ſaltem Opera excutio, deprehendo.

Nam 1. *Mantiſſ. ſpagyr. part. 1. cap. 4.* caput mortuum, à deſtillatione *ſpiritus vitrioli Veneris* reſiduum, igne ad ultimum gradum usque adaucto, peractâ, *legitimum Crocum Veneris* adpellat, *virtute exſiccante & adſtringente pollentem, proficuum inſuper ad deſiccanda ulcera, quæ copioſo humore madent.*

Porrò, *omne caput mortuum Vitrioli, extremâ ignis violentiâ ſpiritu ſuo & oleo rubro privatum & exhauſtum, ita comparatum eſſe*, ſcribit, ut *quaſi mortuum corpus, nullo ſale, protinus à deſtillatione aquâ ſimplici ſuperfuſâ, prægnans ſit aut gaudeat.*

Si itaque talia mortua capita nullo ſale gaudent, & tamen virtute exſic-

exficcante atque adſtringente pollent, quomodo tota *croci Venerei* virtus, adſtringens etiam, ſali ejus metallico adſcribi poteſt? Cur idem *æri uſto* Auguſtanorum, per aquam à ſalſedine abluto, denegatur.

2. *Flores vitrioli Veneris l. c.* qui nihil aliud ſunt, quàm *crocus Veneris*, ex *vitriolo* & *laminis cupreis* cum *phlegmate vitrioli*, ſpiritu proprio acuato, extractus, *oleo tartari* præcipitatus, & aquâ ſimplici ſæpius adfusâ edulcoratus, atque ita omni ſale privatus, nihilominus aperiendi, i. e. per inferiora purgandi vi pollere ipſi dicuntur, ac ita ipſis per ablutionem illam non omnis efficacia detrahitur, & mortua terra efficitur.

3. Caput mortuum, à deſtillatione *ſpiritus vitrioli Veneris* reſiduum, *part. 2. cap. 9. Mantiſſ. ſpagyr.* ubi de *ſpiritus vitrioli* deſtillatione agit, expulsâ totâ radicali humiditate, ſpiritu, & oleo, ita ut *omni ſale vacuum ac deſtitutum* ſit, & ſi protinus peractâ deſtillatione cum aquâ elixivietur, *nulla prorſus ſalſedo exinde eliciatur*, *aut extrahi poſsit*, *crocum Veneris* adſtringente virtute præditum, adpellari poſſe, ſcribit; qui ſtudiosè adſervandus ſit, ne ſalinâ humiditate ex aëre imprægnetur, ac ita virtus adſtringens amittatur. Cur igitur *æri uſto*, à ſalſedine prorſus liberato, vim adſtringentem denegare liceat? Quomodo tota vis horum crocorum, & quidem adſtringens, ſali illi adſcribi poteſt, ſi hanc vim ab acceſſu ſalis amittit, inque contrariam, aperientem, immutat?

Unde *æris uſti*, quod inſtar *croci Veneris* ſe habet, vis adſtringens, ab Auguſtanis præcipuè expetita, per edulcorationem neutiquam tollitur, ſed potius, juxta fundamenta è Zvelfero modò adducta, demum introducitur.

2. *Uſtionem æris*, quæ addito *ſale*, vel *nitro*, peragitur, ſaltem aliqualem, non totalem ejus calcinationem eſſe, objicit, propterea quòd duntaxat ſuperficies laminarum nonnihil calcinentur, quæ ſi aquâ abluantur, & à ſale ſuo liberentur, *æs uſtum* fundum petat inſtar croci, in exiguâ quantitate, quem tamen inefficacem, & nullis manifeſtis ſiccandi, vel adſtringendi qualitatibus donatum eſſe, adfirmat. Verùm, etiamſi non primâ vice *laminæ æris* à *ſale* vel *nitro* totaliter calcinentur, ſufficit quòd pars earum aliqua uratur, & tota repetitis calcinationibus in crocum redigi queant.

De efficaciâ *æris uſti*, poſt *ſalis* ablutionem, prægreſſum croci hujus cum *ſulphure* parati Examen agit, quod huc adplicari à quovis facilè poteſt.

In AGARICI PRÆPARATIONE *pag. eâdem* nihil ſingulare adducit; qua tamen *agaricum* corrigi, optimo jure ſtatui poteſt; quia, dictitante Zvelfero ipſo, 1. per illam cum radulâ comminutionem à pluribus inutilibus partibus liberatur; 2. leviori negotio ſubtiliter teri poteſt; 3. commodiùs ægrotantibus propinatur, dum nauſeam, quam crudus facilè

cilè procreat, præcavet; quin per *Zingiberis* additionem idem in virtutibus suis exaltari, communis hactenus Medicorum sententia fuit; dum ignavam *agarici* vim ab acri *Zingiberis* virtute excitari &c. crediderunt.

Sed cùm Zvelferus de *agarici* virtute quædam *pag. 47. Appendic. animadvers.* non sine censurâ in Augustanos, producat, eadem paucis perpendere, placet.

Videlicet *agaricum*, expurgando capiti & cerebro dicatum, commodissimè non *infusione Zingiberis*, sed vel decoctis vel succis, capiti & cerebro expurgando destinatis, (ubi paulò post exempli loco *decoctum asari*, vel *mercurialis* ponit) sæpius insuccatum, & denuo leniter exsiccatum, in trochiscos efformari posse; per se enim haud ita efficacem eum esse, scribit, ut etiam drachma una intra corpus sumta (ob quantitatem tamen, molemque magnam, saporem insuper amarum, ingratum, nauseabunda) parùm operetur; colorem autem albicantem in *Agarico trochiscato* aliàs desideratum, sic perire, observans, eundem spernit, *quùm efficacia colori meritò sit præferenda.* Ubi notare convenit:

1. *Agaricum* non propriè purgando capiti & cerebro, sed educendæ pituitæ utplurimum ab Autoribus destinari, sive ea in cerebro, sive in ventriculo, vasis mesaraicis &c. hæreat.

Imprimis autem Augustani, quorùm hîc res agitur, nullam de illâ speciali virtute, sed de hac mentionem faciunt.

Prout *Pilulas de agarico Mesues* ad thoracem à crassis & pituitosis humoribus expurgandum commendant.

De *Extracto agarici simplici* adfirmant, quòd pituitam lentam & crassam, ex ventriculo maximè & mesenterio, nec non jecore, liene, pulmonibus, ac utero expurget, à *cerebro* quoque, nervis & artubus eandem, licet *debiliùs*, proliciat.

De *Agarico trochiscato*, pituitam crassam bile permixtam, & crassos viscidosque humores eum expurgare, ac viscerum obstructiones tollere, scribunt.

2. *Agaricum* non commodissimè cum *infusione Zingiberis* præparari, contra Dispensatoriorum putatam normam, *Pharmacopœiam Regiam*, militat, quæ *pag. 128. Agarici trochiscati* dextrum conficiendi modum indicatura, Lectorem ad *pag. 216. animadvers. in Trochiscos* remittit; qua adductâ paginâ *agaricum* folius *Zingiberis* infusi, cum *vino Cretico* facti, ope in massam redigere præcipit; & quidem optimo successu; quia *Zingiber* pituitæ lentorem incidit, segnem *agarici* vim excitat, & ventriculum contra adversam ejus qualitatem roborat.

3. Posse

3. Poſſe autem aliis decoctis &c. fungum iſtum impraegnari, nemo tam eſt ſtupidus, qui ignoret.

Prout etiam Medici, ubi ejuſdem uſum præſcribunt, alia quædam, ſtimuli loco inſervientia conjungere, jam dudum ſciverunt.

4. Non quidem movebo dubium, an *aſarum*, & *mercurialis*, præ aliis partibus caput & cerebrum expurgent, iiſque deſtinata ſint, ſed tantùm an per *decoctum aſari*, *agarici* vis, caput, cerebrumque purgans, intendatur?

Si enim *Helmontium*, magni à Zvelfero æſtimatum, audire licet, contrarium ſtatuendum foret; dum ſcilicet *tract. Natura contrariorum neſcia §. 45.* ſeqq. profert: *Multa per primam ſui bullitionem vires deponunt priſtinas. Aſarum enim ſic de vomitivo evadit diureticum.* Quæ ſententia non multùm à generali illâ Zvelferi abludit, qua in *præfat. Claſſ. 2. Pharmacop. Reg.* cathartica per diuturnam coctionem viribus ſuis haud parùm diminui, ſtatuitur.

5. Licet *agaricum* per ſe propinatum non adeo efficax eſſe, deprehendatur, id quod jam olim, antiquioribus etiam Medicis cognitum fuit, dum tardam ejus operationem obſervarunt; vis tamen ejus, additis aliis purgantibus, prout *Auguſtanorum Diſpenſatorium* aliquot exempla ſuggerit, vel aliâ præparatione, concentrando quaſi eam, ceu in Extracto fit, augetur.

6. Magnam ejus doſin requiri, quæ tamen nauſeabunda ſit, pariter notum fuit.

Unde ad *drachmas tres* usque *Ægineta* adſcendit.

Nauſeoſa autem quantitas ac qualitas juxta modum in *præced. §.5.* indigitatum, emendatur.

7. Efficaciam medicamenti colori præferendum eſſe, non impugno.

Aſt memor hujus eſſe debuiſſet Zvelferus in ſuâ *Confectione alchermes Pharmacop. Reg. pag. 180.* ubi eam *auri centum pluribusve foliis* exornat, quæ tamen gratia, à colore aureo, ad vulgi oculos paſcendos, efficaciam medicamenti infringit; veluti ex *Mantiſſ. ſpagyr. part. 1. cap. 1. pag. 316. 317.* colligitur.

Circa ALOES LOTIONEM *pag. eadem*, *aloën Socotrinam*, & *hepaticam*, ſi pura ſit, nec rebus heterogeneis permixta, hac impropriâ & inutili lotione opus non habere, notat. Sin ſordibus, puta ſtramine, lapillis, ſegmentis lignorum, & ſimilibus permixta ſit, eam diſſolvere & colare, neceſſum ducit. De nomine *aloës lotæ*, & ipsâ lavandi diverſitate, in *Pilularum aloëphanginarum*, ac *de aloë lotâ Examine* actum jam fuit.

Aloën, ſive *Socotrina*, ſive *hepatica* illa ſit, raró puram ad nos deferri, Pharmacopœi non ignorant; quòd ſi quandoque unum vel alterum fru-

ſtum puriſſimum ſit, quia tamen Pharmacopœus de hac puritate, ſolo adſpectu, certus eſſe utplurimum nequit, quid prohibet, quò minùs de illâ partium heterogenearum factâ ſequeſtratione ſe ipſum, per loturam, certiorem reddat? Unde nec inutiliter lavari, dici poteſt.

Hanc tamen partium heterogenearum ſequeſtrationem *vini ſpiritu*, non *aquâ* perficiendam eſſe, contra Auguſtanos decernit; quia illa partes etiam reſinoſas, quas *aqua* intactas relinquit, diſſolvit. Sed inutile hoc eſt monitum. Licet enim reſinoſa *aloës* pars ab *aquâ* perfectè non ſolvatur, diluitur tamen & fluida redditur; unde in *co'aturâ*, quam Auguſtani præcipiunt, ſimul cum reliquâ aquoſiori parte per colatorium tranſit, nec quidquam de eâ perditur, fecibus tantùm poſt ſe relictis.

Eâdem normâ Zvelferum *aloës* cum decocto aliquo aquoſo, uti *hellebori, pag. 64.* non accerſito *ſpiritu vini*, ſolutionem adgreſſum fuiſſe, *Pharmacopœia* ipſius *Regia* edocet.

In *Append. animadverſ. pag. 48. aloën* in viribus ſuis, & ſecundùm intentionem cujuſcunque Medici, *infuſione roſarum*, *violarum*, decoctis catharticis, vel aromaticis inſuccari poſſe, notat. Quæ omnia nota ſunt, licet non rejicienda.

De *aloës* autem cum aromaticis imprægnatione, quam alio modo, ac in *Pilulis aloëphanginis*, peſſimâ illâ inſolatione diuturnâ, qua ſpirituoſa vis penitus annihiletur, factum eſt, inſtituendam eſſe monet, ne parte balſamicâ aromatum depulsâ, eorum effœto & inutili decocto nos ſaturemus, in *Examine dictarum Pilularum* pluribus actum fuit.

Interea formulam, quam ſubjungit, ſi huic animadverſioni adplicare libeat, ipſi eandem ſcribi debere animadverſionem, adparebit; dum *radices calami aromatici*, & *galangæ*, nec non *abſinthium*, & *mentha odorata* in ſ. q. aquæ repetitis vicibus coquuntur, & hoc decoctum unà cum *aloë* additâ inſpiſſatur. Ubi certè enumeratorum ſimplicium ſpirituoſa & aromatica vis tota (terminos adplico Zvelferi) peſſimâ illâ coctione diuturnâ penitus tollitur & annihilatur, effœtoque ac inutili decocto *aloe* ſaturatur.

ALUMINIS USTIONEM *pag. 404.* ſub alembico terreo vitreato fieri poſſe, pro ſpiritu ejuſdem colligendo, equidem non negabo. Si tamen hoc in *alumine* obſervare, neceſſarium eſt, idem in aliis quoque ſpiritibus negligere non debuiſſet Zvelferus, v. g. in *Regulo antimonij ſimplici Mantiſs. ſpagyr. pag. 364*; ubi utiliſſimum *nitri* & *tartari ſpiritum*, Chimicis quibusdam *Clyſsi* nomine inſignitum, à *Schrödero* quoque *Aqua Stimmi ſulphurea* dictum, detonatione in vaſe aperto inſtitutâ, imprudenter, avolare coëgit.

ANA-

ANACARDIORUM PRÆPARATIONEM *pag. eâdem*, ad mitigandam eorum exurentem, vel summè calefacientem qualitatem, à Veteribus commendatam fuisse, existimo.

Ast cùm, monitore *Schrödero*, è quo forsan Zvelferus animadversionem suam hausit, tam excessiva caliditas *anacardiis*, prout ad nos deferuntur, tribui haud possit; an benè eorum præparatio instituta fuerit? non immeritò dubitari posset.

Quam tamen propterea ineptissimam mox adpellare, & pro summæ stupiditatis ac dementiæ indicio proclamare, impotentis animi non leve indicium præbet.

Aceto autem, qui colaturâ ab *anacardiis* tritis & maceratis separatur, *omnem vim & efficaciam anacardiorum* inesse, nugæ sunt; neque enim omnis *aceti* substantia per colaturam separatur, sed aliqua ejus pars cum *anacardiis*, postea exsiccandis, remanet, cui pariter utique virtutis & efficaciæ pars inest; neque etiam magnam *aceti* quantitatem sumere, opus est, quæ totalem *anacardiorum* extractionem peragere possit; prout aliàs Zvelferus pro omni virtute eliciendâ magnam satis liquoris quantitatem speciebus extrahendis adsignat.

ARI RADICUM PRÆPARATIONE *pag. eâdem* missâ, ipsas *radices ari* simpliciter exsiccatas in usum trahere, conducibilius fore, existimat; cùm acrimonia illarum in ipsâ exsiccatione iis adimatur. Verùm acrimoniam illam maximam, & exulcerantem qualitatem, quodammodo per exsiccationem infringi, negari nequit; ast omnem planè adimi, ipse gustus, cujus organa pungere non cessat, refutat.

Unde *radicem ari* exsiccatam, ne quid de ejus acri sale pereat, verum domitorem & expulsorem veneni arsenicalis cancri, vocat *Joseph. Quercetanus Pharmacop. dogmat. restitut. lib. 1. cap. 20.*

Præparationem itaque ipsis esse necessariam, statui posse, videtur.

Hanc tamen ita institui debere, animadvertit Zvelferus, ut tam frequenti adfusione *vini*, & toties reiteratâ ejus separatione opus non sit; cùm tali modo *tota vis & efficacia* è radicibus extracta eluatur; quare etiam, *vinum* unà cum radicibus exsiccandum esse, judicat. Sed illâ *vini* separatione sal istud mordicans, sive, uti vocant, aronicum, majori ex parte demi, nemo unquam negavit; eidem tamen totam *radicum ari* efficaciam adscribere, haud decet; cùm earundem *radicum ari præparatarum*, sive sale isto exutarum virtus multiplici experientiâ Medicis innotescat; ipsam etiam *Feculam ari*, eodem sale privatam, non omni efficaciâ destitui, observatum fuerit.

Aaron aceto bullitum mitescere, *magnorumq; casuum medelam fieri*, ipse *Helmontius*, parùm alioquin vulgaribus Præparatis favens, *Pharmacopol. ac Dispensat. modern.* §. *46.* testatur.

Sed neque omnem è radicibus hoc modo elui, contra Zvelferum, ex ipso Zvelfero, defendi posset.

Namque *vinum* ad duorum digitorum transversorum eminentiam, prout *Quercetanus*, cui hæc præparatio imprimis debetur, *l. c.* monet, si adfunditur, & infusione, quæ in loco frigido per 24. horas fit, separatâ, novum *vinum* bis eodem modo superinfunditur.

Nunc an in triplici hac infusione, in loco frigido, cum *vino*, ad eminentiam duorum digitorum transversorum adfuso, peractâ, *tota vis & efficacia* è *radicibus ari* extrahatur? *animadversiones*, in *Extractum agarici* scriptæ, edocent; ubi *agaricum* unicâ illâ *spiritus vini* ad eminentiam duorum vel trium digitorum in loco calido, vel tepido adfusione, totâ suâ efficaciâ neutiquam exui posse, objicitur, sed requiri, *ut bis terve ad minimum recentis spiritus reaffusio fiat*, & ita tres, quatuorve ad minimum cum *vini spiritu*, ad duorum vel trium digitorum eminentiam superinfuso, in loco calido, vel tepido, extractiones, cùm adjunctâ etiam expressione, fiant.

Jam Candidus Lector utramque extractionem, *radicum ari*, & *agarici*, conferat; & ibi 1. triplicem infusionem, 2. ad duorum transversorum digitorum eminentiam, 3. in loco frigido, 4. absque expressione, celebrari; hîc verò 1. quadruplicem ad minimum infusionem, 2. ad trium etiam digitorum eminentiam *spiritu vini* adfuso, 3. in loco calido tepidove, 4. cum subsequente expressione, commendari, ac necessariam judicari, observet.

Vinum unà cum radicibus exsiccare, minùs conducibile fore, pariter ex ipso Zvelfero statuere quis posset; cùm enim hac ratione à *vino*, nil, nisi vappæ nauseosæ particula, cum dictis radicibus remanere queat, quæ confortando stomacho tamen destinantur, eundem nauseâ potius infestabunt, atque ita plus oberunt, quàm proderunt.

In ASELLORUM PRÆPARATIONE *pag. eàdem* unicum hoc notatum vult, ne *vinum* effundatur, & abjiciatur, sed lento calore unà cum *asellis* exsiccetur. Neque enim venenositatem ullam ab *asellis* pertimescendam esse, quin potius cavendum, putat, ne in dosi, ac utendi modo error committatur. Sed *vinum* effundere, Augustani non præcipiunt, quin potius communiorem illum procedendi modum sectantur, qualem *Horatius Augenius epistol. & consultat. medicinal. tom. 2. lib. 9.* nec non *Guilielm. Laurembergius Epistol. de curat. calculi vesicæ*, tradunt, dum *millepedas* elotas in vase vitreato exsiccant ac pulverisant, & infuso *vino generoso*, quantum imbi-

imbibere possunt, rursus exsiccant, istamque imbibitionem & exsiccationem tertiò repetunt; cujus etiam modi in *Medicinâ experiment. Digbæanâ* mentio fit.

Neque inutile hoc modo evadere medicamentum lithontripticum, citatus *Augenius* binâ observatione, & *Laurembergius* proprio exemplo, testantur; quorum etiam *Dan. Sennertus lib. 3. Pract. part. 8. sect. 1. cap. 2.* meminit.

AVELLANARUM PRÆPARATIONEM *pag. 405.* nugacem & ridiculam vocat, quippe quæ talis sit, qua cuncta Dispensatoria, & ipsa *Diasena Nicolai* commodè carere possint, cùm à pauculis illis granis *avellanarum*, quarùm aliàs non exigua quantitas absque tam exactâ decorticatione comedatur, nullas eximias virtutes dicta *Diasena* mutuetur. Sed nugas has in *undecimæ Classis Examine* jam eventilatas majori ex parte Lector inveniet.

Posito verò, carere posse *Diasenam Nicolai* nucibus istis; an propterea præparatio earum nugax & ridicula mox dicenda est?

Multæ Zvelferi *Pharmacopœiæ Regiæ* compositiones hoc vel illo ingrediente commodè carere possent; an autem ingrediens illud mox idcirco explodendum erit?

Sic v. g. *Passulæ purgantes siccæ primæ*, & *Electuarium passulatum Pharmacop. Reg. pag. 48. amygdalis dulcibus* iisque dubio procul *decorticatis*, commodè carere possunt.

Cæterùm non solùm *avellanarum* decorticatio, sed etiam humiditatis consumtio in illâ præparatione traditur.

Illam verò, scilicet decorticationem, nugacem & ridiculam vocare, quia *avellanarum* non decorticatarum haud exigua quantitas comedi soleat, nugacis animadversionis nomen haud effugiet.

Aliàs nec *pistacia*, *amygdala dulcia*, & *semina cucumeris* decorticare, *passulas majores* ab arillis purgare &c. absque ridiculæ nugacitatis imputatione, liceret; quia plurimi *pistacia*, & *amygdala dulcia* non decorticata comedere malunt; *semina cucumerum*, ipsi fructui adhuc cohærentia, in acetariorum esu, nemo prius decorticare præsumit; *passulas majores* vel pueri multoties, sine arillarum prægressâ separatione, comedunt.

Et tamen Zvelferus *pistacia*, *amygdala dulcia*, & *semina cucumerum decorticata*, *passulas majores ab arillis repurgatas*, pro compositionibus nonnullis, in *Pharmacopœiâ Regiâ* aliquoties studiosè commendat.

Reliqua, uti dixi, in *Examine Classis undecimæ* dilucidantur.

BOLI ARMENIÆ PRÆPARATIONEM *pag. eâdem*, ut &

& omnium Bolorum, ac Terrarum cum *aquâ, vino*, vel *aceto* frequentem ablutionem rejicit; cùm omnis Terra aſtris impraegnata, ſaleque centrali, quod ita eluitur, imbuta ſit &c. Verùm aliquot in hac animadverſione ineptias deprehendo.

Cumprimis autem obſcura admodum eſt Zvelferi propoſitio, videlicet: omnem Terram aſtris impraegnatam, ſaleque centrali imbutam eſſe; quam tamen, tanquam indubitatam, omnibusque conceſſam praeſupponit.

Aſt, quod illam Bolorum ab aſtris impraegnationem attinet, explicandum prius eſſe, arbitror: quidnam per aſtra, an ſaltem majora illa cœli lumina, reliquasve ſtellas, vel omnia conjunctim, intelligi debeant? An ea, & qua ratione, quonam in poſitu ac conſtellatione Terras impraegnent? &c. Quibus habitis, tum demum de hypotheſeos valore decernendum foret.

Sed poſito, Terras aliquo modo ab aſtris impraegnari; videndum tamen adhucdum reſtat: an illud magnas Terris virtutes tribuat? annon Terra, à benigno aliquo influxu impraegnata, à ſubſequente malignâ aliquâ conſtellatione minùs ſalutares virtutes adquirere poſſit? num illud, quod impraegnatione communicatur, in illâ praeparatione, ſive loturâ annihiletur? an poſt peractam praeparationem Terra talis novae impraegnationi aſtrali ampliùs non expoſita ſit? & quae hujusmodi plura alia adduci poſſent.

De *ſale centrali* pariter obſcurè loquitur Zvelferus. Cujus naturam exprimere debuiſſet; an acidi, alcalici, alteriusve generis ſit? An fixum, vel volatile? quales poſſideat virtutes? an ſaltem in centro terrae, vel ubinam reperiatur? Probare, non nudè adſerere debuiſſet, quòd omnes, vel potiores Terrarum virtutes ipſi adſcribendae ſint &c.

Sed nitroſum ſal, quale in aëre deliteſcere, creditur, à Zvelfero indigitari, ponamus; neque hoc alicujus momenti eſt.

Probari quippe debet, virtutes omnes, vel potiores Bolorum ab ipſo proficiſci.

Mihi, *bolum armeniam* exploranti, ſal aliquod nitroſum quaſi, poſt aquae, cum qua Bolum praeparaveram, evaporationem ſe exhibuit, in minimâ tamen quantitate, ita ut *libra una* dictae *boli* nec integrum *ſalis granulum* ſuppeditaverit.

An ergo tam exiguam particulam, in tantâ terrae mole diffuſam, tam magni momenti eſſe, adſtruere decet, ut tam inſignes virtutes, ſcilicet potiores, vel omnes, *bolo armeniae* conferat? Quantum quaeſo ejus doſin unam boli ingredi poteſt?

Et

Et sanè pollicem nobis premit experientia, quæ bolum nostram, sic elotam, & sale centrali orbatam, effectus, qui ab eâ expectabantur, præstitisse, confirmat.

Quin si aliquæ fortè ablatæ essent, vim tamen desiccatoriam, cujus intuitu à *Galeno lib. 9. de simplic. medicament. facultatib.* ad dysenterias, ventris profluvia, sanguinis exspuitiones, & catarrhos, ad putrescentia oris ulcera, commendatur, adhuc superesse, nemo inficias ire potest.

Unde adparet, quàm inconsideratè Zvelferus de sale illo centrali loquatur, dum ait: *hoc ablato, omni etiam virtute terra spoliatur.*

Quanquam sui immemor, tribus saltem interpositis lineis, non omnes, sed potiores virtutes, in dicto sale fundatas, elui, tradat. Si itaque potiores (quod tamen adhuc probandum est) tantùm eluuntur, non omnes esse ablatas, & consequenter virtutes boli non à solo centrali sale proficisci, sequitur.

Pergit dein Zvelferus, & præparationem hanc relinquendam esse, putat, cùm quælibet Bolus satis pura inveniatur, ac ferè nullis, vel paucis lapillis comixta, quos tamen facili negotio ab iis, si qui sint, manuum operâ separari posse, tradit. Utique si Terrarum, & in specie *Boli armeniæ* lotura saltem lapillorum segregandorum causâ, qui tamen vel nulli, vel pauci ipsi essent commixti, & si hi pauci facili negotio manuum operâ separari possent, institueretur, inutilem præparationem hanc vocare fortè liceret. Ast id negatur; cùm non unicorum lapillorum inhærentium gratiâ, sed alium etiam in finem iste præparandi modus observetur.

Lapillos quidem à Bolo, prius in pulverem redacto, manuum ope segregari posse, non ibo inficias; sed non unicè lapilli, verùm etiam arenulæ ipsi inesse solent, quas solâ manuum operâ separare, tædiosum admodum foret.

Namque non unicè propter lapillos Terræ lavantur; verùm etiam, ceu *Galenus l. c.* habet, ut arenosa segregentur.

Interea non adeo magnam heterogeneorum illorum copiam Bolo nostræ commixtam esse solere, minimè negabo; ast aliquid in eâ deprehendi, experimento instituto, cognovi.

Præterea salsam aliquam, acrem, & peregrinam qualitatem Terris sæpius adjunctam esse, quis dubitet? cùm tot diversi saporis salia hinc indè in terræ visceribus lateant, quæ, præter sal illud Zvelferi centrale, Terris medicatis se admiscere possunt. Horum verò præsentia cum virtutibus Terræ nonnunquam adversetur, cur eadem separare non liceat?

Præcipuè in nostrâ *Bolo armeniâ*, quæ facultate exsiccatoriâ, profluviis ventris

ventris adversâ &c. pollere debet, plus ea nonnunquam obesse, quàm prodesse poterit.

Quare *Petr. Andr. Matthiolus com. in præfat. lib. 5. Dioscorid.* terram in simplicem, & compositam distinguens, per simplicem eam intelligit, quæ cum nullâ re fossili, neque cum aliquo liquido succo fuerit permista, item: *quæ nullam prorsus aluminis, aut salis, aut chalcanthi, aut bituminis, aut cujusvis alterius rei metallicæ mistionem admiserit*; & ita diversi generis salia &c. Terris quandoque se admiscere, adserit.

Unde cum Zvelfero consentio, & *laudabilius esse, rerum virtutes augere, quàm manifestè easdem destruere*, concedo. A veritate tamen Zvelferum aberrare, dum in hac præparatione manifestè Boli virtutes destrui, scribillat, ex hactenus dictis elucescit.

Quod Zvelferi modum præparandi attinet, eum suo in valore relinquo; quem laboriosum tamen observare, tantopere opus non est; cùm bolus illa rarò per se, sed utplurimum cum aliis, virtutem ejus augentibus, propinetur.

Sciunt etiam Augustani, sic à Veteribus quoque Medicis edocti, præparationes simplicium fieri, tum ut qualitas aliqua, quæ non expetitur, tollatur, tum ut quandoque nova aliqua inducatur, vel prior, quæ jam inest, intendatur.

Unde dum Augustani de illâ in hoc Capite loquuntur, hanc minimè rejiciunt, sed cujusvis Medici prudentis arbitrio, qui pro variâ intentione boli vires fortiores reddere novit, relinquunt.

Interea, num illa cum *rore majali*, vel *aquâ pluviali, ingenti* licet *tonitru & fulgure delapsâ*, boli frequens imbibitio alicujus momenti sit? dubitare liceret.

Uti enim liquores illi, si evaporationi committantur, nullum, vel paucissimum sal post se relinquunt, quin potius toti, relictis utplurimum paucis nonnullis fecibus, in auras abeunt: ita quoque in illâ frequenti boli cum aquis hujusmodi imbuitione ne idem accidat, metus est; ut sic, præter frequentes & inanes labores, nihil habeatur amplius.

Dein ad bolum imbuendam *decoctum radicum angelicæ*, atque *herbæ scordij* adhibet, quod postea leni in calore ad siccitatem reducit, *relictâ bolo efficacissimâ*. Mihi verò, ab hisce boli efficaciam non augeri, sed minui, potius videtur, si Zvelferi animadversiones, quas contra Augustanos urget, intueor.

Namque similium rerum odoratarum parti spirituosæ omnes nonnunquam virtutes adscribit, quibus evaporatis, residuum crassamentum, & partem

rem terrestriorem nullius efficaciæ esse, quæ mole suâ reliquorum virtutem saltem impediat, dosinque medicamenti augeat, objicit.

Unde dum in istâ *angelicæ*, & *scordij* decoctione, ac subsequente cum bolo exsiccatione partes activæ, oleosæ, & subtiles consistere nequeunt, sed, leni etiam calore, in aërem migrant, remanente saltem eorum parte crassiore, quem quæso effectum ex tali parato medicamento Zvelferiani sibi promittere possunt? Annon, tenuibus atomis in fugam pulsis, reliquæ boli dosin quodammodo augebunt, ejus virtutes infringent, effœtumque medicamentum efficient?

Contineri autem tales spirituosas partes in dictis duobus simplicibus, odor manifestè satis arguit.

Unde quoque *angelicæ radicem* destillationi, ope M. B. vel B. V. celebrandæ, in *Pharmacop. Reg. pag. 81.* in *Extractis antipestilentialibus*, *pag. 195.* in *Aquâ alexipharmacâ*, *pag. 208.* in *Elixir seu Aquâ vitæ antipestilentiali*, & *Liquore seu Essentiâ alexipharmacâ*, *pag. 212.* in *Aceto antipestilentiali*, commissam ab ipso Zvelfero fuisse, invenio.

Scordium etiam, præterquam quòd pariter in recensitis modò *Pharmacop. Regiæ* medicamentis destillationi adaptetur, huic operationi inservire, *dictæ Pharmacopœiæ pag. 21. Sirupi de scordio, simplex*, & *compositus*, *pag. 209. Liquor alexipharmacus*, atque *pag. 212. Liquor ad gonorrhœam virulentam & diuturnam*, comprobant.

Imò si ipsæ in Dispensatorium nostrum Zvelferi animadversiones evolvantur, earum *pag. 295. angelicam* illis, quæ destillationi in B. M. adcommodata sunt, adnumerari, deprehendetur; & in his *boli armeniæ præparationis animadversionibus*, bolo, cum decoctis illis imbutæ, *oleum angelicæ*, quod coctione, & exsiccatione in auras mittitur, addi posse, scribit.

Pariter *pag. 37.* in *Sirupi de scordio simplicis* præparatione commendat destillationem, ut spirituosior quæ prodit aqua, Sirupo reddi queat, sicque *scordij* vis antiloimica excellens conservetur & augeatur.

Idem de boli nostræ, cum *scordio*, *rutâ*, *corticibus citri*, præparatione, *pag. 51. Append. ad animadvers.* traditâ, judicium esto.

Perpende nunc Lector Benevole, (liceat aliquibus Zvelferi verbis loqui) *quantum hæc præparatio discrepet* à contentiosâ *illâ præscriptâ* reformatione, quam contra Augustanos aliàs urget, quòd *corruptiva potiùs*, si Zvelferi fundamentis insistamus, *quàm perfectiva*, *& ob id meritò* unà cum animadversione Augustanis scriptâ, *delenda sit*, *ne posteris innotescat, quòd in rebus tam levidensibus adeò crassos commiserit errores.*

Animadversionibus hisce ad finem perductis, ADDITIONEM aliquam

quam producit, suadetque, ut, si Bolus, vel Terra aliqua medicinalis sigillanda, lavanda, eluenda, & à suis recrementis, rebusque heterogeneis, lapideis arenulis, sabulo, vel stipitibus, aut paleis, beneficio lotionis segregari debeat, illa Terra, si siccata & arida sit, à majoribus lapidibus, aliisque rebus heterogeneis, quantùm fieri potest, liberetur, pulverisetur, (recenter verò effossam & humidam trituratione hac non indigere, animadvertit) & sensim adfusâ aquâ pluviali, si haberi queat, tonitruis delapsâ, aliquandiu in mortario largo cum pistillo agitetur, tandem aliquot momentorum quiete concessâ, aqua à Terræ crassioribus & terrestrioribus partibus, ejusque lapillis & sabulo fundum petentibus, per inclinationem in aliud vas purum decantetur, novâque remanentiæ dictæ aquâ adfusâ labor hic repetatur, totiesque iteretur, usque dum subtiliores Terræ partes à reliquis inutilibus separatæ fuerint. Quo facto, cùm in illâ aquâ sal minerale, subtile, & universale, cui potiores, easque virtuosiores Terræ partes tribuit, solutum sit, ne aquæ hujus effusione nobilis illius salis jactura fiat, aquam in leni calore, retro fornacem, terreo in vase, chartâ benè tecto, leniter evaporandam esse, usque dum Terra planè siccata, aut ad sigillandum apta fuerit, præcipit.

Sed liberalitas Zvelferi, qui omnia sua arcana, dummodo multa ipsi essent, in Lectorem profundere satagit, hunc unicum modum communicare haud concessit; quare secundum etiam adjungit, videlicet, aquam istam, Terræ elotæ supernatantem, & per inclinationem ab eâ separatam, in vitreo vase, in M.B. abstrahere, & quod ab abstractione in residuo manet, Terræ elotæ restituere, edocet &c.

Plura in hisce virgulam censoriam requirerent, quorum unum & alterum saltem tangere, libet.

1. Tota hæc additio planè inutilis est, nec nisi chartæ maculandæ inservit.

Si enim, quod in animadversionibus modò examini subjectis, habet, verum est, quòd *qualibet Bolus satis pura invenitur, ac ferè nullis vel paucis lapillis commixta, qui tamen facili negotio ab iis, si qui sint, manuum operâ separari possunt*, si, inquam, hoc verum est, quis prolixum illum Additionis discursum inutilem, superfluumque esse, dubitet?

Sin dictus discursus in nonnullis Terris attendi meretur, animadversio illa, de *qualibet Bolo* agens, animadversione indiget.

Unde etiam manuum operâ lapides, aliasque res heterogeneas sequestrandas esse, *quantum fieri potest*, in discursu præsenti notat.

2. Terram, antequam lavetur, prius à majoribus suis lapidibus, aliisque rebus

rebus heterogeneis, quantum fieri poteſt, ſegregandam eſſe, docet. Quod tamen haud neceſſarium eſſe, moleſtumque hunc laborem rectiùs omitti poſſe, arbitror; ſiquidem illi ipſi lapides commodè ſatis unà cum reliquis lapillis, & ſabulo, quæ manualem illam ſelectionem ſubterfugerunt, mediante aquâ, ab utili Terræ parte ſegregari poſſent; ne ſcilicet labor duplicetur, quem aliàs ſe contrahere, Zvelferus videri voluit.

3. Terram, ſi ſiccata & arida ſit, antequam lavetur, pulveriſari debere, pariter non adeo neceſſarium eſſe, mihi videtur. Superinfuſa enim aqua glebas illas facilè pervadit, earumque particulas diſcontinuat, non minùs cum piſtillo factâ agitatione continuâ negotium hoc adjuvante.

4. Si Terra pulveriſata diligentem juxta Zvelferi regulas agitationem experta, &, quietis juſto momentorum ſpatio obſervato, aqua debitè decantata, hæcque operatio adhuc ſemel iterata fuerit, ulteriori labore, his verbis: *hæc operatio toties & tamdiu repetenda, donec ſubtiliores partes omnes terræ ſeu boli unà cum aquâ ſeparatæ fuerint &c.* à Zvelfero indicato, opus minimè erit, cùm duabus iſtis vicibus non poſſit non ſubtiliorum partium plenaria ſeparatio facta eſſe.

5. Sali, quod in aquâ illâ, ad lavandam Terram adhibitâ, ſolutum eſt, *potiores eaſque virtuoſiores* (quanquam hoc reſpectu, quo à Zvelfero id uſurpatur, idem eſſe To potiores, & virtuoſiores, exiſtimem) partes deberi, meritò dubitari poſſe, ſupra jam innui, præcipuè cùm ſalia illa in terræ viſceribus latentia, terriſque ſe adjungentia, non unius ſint generis, ſed varia variis in locis exiſtant.

Unde facilè accidere poteſt, ut Terra aliqua noxio aliquo potius, quàm ſalutari & adpropriato, imbuatur, à quo potiores virtuoſioresve ejus partes diminuantur & inquinentur.

6. Aquam illam Terræ elotæ commixtam, retro fornacem, terreo in vaſe, chartâ benè tecto, leniter exhalare debere, dum ſtudioſè monet, haud leves agit nugas.

Alio namque etiam calore, v. g. Balnei, qualem in ſecundo modo commendat, breviori tempore, item in vitreo vaſe (terreum fortè, cùm de terris agat, eligit) exhalatio illa fieri poſſet.

7. Hujuſmodi Terræ lotione dum recrementorum, uti lapidum, arenularum, ſabuli, ſtipitum, & palearum, tanquam partium heterogenearum, à Terræ homogeneis ſeparationem quærit: ſed tradito illo modo eaſdem omnes tollere minimè edocet.

Stipites enim, atque paleas, & ſi quæ alia nonnulla leviora recrementa

 fuerint,

fuerint, commendato isto momentorum aliquot spatio fundum semper haud petere, extra dubium positum esse, existimo. Quare eadem cum partibus Terræ utilibus, & aquâ, dum hæc decantatur, simul à subsidentibus partibus inutilibus, crassioribus segregantur, ac postea, si cum terrâ utili, tractu temporis subsidente, fundum non petant, ipsique permisceantur, cum aquâ effusâ, & remanentiâ, quæ post debitam aquæ exhalationem impetratur, conjuncta, Terræ iterum adsociantur.

Nullam etenim colaturæ vel filtrationis, cum aquâ istâ obeundæ, mentionem facit Zvelferus.

8. Sal illud, quod in aquâ constituit, tantisque laudibus exornat, subtile vocat; ast, si subtile est, volatile etiam sit necesse erit, & quod evaporante aquâ, simul exhalet.

Unde quantas Terræ, Zvelferiano etiam modo paratæ, virtutes id largiatur, quilibet ipse facilè videre potest.

Siquidem subtile Zvelfero idem, ac volatile esse, ex variis ejus Operum locis demonstrari potest, exemplumque ejus *animadversiones in Sirupum de absinthio* subministrant.

Sed relinquamus Zvelfero hanc, quam veram, genuinæque rationi consentaneam sinistrè vocat, præparationem, & ad reliqua Præparata accedamus.

CANTHARIDUM PRÆPARATIONEM *pag. 407.* intactam relinqueret, *nisi aërem*, sic loquitur Zvelferus, *quovis vapore, sive aceti sive alterius humiditatis multò subtiliorem, & consequenter etiam penetrantiorem esse, constaret. Itaque ubi acetum sive ab eo relicta humiditas per chartam pergamenam exhalare potest & debet, si Cantharides exsiccare volueris, ibi multò magis aërem penetrare posse opinor: adeoq; has nugas ex præscripto tractare penes Pharmacopœi arbitrium esto, nos ludicra illa non curamus.* Certè nec mihi, ludicram hanc animadversionem multùm curare, animus est; quin potius eam, tanquam nugacem, paucis saltem percurram.

Interea cavillari eum voluisse hæc Augustanorum verba: *Cantharides in fictili sicco, chartâ pergamenâ benè clauso, exsiccentur, ne aër ipsas contingat,* arbitror.

Nec diffiteor, aërem subtiliorem & penetrantiorem esse *aceti* vapore, qui in *cantharidum* exsiccatione exhalare debet.

Ponamus etiam, *aceti* particulas, quas *cantharides*, dum ejusdem vapore enecabantur, imbiberunt, necessariò chartæ pergamenæ poros in exsiccatione transire. Et hac ratione, aërem chartam istam penetrare posse, facilè largior.

Dum

Dum verò Auguſtani exſiccationem hanc ita inſtituendam eſſe, volunt, ne aër *cantharides* tangat, non ipſum aërem, quatenus talem, intelligunt, utpote qui, Jovis omnia plena eſſe, probè ſciunt, ſed aërem externum, pulviſculis, rebusque heterogeneis per ipſum ſparſis gravidum, innuunt, atque ita, ne talis impurus aër *cantharides* tangat, volunt, ſed potius ut is, vel ob chartæ pergamenæ impoſitionem excludatur, vel, ſi, aëre incluſo expulſo, ille aër externus in iſtius locum ſuccedat, à dictis inquinamentis, per chartæ nominatæ poros tranſiens, purificetur.

Quam ob cauſam etiam Zvelferum herbarum, florum, & corticum recentium exſiccationem, eadem nimirum in umbrâ, cum cautelâ, & chartâ deſuper operta ſiccando, *Pharmacop. Reg. pag. 103.* in *Pulvere groſſo ad ſacculos pro epithemate cordis & pulſibus*, aliisque in locis inſtituiſſe, dici fortè poſſet.

Nugas itaque Pharmacopœis tractandas ab Auguſtanis imponi, neque Eorum adducta verba, neque Zvelferi animadverſio evincunt.

In CAUTERII POTENTIALIS, SEU LAPIDIS SEPTICI PRÆPARATIONE *pag. eâdem* ſtudiosè cavere jubet, ne illa in vaſis æneis, vel ferreis fiat, cùm *calx viva* metallis, vel potius ſulphuri ipſorum ſummè infeſta ſit, quod allicit, ſolvit, & ex parte deſtruit. Quanquam animadverſio hæc vel eâ ratione ſuperflua ſit, quia in præſenti præparatione, *ut artis eſt*, procedendum eſſe, ab Auguſtanis innuitur, peritus autem Pharmacopœus ipſe non ſolùm, quale vas ad negotium hoc adhibere, ſed & quo modo in reliquis quoque procedere debeat, probè cognitum habet, nonnihil tamen hîc notare libet.

Quamvis illa de *calcis vivæ* in metalla potentiâ opinio concedatur, an tamen cautio, quam exinde pro Cauterij hujus præparatione colligit Zvelferus, ſingularis momenti ſit? controverti adhuc poſſet. Si enim aciditatem aliquam (quæ ſive ſpiritus, ſive ſal vocetur, hîc parùm refert,) *calci vivæ* ineſſe, ſtatuatur; hanc eſſe metallis infeſtam, dici poſſet, quatenus rodendo in ea agit. Aſt cùm eadem aciditas ab alcali *cinerum clavellatorum*, in aquâ ſoluto, promtè abſorbeatur, ſive, ut Zvelferi modo loquar, deſtruatur, non video, quòd hîc ſingularem aliquam in vas æneum vel ferreum, ſcilicet roſione, agendi poteſtatem retineat.

Ineſſe autem tale aliquod acidum *calci vivæ*, ipſe Zvelferus *pag. 276. animadverſ.* ſtatuit, ubi de *ſalis viperarum volatilis* cum *calce vivâ* fixatione agit, ſcribens: *Eò quòd viderem aquam calcis vivæ potentem eſſe (licet destructiva ejus aciditas promptè & per ſe annihiletur, & in auras abeat,).*

Cæterùm

Cæterùm non jam negabo, quòd pro Cauterio *fraxini cinis*, per simplicem ligni & corticum combustionum recenter paratus, inserviat, illudque Chirurgis nonnullis quàm maximè in secretis habeatur; quod tamen secretum insignis Zvelferi liberalitas boni publici causâ revelare voluit.

Sit itaque Cauterium istud nobile, & quavis laude dignum. Interea tamen alterum illud ab Augustanis adductum effectus suos non minùs laudabiliter præstat.

Tanti id experientiâ usum ejus edoctus, facit *Joh. Heurnius*, ut *lib. 1. method. ad Praxin Medicam*, *sexcentorum remediorum causticorum utilitatem illud vincere, Medicisq; abundè sufficere*, scribat, *& securitate, & vi agendi, qua cuncta alia excellit.*

Hoc enim *Heurnio*, aliisque Practicis magnopere laudatum Causticum è *lixivio acerrimo Saponariorum* conficitur; quod lixivium ex alcali combustorum vegetabilium, & *calce vivâ* parari, notum est; quo de scitè satis *Exc. Tackenij Hippocrates Chimic. cap. 4.* tractat.

Nec sanè aliud deesse ipsi puto, quàm quòd nostro tempore vulgare admodum, atque notissimum jam existat, nec ab Augustanis in secretis habeatur. Quod tamen ad ejus virtutes minuendas, vel exaltandas nihil facit.

Illa secretorum ejusmodi possessio quandoque magnam vanitatem redolet, eorundemque revelatio ridicula existit.

Dan. Sennertus cap. ult. Institut. de hujusmodi Cauteriis potentialibus agens, sequentia profert: *Materia & compositio multiplex est, ac vix Cheirurgus est, qui non hîc aliquid secreti jactitet.*

In *Append. animadvers. pag. 51.* hoc insuper de nobili istâ *cinerum fraxini* vi causticâ notandum esse, monet, *quòd cinis is recenter combustus, (nam paucis saltem diebus vigorem servat,) illicò modulo nimio inclusus ad magnitudinem Ciceris, paulisper salivâ saltem madefactus, pro fonticulis excitandis, ad debitum locum applicari debet.* Nolo diu hîc subsistere, sed paucissimis saltem unum alterumque notare libet.

1. Cauterium hoc, ratione laboriosæ præparationis, ut & vulgaris operationis, adeo *nobile* haud esse.

Chirurgus enim quotiescunque illud adhibere, necessum habet, ferè semper noviter id parare cogitur, quia paucis saltem diebus vigorem servare dicitur.

Unde *Nob. Thom. Bartholinus histor. anatomic. & medicar. centur. 5. histor. 36.* inter incommoda, (sic enim vocat) quæ cinis iste habet, hoc etiam commemorat, quòd cinis recens semper esse debeat.

Econtra

Econtra illud, è *lixivio Saponariorum* paratum, diu ſatis integrum perſiſtit.

Pariter nec operationis intuitu prærogativam *cinis fraxini* meretur. Nam utrumque eſcharam inducit.

Lixivium quidem prædictum inſpiſſatum citò ſatis, tutò, & jucundè operatur.

Etenim breviſſimo tempore, ac horarum duarum, vel trium ſpatio, ſine ullo dolore, aliiſque ſymptomatibus eſcharam inducit, ceu *Sennertus d. l.* teſtatur.

2. Illicò, poſtquam *cinis* iſte *fraxini* per combuſtionem paratus eſt, *modulo nimio* incluſum, eſſe adplicandum, Zvelferus docet, obſcurè ſatis. Nec enim quid per *modulum nimium* intelligat, facilè videre licet, niſi divinando id adſequi concedatur.

Clariùs à *prælaudato Bartholino* cineris hujus, ex ſolo *mediano fraxini cortice* producti, Hafnienſibusque Chirurgis uſitati, adplicatio *l. c.* traditur, nimirum: *Cinis per cribrum transmiſſus lineo globulo detrito includitur, & aquæ calenti tamdiu immergitur, donec totus incaleſcat, tum ſtatim ſignato loco globulus applicatur & emplaſtris tegitur.*

Ubi ſimul obſervo, elegantiorem Chirurgum *fraxini cinerem*, quò ſal in eo contentum ſolvatur, ſicque agere poſſit, aquâ potius calidâ, ceu Hafnienſes faciunt, madefacere, quàm, Zvelferi ad exemplum, *ſpurcitie* illâ (quo epitheto in *Animadverſionib. Emplaſtri de ranis cum Mercurio Vigonis* à Zvelfero *ſalivam* exornatam fuiſſe, invenio) imbuere, præcipuè ubi delicatioribus, pro fonticulo excitando, ille adplicandus venit.

CERUSSÆ LOTIONEM, VEL ABLUTIONEM *pag. eàdem* æquè ac *Boli armeniæ*, vel ſimilium rerum ablutionem ineptam adpellat. *Quid enim* (ſic pergit Zvelferus) *impuritatis continet Ceruſſa, quæ ablutione indigeret? Eſt enim per ſe calx metalli puriſsima ex plumbo confecta, nec præter tantillum ſalis proprij aliud quicquam lotione ab ea auferri poteſt, quod tamen ſal ſive Saccharum Saturni Ceruſſæ eſſentia eſt; illam itaque ſtudiosè abluere ſtupiditatis & dementiæ rem plenam eſſe*, tandem calumniatur. Verùm in hanc *ceruſſæ* ablutionem Zvelferus jam in *Animadverſionib. Unguenti albi, ſive de ceruſsâ ſimplicis, & camphorati* dum debacchatus fuit, ipſi in earundem *Examine* obviam ivi.

Ponamus autem, in lotione illâ aliud quid non impetrari, niſi quòd *ſaccharina Saturni dulcedo*, ab *aceto* producta, eluatur; cùm tamen ſolutum, vel ſal iſtud, uti Zvelferus id vocat, tantillum ſit, nec *ceruſſa* abluta viribus nativis orbetur, non video, cur tantilli hujus ſeparatio tam rigorosâ & injuriosâ animadverſione indigeat?

Sed

Sed tam acerbè Auguſtani exagitandi fortaſſe fuerunt, cùm illud, quod abluendo *ceruſſæ* adimitur, proprium ſal *plumbi*, ſive *ceruſſæ* eſſentiam eſſe, ipſe crediderit. Quod tamen adſertum, ſi cui Zvelferiana eloquentia placeret, ſtupiditatis, & dementiæ plenum eſſe, rectiùs dicere liceret.

Namque ſi ipſius Zvelferi mentem, diverſis in locis, cumprimis in *Appendice animadverſionum*, excutiamus, quòd illi, qui ſimilia tradunt, hallucinentur, Animadverſorem noſtrum vociferare, deprehendemus.

Unde cumprimis *pag. 69. Append.* vitriola cujuscunque metalli non eſſe vera metallorum ſalia, ſcribit, ſed *metalla ipſa ſoluta cum totâ ſubſtantiâ, quæque denuò in priſtina metalla converti poſſunt vi ignis.*

Qua ratione etiam *ſaccharum Saturni*, quod inter vitriola reponi meretur, beneficio *aceti* extractum, vel potiùs ſolutum, facillimè, paulò violentiori igni traditum, in *plumbum* verum abit & redigitur; de quo vid. *pag. ſeq. 70. Append.*

Neque ſaccharum hocce *ceruſſæ*, vel *plumbi eſſentiam* dici poſſe, *pagina citata* edocet; ubi Zvelferus reſolutionem daturus quæſtionis: Utrùm *ſacchari Saturni* extractio ſit vera extractio, an verò ſolutio? Aliud eſſe, ſubjectum, vel corpus ſolvere, reſpondet; aliud, eſſentiam, vel tincturam ex eo elicere, vel extrahere. Ex quo fundamento concludit, *ſaccharum Saturni* eſſe verum *vitriolum plumbi*, imò ipſum *plumbum* ſolutum; unde etiam levi operâ in priſtinum metallum, i. e. *plumbum*, reduci poſſit.

Sit itaque tantillum illud ex *ceruſsâ* per loturam ſeparatum, non *proprium ceruſſæ ſal, & eſſentia*, ſed ipſius *ceruſſæ* ſubſtantiæ particula, & acidum ſal *aceti*, nimirum quod rodendo cum eâ coagulatum fuit.

De CHALCITIDIS PRÆPARATIONE *pag. eàdem*, in diſcurſu de *Theriacâ* actum fuit.

Circa CHALYBIS PRÆPARATIONEM EX ACETO, *pag. cit.* nec non CUM SULPHRE *pag. 408.* animadvertit, omnes has præparationes eò tendere, ut *ferri* ſolutio fiat. Unde non adeo neceſſum eſſe, putat, ut, quod nonnulli Chimici præcipiunt, *limatura chalybis*, vel *ferrum* non ſolutum, à ſoluto, & in pulverem converſo *chalybe* per ablutionem ſeparetur, ne *Mars* ſuo ſale vitriolato, dulci, proprio, & *aceti* ſpolietur. Verùm hoc cum Auguſtanos non tangat, utpote qui ablutionem illam non præcipiunt, moras hîc nectere nolo, ſed animadverſionem iſtam, quos ea adficit, examinandam relinquo.

Aſt dum Auguſtani *limaturam chalybis* ſepties, juxta Zvelferi quidem mentem, (quæ tamen à vero longè aberrat, cùm potius Auguſtani octies *limaturam Martis aceto* imprægnent; ſemel enim factam *aceti* adfuſionem

ſepties

ſepties repetendam eſſe, ſcribunt) cum *aceto vini acerrimo* imbuere, jubent, cenſuram Zvelferi incurrunt, qui ſeptenam illam madefactionem, exſiccationemque, pro *chalybe* in pollinem convertendo, non ſufficere, ſed pluribus opus eſſe, contendit, prout plus, minusve limaturæ fuerit, aut *acetum* forte exſtiterit. Verùm huic in animadvertendo labori ſuperſedere utique potuiſſet, qui fortè præparationem hanc ritè nunquam celebravit.

Sufficere enim ſeptenam, vel octonam, pro limaturâ ad pulveriſandum aptâ reddendâ, *aceti* adfuſionem, ſi ea juxta Auguſtanorum mentem ritè fiat, quivis facilè experiendo diſcere poteſt.

Et licet magna limaturæ quantitas ſumatur, nil quidquam tamen ea operantem impedire poteſt, cùm & tunc majorem *aceti* quantitatem requiri, unicuique pateat, ſi tantum aceti adfundere velit, *ut tota limaturæ quantitas in eo madeat.*

Aceti etiam differentia, quam adducit, nihil evincit, quia Auguſtani *acetum vini acerrimum* adfundi debere, notant.

Poſſe autem crocum hunc diverſis aliis modis parari, nemo eſt, qui ambigat.

Sit tædioſus & diuturnus labor ille, adducta tamen Zvelferi præparatio propterea nullam prærogativam meretur.

Nam Auguſtanorum commendata *limaturæ chalybis* cum *aceto vini acerrimo* irrigatio, ut & ſubſequens repetita pulveriſatio brevi temporis ſpatio abſolvitur, atque ultimò ſuper porphyritem inſtituta lævigatio paucis horis peragi poteſt, ut ita vix integra dies, ſi omnes hos labores computes, præparationibus his deſtinetur; reliquum enim temporis, quod limaturæ cum *aceto* macerationi exſiccationiq; impenditur, licet diuturnum quodammodo ſit, tædioſum tamen dici haud debet, cùm materia iſta loco calido concredita, e. g. fornaci aliàs calefaciendæ impoſita, nullum ampliùs laborem, qui tædioſus eſſe poſſet, requirat.

Quin tres, quatuor, pluresve ſeptimanas vix ſufficere huic labori, inſignis eſt hyperbole; imò vix unam requiri, artifex prudens non ignorat.

Unde ſi illa à Zvelfero adducta *limaturæ Martis* cum *aceto deſtillato* in ollâ vel patellâ ferreâ, coctio conſideretur, quam unicâ die abſolvi poſſe, ſcribit, vix ullum laboris compendium fieri, elucеſcit.

Accedit duplex incommodum, quo hic Zvelferi modus laborat, tum quòd *acetum deſtillatum*, non ſine tædioſâ deſtillatione impetrandum, adhibeat, cùm tamen eidem negotio optimè quoque *acetum vini acerrimum* inſerviat, quod etiam ratione tartari ſui, qui in deſtillatione illâ vulgari non

 elevatur,

elevatur, ſed in fundo cucurbitæ &c. remanet, in *Martis* corpus agit, illudque rodendo in pollinem redigit; ut ita labor ille deſtillationis fruſtraneus exiſtat; tùm quòd in violentâ iſtâ coctione magna *aceti* hujus pars in auras abeat, antequem *Martis* corpus invadere poſſit. Id quod in leni exſiccatione non adeo metuendum eſt.

Utrùm poſſit leviori negotio *vitriolum Martis* mediantibus aquis fortioribus, ſive ſpiritibus, ſcilicet revera & potenter corroſivis, parari? ut diſquiſitioni ſubmittatur, hîc quidem opus non eſt; cùm de *limaturâ Martis* in tenuiſſimum pollinem redigendâ, non de *ejus vitriolo* hîc ſermo ſit.

Attamen, ſi *pag. 335. Pharmacop. Reg.* ubi prædicti vitrioli elaboratio traditur, conſulatur, ſatis etiam tædioſam præparationem illius eſſe, & vix leviori negotio, ac illam cum *aceto deſtillato* commendatam, peragi, adparet.

Spiritus etenim *vitrioli*, vel *ſulphuris* primò omnium tædioſiſſimam, deſtillationem, poſtea ejusdem cum aquâ dilutionem, *limaturæ ferri* cum hoc ſpiritu ſucceſſivam & paulatinam irrigationem, novæ aquæ repetitam adfuſionem, ſolutionum filtrationem, lenem ad cuticulam usque exhalationem, in frigido aëre cryſtalliſationem, cryſtallorum ſeparationem & exſiccationem, reſidui liquoris ulteriorem exhalationem, cryſtalliſationemque reiteratam, cum ſulphuris (ſic Zvelferus vocat) vel rubiginis, fundum petentis, qualibet vice ſeparatione, requirit.

Alteram Auguſtanorum præparationem, cum *ſulphure* peractam, re non benè intellectâ, hîc adnotatam eſſe, cavillatur. Aſt, ut mihi videtur, ipſe Zvelferus rem non benè intellexit.

Quæro enim: quidnam Auguſtani per hanc præparationem obtineant? Subtiliſſimum certè *Martis* pollinem.

Nam limatura hujus metalli à *ſulphure* in calcinationibus corroditur, & in porphyrite ut facilè lævigari poſſit, diſponitur.

Atque hic ſcopus Auguſtanorum fuit, quem ſibi hoc in loco propoſuerunt, quem ſub *Chalybis præparatione* intellexerunt.

Unde Auguſtanorum mens haud fuit, ut *vitriolum Martis*, de quo iterum hîc loquitur Zvelferus, obtinerent.

COLCOTHARIS INDULCATI PRÆPARATIONEM *pag. eâdem*, in *animadverſionib. ſuper Emplaſtrum Opoteldoch* ſe (*nî fallor*, tamen addit) tetigiſſe, ſcribit. Ad cujus igitur Examen Lectorem remitto; ubi nimirum de hac præparatione agendi ſufficientem anſam dedit Zvelferus, qui itaque iſtam dubitandi formulam, ſcilicet: *nî fallor*, omittere potuiſſet; cùm quid in prioribus ſcripſerit, facilè evolvere, & invenire inſuper potuiſſet.

Circa

Circa COLOCYNTHIDIS PRÆPARATIONEM *pag. 409. colocynthidem* tam violentum catharticum esse, notat, ut etiam quævis medicamenta cathartica, ex *antimonio*, & *Mercurio* facta, superet, ideoque correctione non immeritò indigeat. Violentia simplicis hujus equidem negari nequit; utrùm verò quævis medicamenta cathartica, antimoniata & mercuriata, vehementiâ superet? aliis decidendum relinquo, si horum aliqua in minori dosi, maximâ utpote corpus purgandi vi pollentia, exhiberi observent.

Miratur postea Zvelferus, quòd nemo Medicorum hactenus, quibus illa in frequenti usu fuit, genuinam aliquam ejusdem præparationem, vel correctionem meditatus fuerit; illam enim in confectione *Trochiscorum alhandal* consistentem, nullo modo genuinam vocari posse, subjungit. Sic est, vehemens admodum medicamentum esse *colocynthidem*, & plurima Medicorum testimonia, & crebra experientia comprobat; quam ut mitigarent, multis modis Medici desudarunt; qua de materiâ videri potest *Excell. Rolfincij tract. de purgant. vegetab sect. 3. art. 4.*

Unde somnia sunt Zvelferi, quòd nemo hactenus Medicorum genuinam aliquam ejus correctionem meditatus fuerit.

Aliud enim est, genuinam præparationem meditari & investigare; aliud, eandem invenire.

Illud à Medicis hactenus non intermissum fuit; hoc obtinere, si fortuna hucusque negavit, quomodo illis, aliqualem saltem quòd moliti fuerint correctionem, vitio verti jure queat?

Imò ipsum mirabundum Zvelferum miror, quòd nec ipse genuinam correctionem molitus fuerit, sed aliqualem saltem cum succis acidis, & coctione tradiderit; quam tamen, si Zvelferi sententiæ aliàs prolatæ fides habenda, nullâ ratione admittere possum.

Succos enim acidos quod concernit, ad illos quoque derivatur quæstio, quam *pag. 134. animadvers. in Extractum gummi gamandræ Mynsichti* adducit, videlicet: An liquores vel spiritus minerales acidi, nec non quæ ex vegetabilibus parantur aceta, vera & legitima rerum catharticarum corrigentia esse possint? Ubi tandem hunc in modum concludit: *Liquores acidi, quicunque illi sint, res quaslibet cùm Minerales, tùm Vegetabiles, quæ ipsis imbuuntur, pro ratione majoris vel minoris quantitatis addita, figunt & ligant quodammodo: Atque eò fit, ut ipsæ nativas ac genuinas suas virtutes minùs, quàm aliàs, ubi liberæ sunt, nec peregrinis additamentis præpeditæ, exserere possint. Hoc autem modo non rarò in extractionibus rerum catharticarum, ingentem jacturam facimus sumptuum & laborum: nam quòd exigua quantitas aliàs*

 præstaret

præstaret rei alicujus, levi negotio & exiguo precio habendæ, id tali modo præparatæ, majoribusq; sumptibus acquisitæ, satis magna dosis vix effecerit &c. Præstaret itaque meo judicio, cathartica in viribus suis & effectibus illis, ad quos à naturâ destinata sunt, non impedire, vel etiam destruere, sed potius purum ab impuro separare, & heterogenea sequestrare, quæ demum vera esset correctio.

Nunc generalia hæc si speciatim *colocynthidis* cum succis acidis præparationi adplicentur, vim ejus catharticam ab his figi, & ligari quodammodo, dicendum est; unde *colocynthus* nativas ac genuinas virtutes suas minùs exserere possit. Qua ratione ingens jactura fiat sumtuum & laborum, cùm, quod exigua aliàs ejus quantitas præstaret, levi negotio & exiguo precio habenda, hîc majoribus sumtibus adquisita major dosis vix efficiat. Præstaret igitur Zvelferi judicio, *colocynthidem* in viribus suis & effectibus, ad quos à naturâ destinata est, non impedire, vel etiam destruere.

Quod ad coctionem spectat, per eam vires *colocynthidis* haud parùm infringi, ex *Pharmacop. Reg. pag. 31.* discere liceret, ubi cathartica (in genere de iis sermonem instituens) propter diuturnam coctionem in viribus suis haud parùm diminui, venditat.

Quare etiam Siruporum loco, Infusa purgantia, utpote quæ sine coctione parantur, commendat.

Et quæso, quid est, quod à *colocynthide* in coctione exhalat? Certè non partes ipsius heterogeneæ, quas sequestrare, veram esse correctionem, è Zvelfero modò ostendi.

Sin fortè partem *colocynthidis* venenatam esse, innuere voluerit, eo ipso incautus admodum fuisset, dum *Aquæ purganti destillatæ pag. 206. Pharmac. Reg. colocynthidem* quoque adaptavit, cujus partem subtiliorem, & prædictâ ratione venenatam, destillatione elevatam, simul cum reliquorum ingredientium spirituosâ parte laxare alvum, & humores *suaviter educere*, credidit.

Interea non nego, simplici isto, aliisque nonnullis Medicum carere posse, cùm plura, eundem cum illis effectum habentia, nobis suppetant.

Sed transeo ad

COMPOSITI SPERNIOLÆ PRÆPARATIONEM *pag. eâdem*, in cujus animadversionibus *aquam spermatis ranarum destillatam* parvi se pendere, scribit; ipsum autem *sperma*, quod in aquam facilè resolvitur, quæ addito *alumine* diu incorruptè, sine ejusdem destillatione, servari potest, magni æstimat, ita ut species pro hac *Crollij sperniolâ* tali resolutâ aquâ, non verò destillatâ imbui debere, concludat. Sed non sufficit, rem aliquam parvi pendere atque rejicere, sed etiam causam, ob quam hoc fit, adsignare, convenit; quod tamen Zvelferus hîc minimè observat.

Sperma

Sperma illud debitè tractatum totum in liquorem ſolvi,&,punctis illis nigricantibus ſolùm remanentibus, deſtillari poſſe,Pharmacopœi noſtri norunt.

Idem etiam *Cl. Tackenius cap.19. Hippocrat. chim.* indicat; ubi totum *ſperma* cum patientiâ ex Balneo, in puram aquam, relictis granulis nigris & aridis, elevari, tradit.

Poſſe autem *ſperma ranarum* ſponte, absque illâ deſtillatione, in liquorem reſolutum, *alumine* etiam conditum, adſervari, utilemque in medicinâ de ſe ſpargere effectum, quis dubitet? Hoc tamen illius uſum non tollit.

Quin ſaturatum *alumine ſpermatis ranarum* liquorem non adeo omnibus indicationibus convenire, & tenerioribus epidermida interdum ſeparare, *Exc. D. D. Daniel Ludovici Pharmac. modern. pag. 729.* teſtatur.

Camphora poſt reiteratas exſiccationes ut demum addatur, ne vel tota, vel majori ex parte exhalet, non repugno.

Circa SEMINUM CORIANDRI PRÆPARATIONEM *pag. 410. Dioſcoridem*, & cum ipſo plures alios Botanicos, *coriandrum* inter venena connumerare, inſignem tamen inter plantas recentes, & aridas quandoque eſſe differentiam, ſcribit, atque ſimili modo *coriandri ſemen*, ubi exſiccatum eſt, vix ullam pravam, vel venenatam qualitatem habere, ab experientiâ demonſtrat. Unde ſuperfluum judicat, illud *aceto* adfuſo ad uſum præparare, & inefficax reddere, quia taliter imbutum exſiccando, tota ejus vis carminativa & balſamica, unà cum *aceto* exhalet, remaneatque *coriandrum* inodorum, atque adeo potioribus ſuis virtutibus ſpoliatum. Verùm ſi ritè de dubio hoc judicium ferre velimus, nec planè repudiari, nec ſimpliciter admitti hæc Zvelferi ſententia debet.

Certum quidem eſt, *coriandrum* à multis inter venena referri. Prout etiam à *Dioſcoride*, quem citat Zvelferus, illud fieri, negari nequit.

Sed non venenorum propriè ſic dictorum numerum ingreditur, verùm nocet, quatenus & viride eſt, & immodicè ſumitur.

Sic de viridi *Galenus lib. 2. de antidot. cap. 7.* ex *Aſclepiade* loquitur.

Citatus autem *Dioſcorides* modicum ejus uſum in multis adfectibus commendat; largiùs tamen ſumtum, mentem non ſine periculo movere, tradit; quare continuo & copioſiore ejus uſu abſtinendum eſſe, ſuadet *lib. 3. cap. 62.*

Rodericus à Fonſeca cap. 18. de ſanitate tuendâ, magno in uſu apud Hiſpanos eſſe *coriandrum viride*, ad obſonium & carnium condimentum, teſtatur, atque adductæ *Dioſcoridis* ſententiæ intuitu, ſic concludit: *Unde non mirum eſt, ſi apud Hiſpanos tot mente capti reperiantur, cùm in omni ferè acetario coriandro utantur, quod reliquæ gentes præcavent.*

Pariter

Pariter *Monachi comment. in Mes.* propter eandem causam plurimos Hispanorum fatuos esse, memorant, ob quorum curam tam frequentia sint Hospitalia; ceu hoc in *Apolline Pharmacopolar. rad. 1. Franciscus Alexander*, & *Casp. Hofmannus lib. 2. de medicament. officinalib. cap. 70.* producunt.

Sic *Prosper Alpinus cap. 42. de plantis Ægypti*, *virentis coriandri* herbæ, ingratè quamvis oleat, usum apud omnes Ægyptios familiarissimum esse, refert, neminem tamen *coriandrorum* causâ læsum fuisse, aut ei aliquos sensus turbatos, *nisi immoderatè eis fuerit usus.*

Nec adeo incredibile est, posse *coriandrum viride* noxam inferre, cùm vel solus ingratus ille & fœtidus odor, quem cimicem redolere, atque indè nomen à græco : κόρις obtinuisse, nonnulli volunt, spiritibus nostris vix amicus esse queat. Unde si immoderatè & confertim is in corpus immittatur, noxam quandoque inferre valet, præsertim ubi subjectum debile, impressionem illam facilè recipiens, inveniat.

Hinc quousque Zvelferi sententia de *coriandri* veneno admitti queat, jam elucescit.

Nunc ad ipsam *seminis* præparationem accedamus, quam ob venenatam aliquam qualitatem institui, autumat Zvelferus. Quod uti in aliis nonnullis falsò adstruit : sic etiam hîc labi potuit.

Præparationes enim simplicium non solius veneni causâ, sed alios etiam ob fines fieri, supra jam notavi.

Interea cùm de *coriandro viridi* certum sit, quòd non omni prorsus qualitate nocivâ careat, vel hujus intuitu, quò omnis periculi metus tollatur, præparationem institui posse, videtur.

Quamvis, per exsiccationem eadem si separari queat, præparationem aliam utique non deposcere semen exsiccatum, extra dubium sit.

Similia *Excell. Simon Pauli class. 3. Quadripartiti de simplic. medicament. facultatib.* jam dudum memoriæ prodidit, scribens : *Solertiores Medici, seu Pharmacopœi observarunt ætate solâ coriandri semen melioresscere, & quicquid crudi virosiq; continet, sensim exspirare perfacilè. Tutò itaque semine maturo annuo, sine præviâ præparatione uti licet, maximè cùm ex ventriculi sympathia cerebrum laborat.*

Et *Joh. Schröderus Pharmacop. Medico-Chim. lib. 4. class. 1. cap. 106.* *semina coriandri* qualitatem suam noxiam, absque præparatione, arescentiâ tantùm, amittere, perhibet.

Si verò *coriandrum* jam exsiccatum cum *aceto* præparetur, hoc fieri, ut majores incidendi, aliasve ab *aceto*, quod in exsiccatione non totum tollitur, adquirat vires, dici potest.

Existimo

Exiſtimo autem, *coriandrorum* adhuc *viridium* præparationem ab Auguſtanis hoc in loco tradi.

Qua etiam ratione *Schröderus*, præparationem *ſeminis coriandri* cum *aceto, ob caſtigationem qualitatis noxiæ* fieri, teſtatur.

Quare non video, quòd tantopere Auguſtani hîc reformari mereantur, qui & de ſeminibus recentibus loquuntur, & præparationem, ne ignoretur, ſaltem adducunt.

Nam Pharmacopœi noſtri ſemen debitè exſiccatum, præparati loco, meritò in uſum vocant.

Sed ponamus, *coriandri ſicci* præparationem hîc ab Auguſtanis tradi, in eâ tamen *totam* vim carminativam & balſamicam cum *aceto* exhalare, & *coriandrum* inodorum, atque adeo potioribus ſuis virtutibus ſpoliatum remanere, nego.

In exſiccatione illâ aliquam virium jacturam fieri, non penitus quidem inficias iverim; *totam* autem vim carminativam & balſamicam exhalare, falſum eſſe judico, quod vel ſemen taliter præparatum, ſi tantùm guſtetur, vel teratur, ubi ſcilicet vis ejus balſamica facilè in ſenſum incurrit, comprobat.

Quippe non opus eſt, magnâ *aceti* quantitate ſemen inundare, ſed parca ejusdem quantitas ſufficit; neque exſiccatio vehementiori calore, ſed leniter celebrari debet, quo ipſo oleoſæ partes, quæ non tam facilè avolant, magnâ ex parte conſervantur.

Quin ſi vis carminativa *tota* hac ratione exhalat, quem in finem *pag. 46. Pharmacop. Reg.* in *Electuario lenitivo pro clyſteribus anodynis & carminativis*, juxta cum aliis carminantibus, *ſemen* quoque *fœniculi*, & *carvi*, quæ pari paſſu cum *coriandri ſemine* ambulant, violentiori coctioni cum aquâ ſubmittit? Certè ſi in leni exſiccatione, cum modicâ *aceti* quantitate vis illa carminativa & balſamica tota tollitur, non video, quo modo violentiam ignis in coquendo ſuſtinere, ut non avolet, eadem queat.

CORNU CERVI PRÆPARATIONEM *pag. eâdem*, deſtructionem adpellat, ipſamque ceu inutilem penitus rejicit, quia illud omni ſuâ virtute medicinali propriâ omninò ſic caſtretur, & in terram mortuam, inſipidam, ac effœtam redigatur.

Quam animadverſionem ex *Helmontio* imprimis hauſiſſe videtur, qui *tract. Pharmacop. ac Diſpenſat. modern. §. 41.* hanc in *cornu cervi uſtum* ſtatuit ſententiam: *Quid in Scholis inſulſius dici poteſt, quàm Cervi cornu, in inſulſum, & omni privatum virtute, cinerem redegiſſe, ad magnos uſus? & loco præparationis, caſtrationem ſeu potius privationem ſubſtituiſſe.*

Ac

Ac cap. 3. de lithiasi §. 29. Ossa animalium combusta nullum sibi salem fixum retinent: at tantùm insipidam terram residuam. Notabilis ergo stupiditatis est, ebur, & cornu cervinum, calcinari in morborum præsidia, quia mercari jubent pulverem, viribus orbatum: adeoq; & crumenæ, & spei ægrotorum imponunt, occasionem benè agendi prætereunt, ac seipsos ridiculos faciunt. Pro me autem spondent monetarij. Siquidem testæ probatrices (quas vocant capellas) constare debent cinere, orbato omni sale. Quare optimè, è cinere ossium, longeq; excellunt ex ebore & cornu cervino.

Pariter & *Brossæus Gallus lib. 3. de naturâ plantar. cap. 7.* post ustionem tantummodo cinerem mortuum, figulinis vasis conficiendis magis, quàm medicinæ idoneum superesse, statuit, ex quo penitus arte nullâ sal aliquis elici queat &c. uti refert *Gregor. Horstius centur. problem. medicor. therapeut. decad. 1. quæst. 4.*

Sed non tam sinistrè de medicamento hoc est judicandum. Non quidem nego, in præparatione præscriptâ *cornu cervini* aliquam fieri destructionem, qua præcipuè salis volatilis jactura incurritur; ast tantam hanc esse, ut terra inutilis planè, penitusque rejicienda indè emergat, pernego; quia omni virtute medicâ eam non castratam esse, abunde experientiâ edocemur.

Cumprimis autem virtus diaphoretica, qua etiam malignitati simul resistit, in eo plus quàm cognita est.

Cornu Cervinum combustum non solùm in substantia assumptum est diaphoreticum, sed insuper etiam in decocto usurpatum quotidiano potu plurimum putredini resistit, & morbo Ungarico laborantibus convenientissimum est, quod ipsemet frequenter observasti, cum annis superioribus hic in Austriâ, in curandis ægris παραστάτην fidelem mihi præstares; prout *Johannes Michelius, Superioris Austriæ Archiater,* ad *Gregorium Horstium* in *epistolâ*, quam hic *libro 3. sect. 1. Consilior. & Epistolar. medicinal.* inseruit, perscripsit.

Idem quoque *Horstius Problemat. l. c.* quanquam per longam experientiam, & Anatomiam spagyricam, alios quoque *cornu cervini* præparationis modos, usui medico convenientes haberi, confirmatus fuerit, effectus tamen *cornu cervi usti præparati*, toties à Veteribus, & Recentioribus observatos, negare se non posse, testatur.

Magn. Guerner. Rolfincius Ord. & meth. consultat. lib. 4. cons. 13. ad resistendum malignitati, cui præcipuè in peste obviam fit eundum, *C.C. ustum* commendat.

Exc. D. D. Daniel Ludovici eleganti *tract. de volatilitate salis tartari*, idem inter diaphoretica alexiteria reponit, quod haud penitus evanidum, aut per accidens solummodo hydroticum esse, statuit.

Idem

Idem etiam in Ejusdem *Pharmaciâ moderno seculo adplicandâ* invenitur.

Salutarem *C. C. usti* usum *cap. 7. & 9. Elagographiæ Clar. Jo. Andr. Graba* proponit.

Quem sanè effectum contra tot, pluriumque Medicorum, quæ adduci possent, testimonia, ab experientiâ robore dotata, negare haud possumus.

Qua verò ratione *C. C. ustum* talia peragat, difficilius est, demonstrare.

Nonnulli hoc à sale aliquo fixo, quem in eo superesse credunt, provenire, existimant; quem tamen separare, inque conspectum producere, ars nondum valuit.

Mihi decisione *Horstij* adquiescere hac vice lubet, qui post calcinationem *cornu cervini*, sal aliquod fixum remanere, non immeritò dubitari, scribens, præsertim ubi communis, & facilis illa salis è cineribus rerum combustarum, sive vegetabilium extractio perpendatur, *etiamsi verò*, inquit, *tali promtitudine non posit idipsum, quod volumus, hîc demonstrari, nihilominus tamen ex effectu, tot seculis comprobato, convincimur, operationem hîc talem esse, quæ cineri mortuo tribui nequeat.*

Quòd *cornu cervi* crudum & raspatum adhibere, conducibilius sit, ceu vult Zvelferus, nondum planè decisum est.

Idem quidem jam dudum alij, quos inter *Ludovic. Septalius animadvers. & caution. medicar. lib. 9. §. 63.* & *Hercules Saxonia cap. 59. de plicâ Polon.* voluerunt.

Ast obstare videntur observationes, quæ raspatum illud cornu sine effectu propinatum, immutatumque fuisse iterum excretum, edocent.

Prout e. g. supra citatus *Michelius, Medicus Austriacus*, apud *Horstium*, sequentem in modum hac de materiâ disserit: *Ego, ut verum fatear, non semel, sed aliquoties rasuram cornu cervini crudi exhibitam, sed absque effectu & mutatione per alvum vicissim excretam observavi &c. Veruntamen minimè negandum esse videtur, quòd in naturis robustioribus etiam crudi C. C. rasura quandam efficaciam habeat, præsertim ubi optimè lævigatur.*

Siquidem simpliciter raspatum, præcipuè ubi ventriculum debilem offendit, non usque adeo facilè in corpore resolvi, ejusque partes gelatinosæ è solidè compactâ substantiâ extrahi possunt.

Licet ubi subtiliter raspatum, vel limatum, optimeque lævigatum fuerit, qua ratione virtutes suas in corpore faciliùs emittit, rejicere illud, minimè sit animus; quin potius commendari id meretur; quanquam propterea nec *ustum cornu* in aliquibus casibus rejici, aut raspato & lævigato, cumprimis satis laboriosè præparando, simpliciter postponi debet.

Cornu cervinum ustum gelatinâ cornu illius impraegnari, ficque utiliter usurpari posse, equidem haud contradico.

Sed Zvelferus nullâ ratione commendare illud potuit; cùm cornu hoc per ustionem semel inutile & effœtum, uti ipse vult, redditum, licet vel millies gelatinâ imbuatur, inutile & effœtum remaneat, solâ gelatinâ inspissatâ officium suum faciente.

Licebit quoque hîc controversiam, *Tackenium* inter & *Zvelferum*, circa praesentem *C. C.* ustionem agitatam, tangere. Quorum ille *cap. 19. Hippocrat. chim.* aciditatem caloris causam esse, & *C. C. ustum* in se *acetum* & reliqua acida omnis generis absumere, supponens, hoc felici successu febricitantibus propinatum à Medicis fuisse, scribit. *Nam*, inquit, *sicut cornu cervi ustum ex aceto absorbet & combibit acidum volatilem salem, sic aciditatem in quibusdam febribus obortam tollere & absumere, non sine magno animi gaudio animadverterunt.*

Econtra instat Zvelferus, & *pag. 115. Apolog. adversus Tacken.* fiduciam hanc inanem, adsertionemque frivolam, nec naturae, nec rationi consonam adpellat, ac *C. C.* vel quaecunque alia animalium ossa combusta, indifferenter se habere, putat, ad recipiendum quemcunque liquorem, sive acidum, sive salsum, aut insipidum etiam, & dulcem, tantum nimirum, quantum pro eorum humectatione saltem sufficit &c. Ast praeterquam quòd experientia à *Tackenij* partibus stet, quae febricitantium fiduciam in *C. C. ustum* quandoque non inanem esse, confirmat, frivolo etiam fundamento Zvelferi adsertio innititur

Non quidem negari potest, *C. C. ustum* ob pororum laxitatem, & multa, quae continet, spatiola inania, quemcunque superinfusum liquorem, acidum, alcalicum, insipidum &c. in se recipere, imbibere, & absorbere; ast acidorum, praeter hanc, longè alia insuper est receptio, haec enim simul vi suâ corrosivâ terrestre illud *cornu* corpus adgrediuntur, illud corrodunt, cumque ipso quasi coagulantur, ita ut ab invicem, evaporando, vel eluendo, separare, haud sit possibile; cùm econtra liquor insipidus, dum *C. C.* cum eo humectatum calori committitur, facili negotio iterum auferatur, & leni calore evaporet, solo *C. C. usto* remanente.

Illud ut clarius fiat, saltem *cornu cervino usto* acidum aliquem liquorem, v. g. *spiritum vitrioli*, *acetum destillatum* in vitro adfunde, quo ipso, ceu etiam *Horstius* observat, ebullitio quam, praecipuè ubi fortior adfunditur spiritus, incalescentia vitri comitatur, oboritur. Materia haec exsiccata nec sapore amplius, qualis *C. C. usti* fuit, nec, dummodo excessiva *spiritus vitrioli* &c. quantitas non fuerit adhibita, acido, pollet; cui si aquam calidam super-

ſuperinfundas, & huic filtratæ limpidæ *ſal tartari p. d. reſolutum* inſtilles, effervefcentia inſequitur, ab acidis ſcilicet *ſpiritus vitrioli* &c. & *ſalis tartari* alcalicis particulis, unà cum pulveris albicantis copioſâ ſatis præcipitatione, qui nihil aliud eſt, quàm *cornu cervi uſti* ſubſtantia, à corroſivis, *ſpiritus vitrioli* &c. partibus ſoluta, iisque unita, nunc verò ope *ſalis tartari* iterum ab iisdem liberata.

Spiritui nitri immiſſum hoc uſtum cornu, in eo facilè totum ſolvitur.

Qua ſanè ratione acidum quoque præter naturam in corpore febricitantium hoſpitans, ingeſtum *C. C. uſtum* rodere, ſicque unà in aciditate ſuâ infringi poſſe, veriſimile eſt.

CRANII HUMANI PRÆPARATIONEM *pag. 411.* ideo laudat, quòd ſine calcinatione, aut ullâ virium deſtructione, ſed potius exaltatione ipſarum peragatur. Hoc ſaltem monitum vult, conſultumque ducit, ut loco aquarum deſtillatarum, quibuscum *cranium* impaſtari præcipitur, decocta, v. g. *florum & ſeminum pæoniæ*, accipiantur. Hoc fieri poſſe, non eſt dubium.

Cæterùm hæc, & aliæ materiæ medicæ exaltari variè poſſunt; quod ipſe Medicus, quando *cranium* hoc *præparatum* præſcribit, variis modis obtinere ſe poſſe, non ignorat.

Circa CUPEROSÆ PRÆPARATIONEM *pag. eâdem* animadvertit, quòd, cùm illa nihil aliud ſit, quàm *vitriolum album vomitivum*, idcirco ejus confectio cum præparatione dicti vitrioli jam vulgò notâ, coincidat; & de hoc Tyrocinia Chimicorum videre, præcipit. Aſt nihil ſingulare hoc ipſo notat.

Eſſe *cuperoſam* ſpeciem *vitrioli*, & quidem albi coloris, ipſi Auguſtani indicant. Cujus præparatio in purificatione, & leni calcinatione conſiſtit, quæ ſive cum *vitrioli albi vomitivi* vulgò notâ præparatione coincidat, ſive non, parùm refert. Sufficit, quòd ipſa animadverſione non indigeat.

DENTIUM APRORUM PRÆPARATIO *pag. cit.* ſuperiori *cranij humani præparationi* reſpondet.

EBORIS SEU ANTISPODII PRÆPARATIONI *pag. cit.* eadem, quæ de *cornu cervi præparato* dicta fuerunt, certo reſpectu accommodari queunt; quam denuo ineptiſſimam ipſe multò ineptior appellat.

De ELATERII PRÆPARATIONE *pag. eâdem* talem dat animadverſionem: *Elaterium, quod ſuccus eſt inſpiſſatus ex Cucumeris aſinini fructu, nullâ aliâ indiget correctione.* Utique præparatio hæc animadverſionem vel correctionem quòd non efflagitet, repono.

Si enim ſuccus ille fructus *cucumeris aſinini maturi*, per digeſtionem in M.-B. clarificatur, & à fecibus liberatus inſpiſſatur, ceu Auguſtani jubent, omnia ritè ſe habent.

ESULÆ RADICUM CORTICUM PRÆPARATIONEM *pag. eàdem* dextram proclamat, ſi *acetum*, cum quo *cortices* iſti infuſi ſunt, non ſeparetur, ſed unà cum ipſis exſiccetur. Quo iterum nihil contra Auguſtanos adfert, qui *aceti* ſeparationem non efflagitant, ſed potius, ut illud à *corticibus* abſorbeatur, & ita exſiccetur, exigunt.

EUPHORBII PRÆPARATIONEM *pag. cit.* ab Auguſtanis commendatam, nil minùs, quàm correctivam eſſe, animadvertit, cùm, quousque *euphorbij* ſubſtantia integra & intacta maneat, ejus etiam mordacitas firmiter perſiſtat. Quo ipſo ſanè contra experientiam nititur, qua per commendatam iſtam præparationem *euphorbium* multum de ſummâ ſuâ acredine remittere, ſicque quadantenus corrigi, obſervatur.

Pergit dein, & *oleum amygdalorum dulcium* planè fucatam ac palliativam præbere correctionem, nihilque ampliùs præſtare, objicit, quàm quòd lentore ſuo quadantenus prohibeat, ne *euphorbium* vires ſuas, donec dicto oleo ſpolietur, exſerere poſſit. An fucata, vel palliativa, non autem vera correctio iſta dici debeat? haud controvertam. Sufficit, quòd *euphorbium* in tenuiſſimas atomos redactum, cumque *oleo amygdalorum dulcium* per minima miſtum, non ampliùs eâ acredine gaudeat, qua non præparatum pollet, & ita tutius in uſum internum vocari poſſit.

Atque hæc correctio ſatis benè cum reſinarum purgantium, *amygdalis dulcibus* eas ſubigendo, correctione, à Zvelfero quoque traditâ, coincidit, dum *pag. 54. Pharmacop. Reg. reſinas gialappæ*, *mechoacannæ albæ*, & *turbethi* pulveriſatas *amygdalis dulcibus* ideo ſubigere jubet, quia *amygdalæ utpote oleaginoſæ omnes Reſinas eum illis ſubactas quaſi diſſolvant*, *earumq; acrimoniam contemperent*.

Si igitur *amygdala* oleaginoſitate ſuâ reſinas purgantes quaſi diſſolvunt, earumque acrimoniam contemperant, ut ita tutò propinari poſſint; *euphorbium* autem pariter illis adnumeratur, quæ ab oleis diſſolvi ſe patiuntur, (unde *pag. 263. Pharmacop. Reg. Oleum de euphorbio* ſolâ, leni calore factâ, *gummi euphorbij* in *Oleo cheirino*, vel *majoranæ* diſſolutione parari docetur à Zvelfero) non video, cur *olei amygdalorum dulcium* lentor, ſive oleaginoſitas, *euphorbij* ſubſtantiam reſinoſam pariter quaſi diſſolvere, ejusque acrimoniam obtundere nequeat. Certè ſi hoc de reſinis iſtis purgantibus, idem de *euphorbio* quoque dici debet,

Porrò

Porrò etiam per assationem ejusdem in clibano nil quidquam ipsi adimi statuit; *pomi* enim (intellige: *citrij*, vel *cydonij*) humiditatem, & *olei* unctuositatem prohibere, ne resina illa *euphorbij* jam spissa à calore ignis moderatò tam promtè lædatur. Verùm uti *citria poma*, & *cydonia euphorbium* corrigere, jam dudum observatum & creditum fuit: ita Augustani hoc in loco eadem *poma* huc trahentes tantopere non errarunt.

Licet autem exiguum sit, quod tali ratione *euphorbio* à dictis fructibus accedit, aliquid tamen esse, negari nequit.

Resinam verò *euphorbij pomo* inclusam jam spissam esse, haud facilè conceditur, quam potius ab oleosis *amygdalorum* particulis solutam & discontinuatam esse, tenendum est.

Alexander Massaria Practic. medicin. lib. 8. duplicis *euphorbium* præparandi rationis mentionem facit, unius ex *Manardo*, alterius, quam à Præceptoribus suis didicisse se, longâque experientiâ utilissimam deprehendisse, fatetur; dum scilicet *euphorbium* electum cum *oleo amygdalorum dulcium* tritum, & *pomo citrio* inditum in clibano coquitur.

Quod HELLEBORI ALBI, ET NIGRI PRÆPARATIONEM *pag. 412.* concernit, eam tantopere necessariam non esse, autumat, posse tamen, si quis *helleborum* corrigere velit, ex ipso confici extractum, separando crassum à subtili, purumque ab impuro. Quamvis correctionem hanc tantopere necessariam esse, statuere neutiquam velim; eam tamen hîc penitus improbare, non decet; quia hujusmodi materia ad medicamentorum præparationem non spectat.

Interea *helleborum*, qualitatis alicujus noxiæ toties accusatum, pro timore illo tollendo, quodammodo, sic ipsum præparando, corrigi posse, negare nolo.

Cumque aliqua qualitas, in *helleboro albo* imprimis, de quo hîc pariter agitur, stomacho ingrata & infesta deprehendatur, *succus* autem *cydoniorum* egregium sit stomachicum, aliqualiter eam sic emendari, non est dubium.

Posse verò ex *helleboro* extractum confici, sicque catharticum illud ad usum medicum adaptari, nec Augustani ignorarunt, utpote qui hoc in *Classe septimâ*, quæ *de Extractis* agit, exemplo *Extracti melampodij*, *seu hellebori nigri* abunde comprobarunt.

Si quis tamen præscriptam præparationem necessariam judicaret, eum, unà cum radicibus, *succum cydoniorum* per evaporationem exsiccare, & neutiquam effundere debere, animadvertit. In quo lubens Zvelfero consentio. Neque contrarium Augustani exigunt.

Cæterùm, sic pergit Zvelferus, *ademptio illa medullæ ligneæ radicum ex nimium*

nimiùm curiosi cujusdam cerebello profecta est, qui radices Hellebori nunquam forsitan viderit aut nôrit, multò minùs tractaverit, ideoq; tanquam inutilem & impossibilem eam reprobamus. Mihi verò indubitatum est, animadversionem hanc ex nimiùm curioso cerebello profectam esse, & quòd Zvelferus, si radices *hellebori* utriusque, *albi*, & *nigri* debitè lustrasset, atque tractasset, inutilem eam, & impossibilem haud facilè proclamasset.

Simile de *helleboro nigro* judicium in *præcedd. animadversionib.* uti *pag. 66.* circa *Sirupum rosatum solutivum compositum helleboratum Montani, pag. 88. animadvers. in Infusum hellebori*, & *pag. 89. in Decoctum hellebori* videre est, jam protulit.

Quæ itaque *hellebori* emedullatio, sive decorticatio, cùm nimiùm curiosa Zvelfero videatur, exactiùs discuti deposcit.

Utrùm ex nimiùm curiosi cerebello, qui *radices hellebori* nunquam forsitan viderit, noverit, multò minùs tractaverit, præparatio ista fuerit profecta? disquirere, inutile admodum foret.

Primus autem fortè *Dioscorides*, Botanicus antiquissimus, & classicus, *de re herbariâ multùm conspicuus & meritus autor* ab ipso Zvelfero proclamatus, atque vix ab ullo reprobatus, eandem literis consignatam nobis reliquit; quem vidisse, cognovisse, & tractâsse *helleboros*, ecquis dubitet? & tamen *lib. 4. cap. 146.* de *helleboro nigro* agens, quem corpulentum & plenum, in quo tenuis sit medulla, eligi debere, monet, ita scribit: *Veratri albi modo emedullatur.* Ex quibus, *Dioscoridem, hellebori albi* & *nigri* excorticationem cognovisse, patescit.

Duplici verò ariete eandem petit Zvelferus, & 1. *inutilem* vocat. Quamvis non negaverim, medullam illam aliquas continere virtutes, illæ tamen tantæ non sunt efficaciæ, quantam cortices ipsam investientes, succoque abundantes possident.

Unde vel hac ratione, si quis nimirum simplicis alicujus nullam virtutis perdere velit particulam, omitti decorticationem posse, existimo.

Sed melioris tantùm partis si quis rationem habeat, quò minùs, medullâ separatâ, solis corticibus is uti queat, nulla causa adest.

Aliàs vix aliqua radicum medullâ suâ privari, inque usum medicum taliter vocari deberet; quia hujusmodi radicum pars, quæ sive medulla, sive pars lignosa, dura, aut callosa vocetur, hic perinde est, omni virtute haud destituitur.

Et tamen Zvelferum *eryngij, cichorij, apij &c. radicum* usum, non quoad integram ipsarum substantiam, sed corticetenus saltem commendâsse, superiùs *pag. 50*, ostendi.

2. *In-*

2. *Impossibilem* dictam corticum ablationem adpellat. Unde quoque *pag. 66.* in *cit. animadvers. super Montani Sirupum rosatum helleboratum*, Autorem hunc cachinno excipit, eumque indignum laborem Pharmacopoeis, quos clanculùm subridere, scribit, imposuisse, cavillatur, ac ipsas *veratri nigri* radices subtiles & filamentis (quæ filamenta, num cannabina, vel alia? intelligat, obscurum est) parùm crassiores esse, scribit.

In *Decocti* etiam *hellebori animadvers. pag. 89.* illum, qui *cortices hellebori* à radicibus suis minutissimis separaverit, magnum sibi fore Apollinem, exclamat.

Sed nullo modo *hellebori albi*, & *nigri* decorticationem impossibilem esse, contra Zvelferum defendere, facilè sustineo.

De *albo* quidem, cujus pariter præparatio hoc in loco indigitatur, res est notissima, cujus, tenues licet, fibræ, etiam exsiccatæ, medullam in medio earum contentam promtissimè extrahi, permittunt, quod unicuique, qui vel semel *hellebori albi radices* in Officinis adservatas, viderit & tractaverit, notissimum erit.

Quare ad *nigri hellebori radices* accedo, in quibus cumprimis decorticationem suggillare videtur. Eas autem tanquam recentes, & exsiccatas considerare, placet.

Nec de omnibus *hellebori* illius speciebus hîc agere, necesse quidem est, sed tantùm de illâ, quæ in Officinis communiter prostare, atque à loco, ex quo ad nos potissimùm adfertur, *helleborus Styriacus* dici consuevit, qui primis juventutis septimanis, veluti *Rolfincius sect. 7. art. 1. cap. 4. tract. de purgantib. vegetabil.* loquitur, albis radiat floribus, senio languens floridum juventutis roseum ostendit colorem; qua ratione album & rubrum florem ejusdem plantæ sobolem esse, *Clusius lib. 2. histor. rarior. plantar. cap. 63.* notavit.

Hunc itaque *helleborum* recenter è terrâ desumtum, emedullari posse, extra dubium mihi est.

Medulla quidem ista non primo mox attactu facilè extrahi se, permittit, sed promtè cedit, si radix prius quodammodo contusa fuerit.

Qua ratione in noto illo Helvetiorum oppido, Sangallo, sive Sancti Galli fano dicto, ingens quotannis radicum horum quantitas à medullâ liberari solet, dum scilicet radices recentes ligno tereti, illud super radices volvendo & nonnihil comprimendo, aliqualiter confringuntur, quo facto, medulla facillimo negotio extrahitur.

Pariter res cum *helleboro*, cujus flos viridis est, se habet.

Sin

Sin radicum recentium proventus non habeatur, ſed eæ jam exſiccatæ proſtent; quò medulla ipſis adimi queat, macerationem præmittendam eſſe, conſtat.

Hoc jam dudum *Ebn Sina lib. 2. tract. 2. cap. 42.* docuit, dum fibras radicis in paucâ aquâ madefacere, dein excorticare, corticesque in umbrâ exſiccare; præcepit.

Nec aliud velle videtur *C. Plinius lib. 25. hiſtor. natur. cap. 5.* ſcribens: *Antiqui radicem cortice quàm carnoſiſsimo ſeligebant, quò tenuior eximeretur medulla. Hanc humidis ſpongiis opertam turgeſcentemq́ acu in longitudinem findebant, deinde fila in umbrâ ſiccabant, iis utentes.*

Idem *Actuarius lib. 5. method. cap. 8.* aliique Antiquiores, ac Moderni Medici prodiderunt.

E maceratis igitur *radicum hellebori nigri* fibris, ac poſtea nonnihil conquaſſatis medulla absque difficultate extrahi poteſt.

Quæ omnia ita ſeſe habere, cuivis, cui libet, experimento facto, cognoſcere licet.

Et huic labori peragendo non ſaltem exercitati Pharmacopœi, qui adeoque ob hunc decorticationis laborem injunctum, tanquam impoſſibilem, clanculùm palamve ſubridere, nullam habent cauſam, ſed & mulierculæ, atque tyrones pharmaceutici pares ſunt, quibus itaque de præclaro magni Apollinis titulo, his verbis à Zvelfero ex *Eclog. 3. Virgil.* conceſſo: *is mihi magnus erit Apollo*, gratulari, æquum eſt; qui viciſſim, ſeparationem hanc obeuntes, Zvelfero, vel alij hujusmodi Reformatori, ex *eâdem Eclogâ* quaſi accinunt:

Efficimus, poſthac ne quenquam voce laceſſas.

Tandem radicum ſic præparatarum, *cydonio* infixarum, paſtâque obvolutarum, ulteriorem in clibano coctionem, tanquam ineptam & ridiculam, æquè improbat. Quam equidem omitti poſſe, & ipſe non repugno. Auguſtani tamen modum iſtum ſaltem recenſent, non verò imitandum proponunt.

De HIRUNDINUM, ut & ERINACEI, RANÆ, MILLEPEDUM, & BUFONUM USTIONE *pag. eâdem* acturus, ad *Appendicis Claſsis decimæ quartæ Animadverſiones* regreditur, ubi luculenter tum experimentis, tum rationibus demonſtrâſſe ſe, arbitratur, quòd cuncta animalia ex meris volatilibus conſtent, & nihil præter inutilem terram mortuam poſt ſe relinquant. Verùm uti ſimilibus integrorum animalium combuſtionibus medicinam carere poſſe, non dubito: ita tamen nil niſi inutilem terram mortuam ex cunctis animalibus hac ratione remanere,

haud

haud concedo; id quod vel solum *C. C. ustum*, quo de superiùs actum fuit, comprobat.

Quæ postea de innoxio *bufonum* interno & externo usu subnectit, ex quo multò minùs à *pullis hirundinum*, *erinaceis*, *ranis*, *millepedis* solummodo exsiccatis pertimescendum aut abstinendum esse, concludit, ac ideo eadem potius exsiccata pulverisare, quàm comburere, suadet, tantopere non impugno. Illa tamen contra Augustanos propriè non decertant; cùm Ipsi ustionem hanc ideo non tradant, ac si hac ratione noxia aliqua dictorum animalculorum qualitas, quæ pertimescenda esset, auferretur, dum & Ipsi pulverisata ea, aliove modo administrata proficua esse, non contradicunt.

Unde etiam *hirundinum pullos* vivos discerptos, non combustos, *Aquis hirundinum* in *Classe decimâ quintâ* destinant. *Millepedarum* etiam, sive *asellorum* in hac ipsâ *vigesimâ Classe* præparationem dum producunt, eas non combustas, sed vino imprægnatas, & dein pulverisatas pro usu adservare, præcipiunt.

JECORIS LUPI, & INTESTINI EIUSDEM PRÆPARATIONES *pag. 413.* sic institui posse, animadvertit, ut, lavando illa prius in *vino spirituoso myrrhato*, & postmodum vitreæ cucurbitæ immittendo, in M. B. exsiccentur, vel *myrrha* conspergantur, atque ita aliquatenus condiantur. Quos procedendi modos observari posse, equidem haud inficias ibo; ast iidem Augustanorum præparationes neutiquam tollunt, quæ non minùs commodæ existunt.

Quod enim Zvelferus *vino myrrhato*, sive in quo *myrrha* portio dissoluta, atque in M. B, illud Augustani in *Jecoris lupini præparatione* faciliùs solo *vino odorato*, & exsiccatione in furno, obtinent.

Pariter quod Zvelferus dicto *vino myrrhato*, illud Augustani *vino*, cui *ruta & fœniculum* incoctum, in *Intestini lupi præparatione*, efficiunt.

Atque ita dubitare quàm maximè liceret, cuinam parti palma debeatur?

Quod *hepatis* dictam *præparationem* concernit, eam à Zvelfero traditam meliorem esse, videri posset, utpote quæ non *simplex vinum*, pro lotura, sed *myrrhatum* recipit; *myrrha* autem ad animalia, eorumque partes à corruptione vindicanda, magnam inesse efficaciam, creditur. Ast *vinum* illud *myrrhatum*, dum saltem ad ablutionem adhibetur, eo ipso iterum separari, innuitur.

Tali enim in sensu Τὸ: *lavare*, à Zvelfero accipi, *animadversiones in Pilulas de aloë lotâ pag. 208.* evincere videntur.

Nihil ferè *hepati* dicto accedere idcirco à *myrrhâ* poteſt, niſi paucum, quod hinc indè cùm *vino*, ipſi poſt ablutionem adhæret.

Auguſtani autem *hepar* elotum & exſiccatum, *abſinthio* circumdatum reponunt, vel etiam ante exſiccationem *pulvere ſantali citrini* conſpergunt; quibus duobus ſimplicibus vim putredini reſiſtendi deberi, vix dubium erit.

Sed in *inteſtini lupi præparatione ruta*, & *fœniculum*, cui utrique, illi præcipuè, eadem putredini adverſa potentia debetur, ab Auguſtanis adhibetur, unde ab iisdem quoque cum *vino* pars earum aliqua utilis poſt loturam remanebit; ſi in Zvelferi modo utile quidpiam à *myrrhâ* ſupereſſe, credi debet.

Porrò Auguſtani *inteſtinum* iſtud *rutâ* obvolvunt, ſicque uſui reſervant; quod Zvelferus *myrrhæ* conſperſione efficit; & ita differentia tantùm ratione ſimplicium medicamentorum putredini adverſantium occurrit, dum Auguſtani *abſinthium*, *ſantalum citrinum*, *rutam* & *fœniculum*, Zvelferus autem *myrrham* commendat.

De exſiccatione, quam hic in M. B. in cucurbitâ vitreâ celebrare præcipit, aliqua dici poſſent; interea cùm eundem ſcopum commodè in furno quoque Auguſtani adſequantur, aliquantulùm ſumtuoſiore, & laborioſiore illâ in M. B. exſiccatione carere nos poſſe, arbitror.

Circa LACCÆ LOTIONEM VEL PRÆPARATIONEM *pag. 413.* quòd ea ſubtiliter trita difficulter lavari queat, quin ipſa unà, & quidem melior ejus particula eluatur, atque idcirco craſſiuſculè ſaltem terendam eam eſſe, animadvertit, ut ſtipites duntaxat & ligna, quibus plerunque referta eſt, aquæ innatantia ablui, & ab eâ ſeparari queant. Quod monitum impugnare nolo, cùm propriè contra Auguſtanos non militet, qui *laccam tritam*, non autem pulveriſatam, vel ſubtiliter tritam, aquâ fontanâ lavandam eſſe &c. ſimpliciter indicant.

In LAPIDIS LAZULI PRÆPARATIONE *pag. eâdem* ablutionem ejus ineptam, ridiculam, ac planè inconſideratam vocat; quia utrumque quod eluitur, & quod à lotione remanet, purus pulvis *lapidis lazuli* ſit, ſi purus ille; vel lapillis permixtus, ſi is ſaxoſus fuerit; imò, ſive purus, ſive ſaxoſus fuerit, nullo planè ſapore aquam ab eo imbui, notat, qui ſigno eſſe poſſet perfectæ lotionis.

Hanc præparationem deridere Zvelferum conſiderans *Excell. Dn. D. Joh. Laurentius Bauſchius, Celebris in Germaniâ Collegij Naturæ Curioſorum Fundator, primusq; Præſes*, in *Schediaſmate de cæruleo & chryſocollâ*, tale *cap. 6.* de eo fert judicium: *Verùm tanto cachinno non excipiendos eſſe antiquos Medicos puto (modernos meliores præparandi modos nobis ſubminiſtrare non infitior) cùm ex hac præparatione magnum in viribus oriatur diſcrimen, cùm non lotus ventrem*

ventrem & vomitum moveat cum labore, *quod non facit ablutione præparatus*; atque hoc *cap. 8. testimoniis Mesües*, *Ebn Sinæ*, *Serapionis*, *Alexandri Trallia-ni*, aliorumque confirmat.

Non in me quidem defendendum suscipiam, quòd ablutio illa in quovis *lapide lazuli* admodum necessaria sit; ast simpliciter eam ineptam, ridiculam & inconsideratam proclamare, minùs aptè & inconsideratè satis fieri, existimo.

Sit ita, quòd cum aquâ, *lapidis* aliqua substantia simul effundatur, ea tamen cùm exigua foret, siquidem non post agitationem aqua mox effundenda est, sed post aliquam interpositam moram, qua pulvis ille subsidet.

Præterea in *lapide* hoc, prout in aliis quoque mineralibus, varias se admiscere posse, in eorum generatione & concretione, impuritates, succosque, adeo absonum haud est, statuere; quos ideo, ad *lapidis* constitutionem propriè non spectantes, separare, ridiculum neutiquam dici potest.

Dari autem in *lapide lazuli* (utrùm in omni, me latet) sal aliquod simplici cum aquâ ablutione auferendum, in elegantissimo *lapidis* hujus frusto pulverisato experimentum institutum me edocuit, quod lixiviosæ ferè prosapiæ esse, gustus judicavit.

Verùm ut constet, quo pacto *lapis lazuli* præparari debeat, & qua ratione quasi in magisterium redigi queat, colore pulcherrimo, cœruleo conspicuum, Pictoribus *ultramarinum* dictum, Zvelfero libet, modum subjungere, quem à plurimis in secretis haberi, scribit; videlicet dum *lapis lazuli* subtilissimè tritus, cum *Emplastro*, ex *cerâ citrinâ*, *pice græcâ*, vel *colophoniâ*, *resinâ pini*, *oleo lini*, *terebinthinâ*, & *mastiche* parato, subigitur, digeritur, inque calidâ aquâ malaxando iterum educitur.

Non equidem negabo, modum hunc pro secreto à nonnullis haberi, ita ut eundem ignaris pro tali venditare soleant, imò non sine expensis eundem, quod & sibi accidisse, Zvelferus hîc fatetur, aliis communicent. Ast nihil certè secreti continet hæc præparandi ratio, quæ jam olim literis consignata fuit, ut ita à Pictoribus Venetis, aliisve, eandem cum expensis demum addiscere, nulla cogat necessitas.

Prout colorem hunc transmarinum conficere jam dudum *Alex. Pedemontanus part. 1. & 2. secretorum*, atque ex eo *Joh. Jac. Weckerus lib. 16. de secretis, cap. 6*; nec non *Anselm. Boëtius de Boodt histor. gemmar. & lapid. lib. 2. cap. 124. & seqq.* aliique edocuerunt.

Differentia saltem est ratione doseos ingredientium, ut &, quòd interdum *thus* quoque, ac *oleum amygdalorum amarorum* adjungatur.

Quamvis nec ipse Zvelferus hac in parte sibi conformis existat, dum

pag. 51. Append. animadverſ. aliud pro hoc negotio *Emplaſtrum*, diverſum, ſcilicet ab eo, quod in præſentib. animadverſionib. tradidit, deſcribit.

Sed miſſo hoc ſecreto, quod Medici Pictoribus relinquere, & ejusdem loco *lapidem lazuli* optimè lævigatum, vel aliâ ratione præparatum uſurpare commodè poſſunt, ad

LAPIDIS MAGNETIS PRÆPARATIONEM *pag. 413.* accedo, quam æquè inſipidam eſſe, objicit, tum ratione ipſiusmet *magnetis*, tum additæ aquæ deſtillatæ, qua is præparari & circulari debet.

De *magnete* quidem in pulverem redacto in *animadverſionibus ſuper Emplaſtrum Opoteldoch Mindereri* ſe egiſſe, monet; ubi vim attractoriam exiguam, vel planè nullam ipſi pulveriſato ineſſe, ſtatuit. Aſt uti magnopere litem hîc movere, nolo: ita tamen, vim deſiccatoriam in *magnete* ſupereſſe, non minùs proficuam & expetitam, certum eſt.

Unde præparatio hæc ex parte ipſius *magnetis* deſtructoria neutiquam cenſeri debet.

De aquâ deſtillatâ autem major dubitatio animum ſubit, videlicet, quæ pulveri *magnetis* vix quidquam, quod alicujus momenti eſſet, conferre valet.

Siquidem haud eſt credibile, aquæ hujus partem aliquam cum *magnete* remanſuram; quin potius in deſtillatione tota iterum ab eo ſeparetur.

Cum remanentiâ verò à deſtillatione, vel ſuccis ſolis ibi recenſitis, *magnetem* imbuere, conducibilius fore, exiſtimo.

Quanquam propterea ſententiæ Zvelferi non adeo ſimpliciter ſubſcribere poſſim, dum ait: *Etenim aquæ ſpirituoſæ ſemel deſtillatæ, nunquam in ſecunda aut tertia cohobatione, rei, cuicunque etiam jungantur, ſpirituoſitatem aut vires relinquent aut impertient, quin æquè ut in priori deſtillatione avolabunt.* Hoc quidem de nonnullis verum eſſe, inficiari nemo poteſt; aſt de aquis ſpirituoſis deſtillatis *quibuscunque* & *cuicunque* rei jungantur, id adfirmare, veritati non usquequaque reſpondet.

In *aquâ ſpirituoſâ, vivificâ viperarum, hirundinum* &c. dùm ſal volatile, & dubio procul urinoſum, acidoque oppoſitum, continet, hoc evidens eſt; ſi enim illa ſali vel liquori alicui acido fixiori, uti *ſalis ſpiritui*, jungatur, non ampliùs aqua ſpirituoſa, ſed phlegma ſaltem elevabitur; quia ſal urinoſum ab acido ligatur & figitur.

Similiter aquæ ſpirituoſæ, tale ſal volatile *viperarum* &c. continentes, ſi *calci vivæ* conjungantur, non ampliùs eâ præditæ virtute per alembicum transeunt; cùm *calcem vivam* deſtruere ſalia illa volatilia, Zvelferus experimento ſuo *pag. 276.* probare laboret.

Interea,

Interea, ut dixi, illam aquæ destillatæ à *magnete* abstractionem omitti jure optimo posse, concedo; licet propterea non tam acerbis verbis præparationem illam, ita ut insipida &c. dici debeat, excipere conveniat.

Secus qui facit, is similia pariter insipidè factitâsse Zvelferum, largiri tenetur; dum e. g. *acetum destillatum rosatum* aliis speciebus superinfundit, species postmodum exsiccat, & post exsiccationem violenter decoquit in *Sirupo emetico purgante ex vegetabilibus primo Pharmacop. Reg. pag. 33. Acetum* namque semel destillatum, quod se instar spirituosæ alicujus aquæ habet, nunquam, dum secundò vel tertiò calori submittitur, rei, cui adjungitur, spirituositatem suam relinquet, quin æquè, ut in primâ destillatione, avolabit; id quod ipse Zvelferus *pag. 2. Append. animadvers.* fatetur, dum *acetum destillatum* vegetabilibus adfusum, non destrui, sed, *integrâ aciditate servatâ, per Alembicum transire*, scribit.

Similiter in *Classe quintâ Pharmacop. Reg.* aliquoties *aqua rosarum, anisi, & cinnamomi*, coctionis ad tabulati consistentiam torturæ, cum *saccharo*, subjicitur; prout etiam eidem negotio *aqua rosarum, cinnamomi, & florum aurantiorum pag. 122. 123. 125. Pharmac. Reg.* in Morsellorum confectionibus inservire debet. Alia, quæ adduci possent, exempla ut silentio involvam. An hîc credibile est, aquas prædictas semel destillatas, dum igni de novo in coctione submittuntur, cum re, cui decoquendæ adduntur, non iterum in auras elevari? Certè eâdem facilitate, vel majori, elevabuntur, inque aërem abibunt.

De LEPORIS USTIONE *pag. eâdem*, ut discursus de *C. C. usto* consulatur, Zvelfero sic monente, Lectoris prudentiæ relinquo.

LUMBRICORUM PRÆPARATIONEM *pag. cit.* similem in modum, quo *jecur lupi, vino* scilicet *myrrhato*, & exsiccatione in M. B. institui posse, animadvertit. Posse hac ratione præparationem istam fieri, equidem non nego. Sed hanc, quòd Augustanorum modus erroneus sit, minimè evincere, atque ita propriè Augustanos hîc non reformari, quilibet ipse judicabit.

Circa MANDIBULARUM LUCII PISCIS PRÆPARATIONEM *pag. cit.* Augustani Lectorem ad *dentium aprorum præparationem*, & Zvelferus ad *ejusdem animadversiones*, remittunt. Mihi quoque, ad *harum Examen* regredi Lectorem posse, monere placet.

In MEZEREI PRÆPARATIONE *pag. eâdem* nullatenus *acetum* separare aut decantare, sed unà cum ipsis foliis lentè exsiccandum esse, consultum ducit. Quod monitum observare, tantopere opus haud

est;

eſt; cùm unà cum *aceto*, cujus tamen parva requiritur quantitas, vehementis acrimoniæ quoque *mezerei* ſeparatio inſtituatur.

MYRRHÆ PRÆPARATIONEM *pag. 414.* quod attinet, ejus veram & genuinam ſolutionem non eſſe, animadvertit, quæ fit cum *vino*, cùm totaliter in eo *myrrha* non ſolvatur. Verùm etiamſi *myrrha* in *vino* verè ac genuinè non ſolvatur, ſufficit, quòd ita diluatur, ut adhuc calens per linteum transcolari poſſit, quod uti maximè poſſibile eſt, & ab Auguſtanis quæritur: ita hoc in loco genuinè eam ſolvi, certo reſpectu dici poteſt.

Quod dein Zvelferus monet, *myrrham* ſcilicet quandoque in *vino* dilui ob id, quia, poſtquam cum *vino* ad ſpiſſitudinem cocta eſt, liquida aliquatenus maneat, atque hac ratione cum reliquis ſpeciebus intimiùs permiſceri queat, aliqualiter verum eſſe, concedo. Sed iſta intentio propriè locum hîc non habet, cùm præparatio præſens non tam in dictum à Zvelfero finem, quàm potius ad *myrrhæ* à lignoſis quisquiliis depurationem inſtituatur.

Tandem hanc *myrrhæ* præparationem intermittere, nec prius inſtituere, quàm exigatur, præſtare, putat. Quod contra Auguſtanos neutiquam militat, qui tempus hujus præparationis non determinant, ſed modum ſaltem ejus adducere voluerunt, quò eum, tempore ferente, ac neceſſitate exigente, obſervare & imitari Pharmacopœus poſſit.

OESYPI COLLECTIONEM *pag. 415.* dum, uti ſcribit, penitiùs inveſtigat, ſatis mirari ſe non poſſe, ſcribit Zvelferus, quòd tam fœtidi ſordidique animalium ſudores tantopere ad Medicinam expetantur, quaſi vel non ſexcenta alia ſuppeterent medicamenta, ad eosdem, quibus *æſypus* inſervire poſſet, adfectus æquè efficacia & experimentata, leviori etiam precio, minori multò labore, & in majori copiâ ubique obvia. Verùm hæc ad præparationem medicamentorum propriè non ſpectant, ſed potius ad eorundem compoſitionem, qua de hîc agere, inſtitutum Zvelferi non permittit.

Interea quàm ſordidas etiam res, minusque benè olentes Zvelferus in uſum medicum trahat, omnibus notum erit.

Ipſum *Zibethum* ſimplex ſordidum (de quo *Petri Caſtelli tract. de hyænâ odoriferâ* videri poteſt) &, præcipuè recens dum eſt, per ſe ingratum ac fœtidum, à Zvelfero tamen uſurpatur, quamvis plurima alia proſtent ſimplicia odorata, ad eosdem adfectus, quibus *Zibethum* inſervire poſſet, efficacia, experimentata, levioriquc precio obtinenda.

De

De *reformatâ Mindereri Aquâ acousticâ* superiùs egi, quam cum largâ *spiritus urinæ capreæ* fœtidissimi quantitate conflatam, ipsi ori immittere jubet Zvelferus.

Allij, bulbi illius fœtidi, pro regiis medicamentis usum à Zvelfero commendatum supra *pag. 87.* adduxi, quasi verò nulla alia longè gratiora alexipharmaca prostarent.

Cauterij sui *potentialis è fraxini cineribus* cum salivâ, spurcitie illâ, (uti *in animadvers. Emplastri de ranis cum Mercurio* eam vocat) madefactione, superiùs quoque jam aliquid monui; quasi alius non suppeteret humor, eidem negotio inserviens.

Quamvis medicamentum istud sordidum Zvelfero visum, *tantopere* ab Augustanis ad Medicinam non expetatur, qui ejus locum aliud aliquod subire posse, minimè negant.

Unde *cap. 7. Prolegom.* quod de *Substitutis* eorum, quæ vel planè non, aut difficulter haberi possunt, vel exoleta ad nos devehuntur, vel de quorum ortu, num legitima sint, adhuc dubitatur, agit, œsypi ἀντιβαλλόμενον *medullam cruris vituli* constituunt.

Quod sanè non alium in finem monere videntur, quàm quòd laborem illum satis tædiosum & sordidum Pharmacopœis suis imponere nolint, *œsypum* autem, si rusticis, ovium custodibus, aliive vilioris sortis hominum generi colligendum committeretur, facilè ab iisdem adulterari queat.

Placuit tamen Ipsis *œsypi* præparationem adnectere, tum ut quid illud sit, indicarent, tum, si cuipiam laborem istum subire placeret, modum colligendi edocerent.

Ex hisce jam, quid de eo, quod contra *œsypum* ulteriùs producit Zvelferus, statuendum sit, elucescit.

Denique rationabilius esse, autumat, *lanam* istam *succidam*, à qua *œsypum* colligitur, si parti alicui dolenti aut tumori duro adplicanda sit, à spurcitie istâ prius eluere, & probè mundare, quàm ita fœtidam, ac sudore, aut nescio qua immunditie conspurcatam corpori adhibere. Sed hîc iterum à viâ declinat Zvelferus; cùm hoc in loco de usu *lanæ succidæ*, parti alicui dolenti, aut tumori duro imponendæ, Augustani ne verbulum quidem proferant, de solâ *œsypi* collectione agentes.

Quanquam dubitare adhuc quàm maximè liceret, utrùm rationabilius sit, *lanam œsypo* isto nondum purificato imbutam, præ eâdem *lanâ* elotâ, ac probè mundatâ, in dictis adfectibus eligere?

De OLEUM LAVANDI MODO *pag. eâdem* hæc sentit, quòd, cùm

cùm *oleum* illotum, ſcilicet *vulgare olivarum*, ad cibos condiendos uſurpetur, non opus foret, illud ad uſus externos, præſertim ſi gutturi inferiori injiciendum, prius tam ſtudiosè lavare; ideoque hanc lotionem ineptam, ulteriori examine penitus indignam, ac infantilem adpellat. Sed mitiùs ſentiendum eſſe, exiſtimo.

Aliud eſt, ſimplex aliquod uſui medico, aliud culinario adaptare.

Aliàs ſi valet hæc argumentatio: *oleum* illotum ad condiendos cibos uſurpatur. Ergo non opus eſt, & ineptiæ dici debent, ad medicamenta aliqua paranda illud lavare; mihi quoque ſic inferre licebit: *Saccharum albiſsimum, amygdala decorticata, acetum deſtillatum* plurimis medicamentis ſuis Zvelferus adhibet. Aſt multoties *ſaccharum vulgare* non admodum candidum ad cibos condiendos uſurpatur; *amygdala non decorticata* ſæpiſſime comeduntur, *acetum deſtillatum* culinis vix notum eſt, à quibus *vulgare* ſaltem pro uſu communiter eligitur. Ergo *ſaccharum albiſsimum* pro medicamentorum præparatione adhibere, *amygdala* decorticare, *acetum* deſtillare, ineptum, & infantile eſt.

Cur autem *oleum* lavetur, duplicem adſignat cauſam *Galenus 2. de ſimplic. medicament. facultat. cap. 15.* ſcilicet, ut mordacitatem exuat, & candidius efficiatur; atque *cap. 17.* in *oleo* duplex ponit excrementum, unum terreſtre, & craſſum, quod ſubſidet, & vulgariter amurca vocatur, alterum tenuius, ac veluti aquoſius ſive ex aëreâ eſſentiâ & tenui ſeroſâ compoſitum, quibus ſeparatis, candidius, dulciusque effici oleum, *cap. 18.* edocet.

In PELLICULARUM VENTRICULORUM GALLINARUM PRÆPARATIONEM *pag. 416.* animadverſiones cum illis, quæ *lumbricorum præparationi* ſcriptæ fuerunt, coincidunt, quarum igitur *Examen* conſulatur.

De PILORUM LEPORIS USTIONE *pag. eâdem* notat, taliter uſtos *pilos*, hæmorrhagias, vel ſanguinem erumpentem ſiſtere, credi; cui itaque alia medicamenta ſanguinem ſiſtentia non ſuppetunt, in tantâ aliàs ubertate eorum, illi per ſe licere, ſcribit, pilos dictos comburere; quanquam parum in hiſce, à rebus aliis, ab animantibus deſumtis, & incineratis vel combuſtis, diverſum inveniri, regerat. Sed nimis ſiniſtrum hoc eſt de medicamento præſente judicium.

Pilos leporis tradito ab Auguſtanis modo poſſe præparari, imprimis ut fiant medicamentum, quod ſanguini ſiſtendo utile exiſtit, dum Zvelferus concedit, eo ipſo præparationem iſtam non mereri animadverſionem, probat.

Quamvis autem magna medicamentorum ſanguinis fluxum inhibentium copia detur; propterea tamen *pilos* hoſce ab uſu medico removere, vix

vix conceditur; præcipuè cùm nec ipsi *pili* magno veniant precio, nec eorum præparatio tantos requirat sumtus.

Unde quoque pari facilitate & jure *pilorum* horum usus commendari posset, ita ut abundantiam aliorum remediorum, cariori quandoque precio venientium, propter hosce abrogare liceret.

Porrò non minùs de aliquibus à Zvelfero in certis casibus commendatis simplicibus simile judicium ferre, daretur, videlicet, quia magna aliorum, v. g. adstringentium, cordialium &c. datur ubertas, hoc vel illud à Zvelfero præscriptum adstringens, cordiale &c. tum demum usurpari posse, ubi alia, eundem effectum promittentia, non suppetunt.

Circa PILARUM MARINARUM TORREFACTIONEM *pag. eâdem* notat, quòd *pilæ* istæ, nisi totaliter in carbones vertantur, in pulverem redigi nequeant. Verùm ipsa experientia contrarium comprobat, quæ *pilas* istas, etiam mediocriter saltem torrefactas, neutiquam verò ustulatas, aut in carbones conversas, non adeo difficili negotio, per trituram in pulverem subtilem redigi posse, monstrat.

Ut ita ferè mihi persuadeam, Zvelferum hanc præparationem aut planè nunquam, aut oscitanter peregisse.

Similiter cum *serico crudo* se rem habere, animadvertit. Ubi quidem utique verum est, quòd pulverisatio simplicis hujus difficulter succedat; attamen eapropter non opus est, illud in carbones vertere, cùm debitè tostum, & cum *solutione tragacanthi*, quod in descriptione adjungere, intermissum fuit, imbutum, Pharmacopœi periti in pulverem redigere, norint.

Idcirco quæ de *pilis marinis*, *sericoq́; combusto*, longiori sermone profert, huc planè non spectant; prout etiam, quòd *sericum crudum* per se planè inutile & inefficax sit medicamentum, nondum sufficienter & abunde fuisse demonstratum, *Examen animadversionum super Confect. alchermes* comprobat.

De PLUMBI USTIONE ET LOTIONE *pag. cit.* sequentia animadvertit: *Plumbi ustionem dexteriorem à figulis addiscere oportebit, qui nullâ peregrinâ additione liquefactum Plumbum rudiculâ ferreâ tam diu hinc inde commovent, agitantq́; collocatum super ignem lentum, donec totaliter in calcem conversum sit.* Quam figulorum calcinationem illi ab Augustanis præscriptæ, cum *sale* perficiendæ, ustioni meritò præferendam esse, censet, eò quòd & sine additione fiat, nec edulcoratione aut ablutione opus habeat, utpote quam neque ad hanc *plumbi*, neque ad alias metallorum calces præparandas quidquam prodesse, judicat. Verùm longè aliter, meo quidem judicio, de hac *plumbi* præparatione statuere oportebit.

Auguſtani & *plumbum* calcinandi modum, qui addito *ſale* fit, & illum, qui figulis quoque uſitatus, per ſe ſolâ *plumbi* liquefacti agitatione inſtituitur, cognitum habuerunt.

Unde *plumbum* per ſe in calcem redigendi artificium à figulis demum addiſcere, neutiquam opus habent; præcipuè cùm *plumbum* per ſe urere, vel ex antiquiſſimi Scriptoris, *Dioſcoridis lib. 5. cap. 56.* ſcire potuerint.

Interea ut omnis planè adverſæ parti dubitatio eximatur, præparationem ſaltem *ſalis, vel ſacchari Saturni*, in *Mantiſs. hermet. pag. 452.* traditam, evolvere non graventur; ubi ſequentia ſcripta invenient: *Rec. Cinerem Plumbi aperto igne ſine alio adjecto præparatum.* Quæ verba calcinationem *plumbi* per ſe factam clarè innuunt, ſimulque *ſalis* adjectionem manifeſtè excludunt.

Dum autem hoc in loco illam cum *ſale* præparationem Auguſtani tradunt, nullo modo erroris inſimulari poſſunt; ſiquidem hac ratione ut *plumbum* calcinetur, poſſibile eſſe, nemo ſanæ mentis negabit. Neque mox alteram illam dexteriorem adpellare, aliiſque præferre, convenit.

Poſito verò, præparationes, quæ ſine additione alterius rei non ſtrictè neceſſariæ fiunt, præferendas eſſe illis, quæ cum aliquâ talismodi perficiuntur; hac ratione nec Zvelferum animadverſione non notatum abire poſſe, conſiderandum eſt; qui exempli gratiâ, *pag. 366. in animadverſionib. Emplaſtri albi cocti*, pro meliori, ceu ipſe fatetur, *ceruſſæ* diſſolutione, unà cum *oleo*, *aceti* quoque *deſtillati* additionem adprobat; quam tamen Auguſtani ſolo *oleo*, absque *aceti deſtillati* acceſſu, abſolvunt. Quare ibidem Auguſtanorum modus iſti Zvelferiano, ſecus ac ipſe putat, præferendus eſſe videtur.

Sed videamus etiam deciſionis illius cauſas, quarum duas adfert, & 1. ideo calcinationem *plumbi*, figulorum more peractam, iſti cum ſale perficiendæ præfert, quia ſine additione fiat. Quod ita ſimpliciter poſitum nihil quidquam ſolidè evincit, quin probatione potius adhuc indiget.

Aſt ſi fortè ſumtuum intuitu, qui in *ſal* impendendi ſunt, dictum hoc velit, tunc eâdem facilitate illam *aceti deſtillati* in *Emplaſtro albo* additionem omitti poſſe, regerere licet.

Quamvis in paucam *ſalis* quantitatem, quæ exigitur, tanti ſumtus hîc non ſint faciendi.

2. Quòd *plumbum* per ſe uſtum edulcoratione aut ablutione non indigeat, & hoc ideo, cùm talis edulcoratio nec ad hanc *plumbi*, neque ad alias metallorum calces præparandas quidquam profit. Si Zvelferus *plumbum* per ſe calcinatum illi, cum *ſale* uſto, ob non requiſitam ablutionem prætuliſſet, eò, quòd ibi labor edulcorationi impendendus omitti poſſit, aliquid,

parvi

parvi tamen etiam momenti, dixisset; sed causa, quam ipse subjungit, planè nihil evincit.

Cæterùm de *plumbi calce* edulcorandâ notari potest, quòd, si *calx plumbi* pura, nullis partibus heterogeneis, salsis imprimis, permista desideretur, edulcoratio utique prosit, si calx illa cum ejusmodi salibus corrosivis parata fuerit.

In genere etiam edulcorationem illam ad metallorum calces extendere, inutilemque vocare Zvelferus non debuit, qui *calcem*, seu *crocum auri purpureum*, nec non *aurum fulminans Mantiss. spagyr. part. 1. cap. 1.* aquâ dulci recente, & destillatâ sæpius adfusâ, probè edulcorare, jubet.

PULMONUM VULPIUM PRÆPARATIONEM *pag. 417.* in modum *hepatis lupi* peragere, conveniens ducit Zvelferus, quos etiam *decoctis pulmonariæ*, *veronicæ*, *essentiâ croci*, *myrrhæ* &c. imbuere, & quasi condire, non inconsultum fore, judicat. Quam opinionem nec impugno, nec Augustanorum modum eam tollere, arbitror; siquidem variè rem aliquam in tantâ remediorum ubertate præparari, imbui, aut condiri posse, mihi non est dubium.

SANGUINEM HIRCI PRÆPARATUM *pag. eâdem* à nonnullis, præsertim ab acutissimo *Helmontio*, valdopere in pleuritide commendari, paulò tamen aliter ejus præparationem ab eodem institui, monet; cujus dein verba è *§. 75. tract. Sextuplex digestio alimenti humani* adducit, in quibus *sanguinem hirci*, à castratione effluentem, eligit, quem siccatum instar vitri, difficillimæque triturationis, atque longissimè ab *hircino sanguine* Officinarum differentem esse, *Helmontius* scribit. Eadem repetit & illustrat in *tract. Pleura furens §. 32.*

Mihi quidem sanguinem ita exceptum rejicere, non est animus; sed necessariò miserum *hircum* castrandum esse, ita ut *sanguis* effluens pro usu, curiosè nimis, colligi queat, haud necessarium duco; cùm & *sanguis* ex *hirco* jugulato collectus eosdem effectus spondeat, quos ille à testibus exsectis profluens producere valet; & quidem in adfectibus calculosis, ad quos ab Augustanis, exemplum Medicorum antiquorum secutis, is cumprimis commendatur; unde in *Pulverem Avicennæ è cineribus*, & *Electuarium diureticum Bartholomæi Montagnanæ* recipitur. Quare etiam *hircum* vegetabilibus diureticis prius esse nutriendum, requiritur.

Quod si *sanguis* ita ab *hirco* jugulato, non castrato, collectus, unà cum sero suo, debitè citra combustionem in Balneo vaporoso siccetur, æquè splendentem eum, renitentemque, ac si testicularis foret, adparere, *Exc. Dan. Ludovici* in *Pharmac. modern.* observat.

SCAMMONII PRÆPARATIONEM *pag. eâdem* adſcriptam veram & exquiſitam dici non poſſe, putat, cùm additamenta ſtomachum duntaxat roborare, non verò *ſcammonij* vim & violentiam directè infringere queant. Verùm an exquiſita & vera correctio hæc dici debeat, ut non diſputem, eandem tamen non planè inutilem eſſe, ſufficit.

Nam à *Galeno*, *Ebn Sinâ*, *Meſue*, aliisque *ſcammonium*, quòd quàm maximè κακοστόμαχον ſit, accuſatur. Quare incommodo huic ut obviam irent, ventriculoque proſpicerent, variè illud corrigere tentarunt, quibusmodis etiam præſentem adjungere libet; in quo potiora additamenta, ventriculum imprimis roborando, utilem præſtant operam.

Ipſe autem Zvelferus artificioſiorem correctionem ejus indicare vult, ſi purum ab impuro ſeparetur, cùm multis inutilibus illud ſcateat recrementis, de qua plura in *Mantiſsâ ſequente* dictum iri, promittit; in qua ſaltem *reſinam ſcammonij* juxta modum in *reſinæ gialappæ* præparatione traditum, parari poſſe, è reſiduo autem liquore per abſtractionem extractum, animadvertit. Aſt neque hæc præparatio vera & exquiſita dici meretur, utpote quæ *ſcammonij* vim & violentiam non infringit, ſed partes terreſtriores, quibus vix ulla operandi vis ineſt, ſaltem ſegregantur, *ſcammonio* interim æquè violento cathartico, ac antea erat, manente.

SCORIÆ FERRI PRÆPARATIONEM *pag. citat.* jam antea ſub *chalybis præparatione* indigitatam eſſe, notat, quia *chalybs & ferrum* parùm admodum differant, ac nihil aliud ille ſit, quàm *ferrum* puriſſimum & optimum. Omnia hæc ita ſe habere, concedamus. Quare etiam, quæ de *chalybis præparatione* ſupra prolata fuerunt, ex parte huc trahantur.

De SCORPIONUM USTIONE *pag. cit.* idem, quod de aliorum animalium ſuperiùs productâ combuſtione, Zvelfero monitore, tenendum eſt, Examen tamen prægreſſum ſimilis materiæ unà expendatur.

SCILLÆ PRÆPARATIONE *pag. eâdem* non abs re carere nos poſſe, animadvertit, ſi *ſcilla montana* ſolùm ſive *Hiſpanica*, aut in hortis cicurata ad nos deveheretur; quia hæc tantâ mordacitate, exurenteque malignitate non ſit prædita, qua ſunt *ſcillæ marinæ* in litoribus maris Italiæ uberrimè creſcentes; *Galenus* etiam ipſe *ſcillam* crudam, non præparatam uſui Medicinæ deſtinârit; atque hac præparatione nihil efficiatur aliud, quàm quòd mordacitas *ſcillæ* ex parte diminuatur, non verò totaliter tollatur, ſecus enim viribus ſuis omnimode eam privari, arbitratur. Verùm animadverſio hæc non usquequaque arridet.

Quod equidem *ſcillæ* differentiam, mordacitatis ratione, concernit, eam

eam cognitam jam dudum fuiſſe, extra dubium poſitum eſt, prout etiam præparationem hanc eum in finem celebratam, ut *ſcillæ* mordacitas mitigetur.

Nos autem cùm utplurimum *ſcillis marinis*, Venetiis huc delatis, Auguſtæ utamur, quas mordacitatis, exurentisque malignitatis participes eſſe, Zvelferus adſerit, non iniquè facere videmur, dum ad exurentem illam qualitatem infringendam *ſcillas* præparamus.

Galenum ſcillam hoc modo non præparatam uſui medico adaptâſſe, in *animadverſ. ad Acetum ſcilliticum* Zvelferus jam objecit. Neque negari poteſt, in *lib. 3. de medicamentis facilè parandis cap. 20*, qui *Galeno* adſcribitur, *ſcillæ* tantùm conciſæ, non verò in clibano coctæ & exſiccatæ mentionem fieri. Sed ibidem non *ſcilla marina*, verùm *montana* expreſſis verbis nominatur, quam nocivâ illâ qualitate non ita, ac *marinam*, præditam eſſe, Zvelferus concedit, & ita quoque præparatione iſtâ, pro noxâ corrigendâ, tantopere non indigere, ſequitur.

Cæterùm *ſcillam montanam*, ſive *Hiſpanicam* dum ob dictam cauſam præfert Zvelferus, electionem tamen hîc requiri, ſciendum eſt. Duplicis enim ſpeciei, in Hiſpaniâ creſcentis, mentionem facit *Carol. Cluſius rarior. plantar. hiſtor. lib. 2. cap. 22*, quarum primam in ſpecie *ſcillam*, alteram *pancratium* vocat, *quod abundè*, inquiens, *creſcit in Hiſpaniæ mediterraneis, adeò ruſticis exoſum, ut me ejus bulbos eruentem admonerent, ne deguſtarem, præſentaneum enim eſſe venenum.* Uterque autem bulbus Hiſpanis eodem nomine, teſte eodem *Cluſio*, *cebolla albaranna* audit.

Si itaque per traditam præparationem mordacitas *ſcillæ*, quam malignitate præditam eſſe, Zvelferus ponit, diminuitur & miteſcit, nos autem *ſcillâ marinâ* quoque utimur, præparatione nominatâ non ita carere commodè poſſumus.

Præterea per dictam præparationem, *ſcillæ* mordacitatem ex parte ſaltem diminui, non verò totaliter tolli, ſententiæ Zvelferianæ contrariatur, quam *pag. 219. animadverſ. in Trochiſcos de ſcillâ* adduxit; ubi liquidò patere, putat, *quòd ſi Scillæ nativâ ſuâ humiditate ſpolientur, etiam ſuâ totali priventur eſſentiâ & ſubſtantiâ, ut nil niſi viribus exhauſtæ membranulæ remaneant.* Aſt cùm in præſenti præparatione humiditas *ſcillæ* auferatur, dum eam exſiccari debere, præcipitur, neceſſariò totali quoque eſſentiâ & ſubſtantiâ ſua privari deberet, nil niſi viribus exhauſtis membranulis remanentibus. De qua tamen objectione quid ſentiendum ſit, *Examen animadverſ. in Trochiſc. ſcillitic. pag. 201. & 202.* edocet.

Ex

Ex quo etiam loco, quid de altero Zvelferi dubio decernendum sit, patescit, dum mordacitate *scillæ* ablatâ, viribus suis omnimode ipsam privari autumat.

Si tamen per *scillæ* vires solùm noxias aliquas, quas paulò antea mordacitatis, exurentisque *malignitatis* nomine proposuit, innuat, eo ipso hunc *scillam* præparandi modum non inutilem, sed ob *malignitatis* expulsionem, summè proficuum esse, demonstrat.

De SERICI CRUDI TORREFACTIONE *pag. eàdem*, crudique usu medico, in *Examine Confectionis alchermes*, & *animadversionum, pilarum marinarum præparationi* scriptarum, actum fuit.

SULPHURIS VIVI PRÆPARATIONEM *pag. eàdem* quandoque necessariam non esse, animadvertit, cùm *sulphur* dictum tam purum nonnunquam sit & inveniatur, ut nullâ lotione indigeat; si tamen impurum fuerit, illud *vino*, vel *spiritu vini*, vel *aceto* lavare, tantopere errorem dici non posse, scribit. Quo ipso contra Augustanos propriè non militat, qui purissimum *sulphur* ablutionem illam strictè haud requirere, non nesciunt.

Quamvis & *sulphur vivum*, quod satis purum esse videtur, particulis quibusdam acribus ipsi adhærentibus interdum præditum esse queat, quas removere, & abluere, non inconveniens videri posset.

Quod in fine monet, videlicet nonnullos *spiritum vini*, vel *acetum destillatum* ab eo aliquoties abstrahere solere, ad Augustanos minimè spectat, qui abstractionis illius mentionem nullam faciunt.

De qua etiam quid notare nolo, cùm Zvelferus, in decidendo aliàs satis promtus, num benè vel malè abstractio ista instituatur? haud determinet.

TEREBINTHINÆ COCTIONEM *pag. citat.* meram esse abstractionem spiritus, vel olei spirituosi, observat. Nec sanè negari potest, quòd coctione illâ, præter phlegmaticas acidiusculas *terebinthinæ* partes, oleosæ quoque volatiliores auferantur; quæ tamen, licet inefficaces haud existant, remanentem *terebinthinam* inutilem suâ absentiâ minimè reddunt, quæ etiam (ob quem finem coquitur) sic inspissata Pilulis exin conficiendis, Pulveribus, aliisque nonnullis compositis idonea evadit.

Interea cui, coctionem non aperto vase, sed in vesicâ cum alembico instituere, sicque eâdem operâ *oleum* quoque *terebinthinæ*, pro aliis usibus, impetrare placet, is reprehensionem non meretur.

Ab Augustanis autem *oleum* ex *terebinthinâ* absque aquæ additione destillatum, quod à nonnullis illi cum aquâ prolecto oleo præfertur, expeti, Eorum *Mantissa hermetica* monstrat.

Circa

Circa TUTIÆ CALCINATIONEM ET PRÆPARATIONEM *pag. cit.* hanc dat Zvelferus animadversionem : *Tutiæ calcinatio prior, posteriori satis tædiosa meritò præferenda est.* Verùm duplicem quidem *tutiæ* calcinatæ præparationem, unicam autem tantùm calcinationem Augustani tradunt.

Unde nulla prærogativa hîc datur, cùm prior & posterior eadem existat ; sique posterior tædiosa dici, eodem nomine prior quoque insigniri deberet.

Quia igitur in calcinatione nulla adparet diversitas, eandem fortè in subsequente præparatione indicare voluit Zvelferus ; ubi utique verum redditur, posteriorem magis tædiosam, quàm priorem esse ; dum scilicet *tutia* priori modo elaborata, in posteriori, linteo inclusa, in vase, aquâ clarâ pleno, hinc indè agitatur, ut tenuior ac melior ejus pars in aquam effluat, crassiore in linteolo relictâ ; ista autem, postquam in aquâ resedit, supra porphyriten ex *aquâ rosarum* lævigata in pastillos cogitur.

Ast num illa prior huic operosiori mox præferenda sit ? dubito ; quia hac ratione *tutia* multò tenuior redditur, atque ita, in Collyriis cumprimis, usus ejus aptior esse videtur.

VESICARUM APRORUM PRÆPARATIONEM *pag. 418.* juxta normam in *hepatis lupi &c. præparatione* traditam, nempe eas in B. M. exsiccando, commodè peragi posse, admonet. Quod equidem, cui volupe id est, per me observet.

Augustanis animadversio hîc propriè non scribitur, qui purgatas *aprorum vesicas* exsiccare, simpliciter præcipiunt.

Quam exsiccationem in clibano, B. aliove loco calido instituere, perinde est.

Cæterùm de hac in M. B. exsiccatione aliquid jam in *hepatis, & intestini lupi præparatione* notavi.

VITRI USTIONEM ET PRÆPARATIONEM *pag. eâdem*, levidensem ac planè inutilem adpellat, atque ceu ineptissimam, omni jure se explodere, addit, cùm *tantas involvat absurditates ; ut si quis accuratiori examini & judicio eam subjicere vellet, animumq; haberet reprehendendi pronum, materiam sanè suppeditaret sufficientissimam, vel hanc aut aliam similem ex præmissis præparationibus nugacissimis, omni vulgo notissimâ & rusticanâ Philosophiâ carentibus, in volumen extendendi, & infinita absurda hinc deducendi, quæ indigna essent Philosopho rationali.* Sed calamum sisto, nec reliqua homine, non dicam erudito, indigna verba adduco, ne docto & humano Lectori in recensendis iis tædium adferam.

Si ex

Si ex ullâ, certè ex hac Zvelferi animadversione, impotens ipsius, & malignus in Augustanos, aliosque, Medicos cumprimis antiquos, animus elucescit.

Quæ cuncta scommata, & verba injuriosa, nihil ponderis habentia, sed invidos, indoctosque animos saltem titillantia, silentio transilio; licet plura circa hanc materiam in Zvelferum retorquere, facillimum esset.

Ipsum potius ζητούμενον evolvamus, quod circa virtutem *vitri usti* versatur, licet de hac agere, propositus à Zvelfero tractandi modus non ita permittat.

Itaque, *Vellem*, inquit, *clariùs constaret & sese explicuissent, cur tantoperè hoc medicamentum desideretur, aut ob quas eximias virtutes in officinis prostare debeat?* Mirum, quòd Zvelferus causam, ob quam *vitri præparatio* exigitur; & quas virtutes habeat, sciscitetur, quam, si frontispicium *hujus Classis* saltem intueri, simulque medicamentorum in *præcedentibus Classibus* descriptorum, compositionem perlustrare non oblitus fuisset, facilè cognovisset.

Talis enim *præsenti Classi* titulus ab Augustanis inscribitur: *CLASSIS VIGESIMA*, *Præparationes quorundam Simplicium, quorum in hoc Opere mentio facta est, dilucidans.* Si nunc præparationes Dispensatorij hujus evolvantur, *vitrum ustum* in medicamenta diuretica & lithontriptica recipi, mox adparet, prout illud in *Pulvere è cineribus Avicennæ*, & *Electuario diuretico Bartholomæi Montagnanæ* conspicitur, quæ utraque, præter urinas ciendi potentiam, calculosis prodesse traduntur.

Quamvis, hæc medicamenta composita Augustanis non ampliùs usitata dum sunt, *usti vitri* etiam præsentiam in Eorum Officinis strictè non requiri, simul indicent.

Facilè quoque usum illum *vitri usti* medicum percipere potuisset ex aliis Autoribus, qui de eo literis quid tradentes, ipsi virtutem dictam omnes adscribunt.

Galenus cumprimis *5. de simplic. medicamentor. facultatib. cap. 13.* urinam illud provocare, jam dudum scripsit; & *de renum affect. dignot. & medicat. cap. 8.* potenter calculum frangere, testatus fuit.

Pariter *Ebn Sina* in calculo renum & vesicæ *vitrum ustum* commendavit, ceu ex *lib. 2. tract. 2. cap. 831.* patet; nec non *lib. 3. fen 18. tract. 2. cap. 19.* ubi simul modum illud urendi edocet.

Hinc minimè errat Zvelferus, dum ob singularem vim lithontripticam medicamentum hoc desiderari, existimat.

Quam tamen si quis in eo sibi imaginetur, eum toto errare cœlo, clamat,

mat. Sed hoc ipſum adſertum ſuum neque experientiâ, neque ullâ ratione comprobat.

Econtra multorum ſeculorum decurſu uſum ejus Medicis non inutilem fuiſſe obſervatum, certiùs conſtat.

Unde *Clariſs. Jo. Rhodius ad cap. 153. Scribon. Largi pag. 227.* non dubitat, quin *vitrum* in hujusmodi caſu utile ſit, *maximeque*, addens, *Auguſtanorum placito cinefactum : Ideoq; Antonius Guainerius ævi ſui medicus percelebris de Calculi paſſ. cap. 8. jure laudat.*

Zvelferus autem vim lithontripticam, ſi quæ aliquando in exhibitione ejus ſit animadverſa, non à *vitro* emanâſſe, ſed potius à *ſale ſtipitum fabarum*, in quo talis vis ſabulum & arenam pellendi ineſt, judicat. Sed ſiniſtrè ſatis lata eſt ſententia.

Non quidem negatur, *ſali ſtipitum fabarum*, eorumve *lixivio* vim iſtam deberi, quod *Petrus Foreſtus*, ex *Manardo*, *lib. 24. obſervat. 25*, nec non *Ambroſ. Paræus Oper. chirurgic. lib. 16. cap. 37*, *Joh. Schröderus Pharmacop. med. chim. lib. 4. claſſ. 1. cap. 140.* teſtantur. Aſt huic ſoli omnem virtutem, ſi quæ aliquando ab exhibitione ejus fuerit obſervata, tribuere, propterea non decet.

Hac enim procedere methodo ſi liceret, plurima Zvelferi medicamenta reformare, daretur; ſi in eorum aliquibus ingredientis cujusdam virtutes, cordiales, ſtomachicæ, nephriticæ &c. concederentur, & reliqua conjuncta ingredientia fruſtrà adjici, diceretur, cùm virtutes illæ, ſi quæ obſerventur, illi, non hiſce ingredientibus debeantur.

Interea tamen *vitri*, Auguſtanorum præſcripto modo *uſti*, vires non tam *ſali fabarum*, quàm potius ipſi *vitro* adjudicare, æquum eſt, cùm *lixivium* iſtud, in quo *vitrum* candefactum extinguitur, non unà cum *vitro* exſiccetur, ſed, ſolo *vitri* tenuiſſimo polline reſervato, effundatur. Unde quidquid *lixivij* adhuc cum *vitro* cohæret, non niſi perpaucum eſſe poteſt, cujus perexigua granuli particula, ſingulæ *vitri* doſi adjuncta eſt, quæ ita per ſe ſola nihil quidquam efficere valet.

Aſt non poſſe *vitrum* ſic *uſtum*, & in impalpabilem pulverem redactum, ſine periculo, aut detrimento ægroti exhiberi, licet illud protinus non perſentiatur, haud facilè Zvelfero largior. Sed cùm fundamentum hujus adſerti ſui non proponat, de eo pluribus agere ſupervacuum eſſet.

Mitto itaque hæc, & potius ad ultimam PRÆPARATIONEM, quæ eſt UNGULÆ ALCIS *pag. eâdem*, aliorumque ſimplicium ibidem recenſitorum, me confero.

Ubi *ungulæ alcis* parandi modum, si juxta *animadversiones, in præparationem cranij humani* factas, instituatur, minimè destructoriam, sed utilem potius esse, monet. Qua de materiâ igitur *Examen illarum* consulatur.

Augustanorum modo institutam præparationem neutiquam sanè destructoriam pariter dici posse, certum est.

Eadem reliquorum enumeratorum simplicium parandi norma, per trituram scilicet & lævigationem peragitur; quorum noñulla haud difficulter eo modo concinnanda admittit, præsertim quæ molliora & friabilia sunt, nec *vitri* aut *adamantis* duriciem æmulantur, uti *blattas byzantinas, coralia alba, & rubra, margaritas, oculos cancrorum*, & similia, maximè si lævigatio supra lapidem durissimum, de quo nihil medicamento accedat, aut quàm minimum comunicetur, qualis porphyrites est, instituatur. Hac animadversione nihil contra Augustanos movet, qui similes lævigationes in lapide durissimo, uti *porphyrite*, celebrandas esse, Pharmacopœos suos non latere, probè sciunt; illudque etiam in prioribus nonnullis præparatis in specie, uti *chalybis cum aceto*, & *sulphure*, ac in *cornu cervi usti præparatione* adnotârunt.

Aquas verò, quibuscum res prædictæ studiosè præparari jubentur nequicquam de virtutibus suis impertiri iis posse, animadvertit, ob rationes sæpius, & paulò ante in *magnetis præparatione* inculcatas. Quamvis aquam etiam vulgarem purissimam destillatis, quæ ad lævigationem adhibenter, substitui posse, non contradicam, tantum tamen erratum illud Augustanorum non est.

Quin insuper quàm benè in consimili modo se gesserit Zvelferus, *Examen animadvers. in magnetis præparat.* saltem evolvatur.

Nunc ad cæteros duriores lapides atque gemmas, quandam *vitri & adamantis* similitudinem habentes, progreditur, eosque difficillimæ trituræ & lævigationis esse, multumque laboris & temporis requirere, antequam usui idonei reddantur, in qua diuturnâ præparatione, asperitate & duritie suâ, accedente præparantis nisu & compressione, multas lapidis partes abradi, & ita gemmis præparatis admisceri, scribit. Quare etiam ob hanc rationem, aliasque in *animadversionib. Classis undecimæ*, nec non super *Emplastrum opoteldoch* circa *magnetis præparationem* prolatas, rudem hanc, uti vocat, præparationem simpliciter se admittere non posse, concludit. Verùm quod *animadversiones Classis undecimæ* concernit, ad eas in *Examine ipsarum* jam respondi.

Qua autem ratione *Emplastri opoteldoch, magnetisve* in eo positi *præparationis animadversiones* huc trahendæ sint, clariùs exprimere debuisset, quò de iis judicium ferri potuisset.

Com-

Communicari gemmis, lapidibusque durioribus aliquas marmoris, in quo lævigatio peragitur, particulas, non planè negabo; ast propter has, ipsa talis præparatio non mox rejici prorsus debet.

Præterquam enim, quòd in lapide durissimo, vel in *porphyrite* lævigationem obire conveniat, ubi magna particularum lapidis abrasio non fit, multò minùs tanta, ut simplicia ista duriora sic præparata duplo, aut triplo quoad pondus, ceu objicit Zvelferus, augeantur; illæ quoque paucissimæ particulæ abrasæ, tum quòd minimâ in quantitate singulas alicujus medicamenti, ad quod talismodi præparati lapides usurpantur, doses ingrediantur, tum exiguam possideant ad corpus nostrum alterandum potentiam, &, si quam habent, noxia tamen ea haud existat, notabile aliquod, imò vix ullum damnum corpori humano, si ita cum præparatis ingerantur, inferre neutiquam valent.

De *lapide ætite*, cujus præparatio cum *aquâ tormentillæ* ab Augustanis traditur, notat, quòd is, periapti instar, corpori prægnantis, aut parturientis alligatus, supra renes, si fœtum diutius in utero materno continere, abortumque prohibere debeat; infra renes autem & cruribus, si partum promovendi animus sit, multa præstet. In subtilissimum verò pulverem tritus & lævigatus, additâ licet *tormentillæ aquâ*, non fit, quod nobis de virtutibus dictis quidquam promittamus, nisi fortè vim adstrictivam illi, taliter præparato, si intra corpus sumatur, tribuamus. Idem judicium de plurimis aliis lapidibus preciosis dat &c. Quæ tamen iterum nihil quidquam contra Augustanos evincunt.

Namque *lapidis ætitis* præparatio hîc consideratur, quatenus cum aliis medicamentis permisceri postmodum debet, non verò quatenus integer externè, periapti instar, corpori adplicatur. Diversa enim hæc esse, Augustani probè norunt.

Quanquam virtus illa *lapidis aquilini*, in retinendo, vel expellendo fœtu, in adplicatione diversâ consistens, quòd tantum præstet, nondum planè concessum sit, cùm fiduciæ in eum plus, quàm virtutibus, meritisque ejus hîc tribuendum esse, nonnulli contendant.

Imprimis *Conradus Gesnerus lib. 3. histor. animal.* contra hujus usum acriter admodum decertat.

Et tantum ferè efficere eum posse, credibile est, quantum arboribus adligatus; dum summitati earum adpensum, ne fructus decidant, inferiùs autem, ut decidant, in causâ ipsum esse, aliqui tradunt. Quod tamen minimè succedere, ab aliis, periculum hujus facientibus, observatur.

Cæterùm Auguſtanos *ætiten* pulveriſatum, ob vim adſtringentem in uſum trahere, clarè ſatis *Pulvis Stegnoticus D. D. Gutmanni*, qui lapidem hunc recipit, oſtendit, cujus nimirum uſus in ſanguine ſiſtendo imprimis verſatur.

Unde ad fluxus ſanguineos narium & hepatis ſiſtendos, nimium menſium fluxum, dyſenteriam, nec non ad ſupprimendum vulnerum ſanguinem commendatur.

De gemmis autem, periapti inſtar adhibitis, diſſerere, pariter huc minimè ſpectat.

Quid circa reliqua ſimplicia, in fine *hujus Claſsis* denominata, obſervandum ſit, ex hucusque dictis pateſcit.

Quare *huic ultimæ Claſsi*, quam plurimis inutilibus & deſtructivis rerum præparationibus refertam haud eſſe, Examen traditum contra Zvelferi inſimulationes evincit, colophonem impono, atque ad *Mantiſſam Hermeticam Auguſtanorum* progredior.



RESTI-

RESTITUTA MANTISSA HER-METICA.

SPIRITUS SIMPLICES.



Ntequam ad ipsas Compositionum hac in *Mantissà* consignatarum præparationes progrediar, quid in præfixâ *præfatione*, quam illi Augustanorum à se silentio involutæ substituit, Zvelferus proferat, enarrare prius convenit.

De medicamentorum enim Chimicorum præstantiâ, eximiisque virtutibus, queis præ aliis, more Galenico, id est, rudi elaboratis, eminent, nonulla in medium proferre, sibi incumbere, scribit; quod tamen, ut scriptionis operam compendifaciat, cùm à pluribus Medicis id factum jam fuerit, nec suspensâ hederâ opus sit, intermittit.

Ita est. Chimia multis egregiis medicamentis Artem medicam ditavit, quibus hac ætate vix ampliùs carere possumus.

Interea tamen thrasonico elogio eadem commendare, quod nonnulli consuevêre, haud decet; neque etiam simpliciter medicamentis, uti vocantur, Galenicis, præferri possunt; cùm in hoc, vel illo adfectu modò Galenicorum, modò Chimicorum medicamentorum usus emineat.

Insuper nonnulla præparatio Chimica præ aliquibus Galenicis; econtra aliqua Galenica nonnullis Chimicis eminere, jure merito dicitur.

Neque consentire Zvelfero, & medicamenta Galenica rudi more elaborata esse, simpliciter concedere possum; cùm, quantum sæpius artificium contineant, nemo eorum parandorum gnarus ignorare queat.

Quin si illa tam rudis sunt præparationis, plurima Chimica eodem elogio mactari debere, nemo, qui eorundem elaborationem cum Galenicorum confectione attentè comparat, negabit.

Pergit dein Zvelferus, & de Chimicæ artis difficultate paucis agere decernit; cùm nonnulli sint, qui adeo facilem ipsam esse, autumant, ut vel sex mensium spatio, & alij (quod maximè miratur) intra decursum sex, septemve septimanarum, quantum Medico necessarium, integrè addisci posse, audacter adserere non vereantur. Quibus verbis in *Angelum Salam*, & *Ant. Guntherum Billichium* calamum vibrat; quorum ille sex mensium spatio Studiosum medicinæ tantum in Chimicâ arte proficere posse, auctarij

& su-

& superpondij loco *Aphorismis suis chimiatricis* adposuit, quantum sufficiat Medico elegantiori. Hic verò in *Coronide*, *Observationibus & Paradoxis chimiatricis* superadditâ, eum, qui tempori, preciosissimæ rei, parcere malit, totidem septimanis cursum omnem absolvere posse, statuit, methodumque id consequendi simul aperit.

Quamvis ad Chimiæ exactam scientiam, penetraliumque ejus pervestigationem obtinendam, neque integram hominis ætatem sufficere, libenter Zvelfero largiar; attamen dum superficiariam potius, minùsque exactam cognitionem Scriptores illi intelligere, mihi videntur, ita ut Medico sufficere, existiment, debitam furnorum structuram callere, aquas destillare, olea separare, extracta conficere, aliaque medicamenta usitatiora parare, non adeo inconcinnè locuti fuerunt.

Ast dum Zvelferus hîc statuit, quòd illi, qui ipsam, scilicet Chimiam, exactè callere, ejusque penetralia pervestigare velit, non septimana una aut altera, non menses aliquot, nec annus integer, imò nec omnes suæ vitæ dies sufficiant, & ita neminem ad plenariam Chimiæ cognitionem pervenire, innuit; nihilominus autem, paucis tantùm interjectis lineis, aliquos ad culmen ejus penetrâsse, his verbis: *ut pauci admodum inter tot millia hominum culmen ipsius attigerint*, adserit, ἀναλογίαν iterum committit.

Causam verò hujus difficultatis longo ordine prosequitur, & mox in principio culpam in tot, tamque varia, quæ nos deludunt, Chimicorum scripta, mendis & mendaciis referta, eorundemque processus ferè infinitos, laborem irritum reddentes, culpam rejicit. Quæ utique vera in plurimis esse, nemo dubitat.

Horum etiam, ne longiùs abeam, exemplum vel ipse noster Zvelferus exhibet, cujus *Mantissa Spagyrica* plures processus fictos exhibet; prout inferiùs de hujusmodi specimine, circa *Mercurialis aquæ*, pro *liquore alcahest* venditatæ, elaborationem occurrente, quædam monere, occasio dabitur.

De *ejusdem Mantissæ Mercuriis* ex *antimonio* proliciendis, quos nunquam confecisse ipsum, ferunt, idem alij jam observarunt.

Hinc utique magniloquis processibus non mox fidendum, sed omnia curioso oculo attentè prius pervestiganda esse, concedo, ne nempe incassum laboremus.

Difficultatem itaque hanc intimiùs considerans Zvelferus, vix ac ne vix quidem ad corrigendam Augustanorum *Mantissam Hermeticam*, licet communissima saltem & officinalia contineat, animum se disponere posse, scribit; à quamplurimis tamen sollicitatus & quasi impulsus, opus hoc adgreditur, in quo quid præstiterit, nunc dispiciamus.

Primò

Primò omnium SPIRITUS SIMPLICES ſe offerunt, de quibus notat Zvelferus, quòd ij legitimè, & ſecundùm artem ſpagyricam præparati, qui ab aliquo ſubjecto, vegetabili, minerali, vel animali denominationem ſortiuntur, ex eo ſolo & unico conſtare ſoleant & debeant; utpote *Spiritus abſinthij* ex ſolo *abſinthio*; *liliorum convallium* è *liliis convallis &c.* Eum autem, qui primus in hac *Mantiſsâ* deſcribitur SPIRITUS ABSINTHII *pag. 423.* non tam *abſinthij*, quàm *Spiritum vini abſinthiten* dici mereri. Verum eſt, ſi ſtrictè nomen *Spiritus abſinthij* præſentis expendere velimus, eum *Spiritum vini abſinthiten*, aut alio modo adpellari poſſe; ſed cùm hîc propriè non *Spiritus vini* habeatur ratio, ſed *abſinthij*, quod hîc tanquam baſis, & cujus vires, volatiliori in parte conſiſtentes, expetuntur, ſe habet, *Spiritus vini* autem eâ ferè ſolùm ratione accedat, quatenus oleoſas *abſinthij* partes diſſolvit, imbibit, ſecumque per alembicum ducit, non video, cur *Spiritus abſinthij* dici nequeat? præcipuè cùm *abſinthij ſpiritus*, absque *vini ſpiritu* deſtillati, vires optimè adæquet.

Prout *Aquam cinnamomi* absque additâ *aquâ fontanâ*, *vino &c.* non parari, & tamen à Zvelfero ſimpliciter *Aquam cinnamomi* vocari, notum eſt, cùm potius, ſi ſtrictè loqui velimus, *Aqua fontana cinnamomea*, *Vinum deſtillatum cinnamomeum &c.* dici deberet.

Aliud exemplum in *animadverſionibus Sirupi de portulacâ Meſues* ſuggeritur, cujus *pag. 44.* mentionem feci; dum *Aquam endiviæ* producit, quæ tamen aliis etiam ſimplicibus ortum debet.

Adplicari huc poſſet nomen famoſi *Spiritus Veneris*, qui, juxta ejus conſtitutiva à Zvelfero ipſi adſignata, *Spiritus aceti*, *vinoſus*, *urinoſus*, *venereus &c.* dici poſtularet.

Olea cocta ſimplicia, quæ in *Pharmacopœiâ Regiâ* deſcribit, non ſimpliciter, v. g. *Oleum abſinthij*, *anethi*, *chamæmelinum &c.* ſed *Oleum olivarum abſinthiacum*, *anethinum*, *chamæmelinum &c.* dicenda forent; quia non ex ſolo & unico *abſinthio*, *anetho*, *chamæmelo*, ſed unà ex *oleo olivarum* conſtant.

Imò ejusdem *Oleum maſtichinum*, quod *Pharmacop. Reg. pag. 262.* producit, *Oleum olivarum cum majoranâ, & maſtiche*, è quibus nimirum conſtruitur; & *pag. 263. Oleum ex ſtyrace*, *Oleum olivarum*, vel *Oleum amygdalorum amarorum cum ſtyrace, & tacamahacâ*, adpellari requireret.

Quin & *Spiritus abſinthij ſimplex*, legitimè paratus, ſi ex ſolo & unico *abſinthio* conſtare debet, certè neque ille, cujus confectionem, fermentationis ope, paulò poſt deſcribit Zvelferus, talis eſſe poteſt; cùm ille potius *compoſitus* exiſtat, *abſinthio*, *ſpirituiq; fermenti*, vel *ſacchari* ortum debens.

Fermen-

Fermentando enim, *saccharum* ſpirituoſum evadere, & per deſtillationem ſpiritum ardentem largiri, Chimicis jam in confeſſo eſt. Prout idem de *fermento* quoque dici debet, ſcilicet ſpiritum aliquem illud emittere. Hi itaque ſpiritus, è dictis corporibus recluſi, oleoſis *abſinthij* partibus, per fermentationem, accedente phlegmate, in ſpiritum reſolutis, ſeſe permiſcent, & unà per alembicum in vas recipiens tranſeunt.

Quibus itaque conſideratis, Spiritui huic Auguſtanorum, *Infuſionem abſinthij, ſpiritu vini* factam, præfert, utpote quæ ipsâ eſſentiâ *abſinthij* imbuta eſt, nec minori, ſed majori potius efficaciâ pollet, quàm *ſpiritus vini*, unà cum partibus *abſinthij* ſubtilioribus duntaxat ac volatilioribus per alembicum prolectus, relictis in reſiduo virtutibus ejusdem potioribus. Quamvis non negaverim, *Eſſentiam abſinthij* cum *ſpiritu vini* paratam, ſi ſimpliciter vires ſtomachicæ &c. ſpectentur, efficaciorem eſſe *Spiritu abſinthij*; aſt cùm Auguſtani liquorem aliquem ſummè penetrantem, & è meris volatilibus partibus conſtantem, nullo inſuper colore imbutum, ſed limpidum, pellucidum & colore planè aqueum hîc deſiderent, cujus multiplex dein uſus eſſe poſſit, eo ipſo Spiritus Eſſentiâ præſtantior eſt.

Aliàs pari jure plurimas Aquas deſtillatas, Spiritusque è *Pharmacopœiâ Regiâ*, inibi præſcriptos, removere, iisque Infuſiones ſimplicium, è quibus prolecti ſunt, tanquam efficaciores, ſive partibus terreſtrioribus æquè utilibus imbutas, præferre, & ita Zvelferum reformare, poſſum.

Norunt etiam Auguſtani *Eſſentiam abſinthij* per infuſionem laudatam conficere, quam pro variâ intentione, modò Spiritui præferunt, modò poſtponunt.

Si verò in reſiduo à deſtillatione virtutes potiores hærent, iniquè nimis cum *Sirupo de abſinthio Meſues* (quo de in *ejus Examine* actum fuit) Zvelferum agere, obiter noto, quòd eundem, partibus ſubtilioribus, coctione vel deſtillatione avolantibus, orbatum eſſe, creditum, nullius fore efficaciæ, ſtatuat; & *pag. 225. Apolog. contra Tackenium* ſpirituoſam ejus partem, totius energiæ & effectus originem adpellet.

Cæterùm de Eſſentiis tractare, hujus loci non eſt.

SPIRITUM ANISI *pag. eâdem*, potius *Spiritum vini aniſatum* dici debere, & nec ab antecedentis *Spiritus abſinthij* præparatione quidquam differre, nec ullum artificium hermeticum in ſe continere, animadvertit. Quem igitur elegantiorem & efficaciorem, additione *olei aniſi deſtillati, ejusdem ſeminis extracto*, & *ſale*, parare edocet. Quæ tamen majori ex parte in *præcedentis Spiritus Examine* diſcuſſa jam fuerunt.

Quare hoc ſaltem moneo, licet magnum artificium hermeticum Spiritus

ritus hujus præparatio non oſtentet, planè nullum tamen in ſe continere, falſum eſſe.

Sufficit, Spiritum hunc magnæ eſſe efficaciæ, & præſcriptam deſtillationem voto Medici ſatisfacere.

Auguſtani non ſingulare aliquod artificium hermeticum hîc oſtentare, in animo habuerunt, nec magnificis inſcriptionibus & deſcriptionibus gloriolam in ſuâ *Mantiſsâ* captare, laborarunt; ſed medicamenta experta, atque periclitanti proximo ſalutaria adponere, mens Eorum propriè fuit.

Interea magnorum arcanorum divitem poſſeſſorem, artificioſarumq; ſpagyricarum operationum diſpenſatorem, Zvelferi *Mantiſſa Spagyrica* num eundem eſſe, qualis equidem videri vult, ſufficienter comprobet? alij judicent. Mihi ſanè, plures ineptias, multa vulgaria, nonnulla haud adeo artificioſa inibi contineri, dum eam perluſtro, adparet.

Spiritum autem hunc *aniſi*, ubi additione extracti &c. elegantior fieri debet, non ampliùs *Spiritum*, ſed *Eſſentiam aniſi* vocabimus.

Circa SPIRITUS CERASORUM NIGRORUM, ROSARUM, aliorumque conſimilium *pag. cit.* præparationem nihil contra Auguſtanos adducit.

Cæterùm dum herbas & flores longè minorem præbere Spiritus quantitatem, quàm fructus, in genere animadvertit, non usque adeo benè diſſerit. Si enim herbæ vel flores multas oleoſas contineant partes, eorumque debita proportio fermentata &c. deſtillationi committatur, majorem certè, vel parem impetrare licet Spiritus eorum quantitatem, quàm ex aliquo fructu non ita oleoſo.

Ex. g. ſi *libræ quatuor ſummitatum lavendulæ*, poſt debitam fermentationem, deſtillentur, illæ utique ſimilem, vel largiorem Spiritus proventum dabunt, quàm *libræ quatuor* ex g. *ceraſorum nigrorum*, *fragorum &c.* fermentatorum deſtillatæ.

Baccas quidem *juniperi*, utpote copioſo oleo prægnantes, plurimos præbere Spiritus, nunquam inficias ibo.

De SPIRITU SALIS *pag. eàdem* genuino, in aliquâ copiâ vel quantitate, magnâ cum difficultate adquirendo, non ſatis querelarum apud Pharmacopœos, & Chimicos eſſe, unde dictum Spiritum raro purum, atque aliis (maximè Spiritu nitri) non adulteratum divendi, ſcribit. Cujus difficilis deſtillationis cauſam à nemine adhuc detectam, aut adſignatam, ipſam tamen naturam nobis patefacere, putat. Verùm *Spiritus ſalis*, cum *bolo* deſtillati, parcum ſatis utplurimum eſſe proventum, ideoque adulterationem ipſum quandoque incurrere, haud negabo.

Pariter

Pariter non disquiram: an difficilis illius destillationis causa hactenus ab aliquo detecta fuerit? cùm hoc nihil contra Augustanos evincere videatur.

Ast causa, quam ab ipsâ naturâ nobis patefactam producit Zvelferus, vix admitti potest; dum in ipsâ destillatione egredientes & fervidos *salis Spiritus* statim *terram figulinam*, cui sal permixtum est, adgredi, corrodere, & ita se reciprocè destruere, scribit, ut exigua portio spiritus, eaque tota phlegmatica transeat; quod à *Spiritibus* hujusmodi *acidis*, *salis*, *vitrioli &c.* probare nititur, quos, super *arenam*, *lateres*, aut *terram figulinam siccam*, vel *bolum* si fundantur, fermentare veluti, & ebullire, inque res prædictas agere, & agendo vicissim pati, imò totaliter destrui, ac in aliud ens converti, venditat, non secus ac si pro solutione rerum aliarum mineralium & metallicarum adhibiti essent. Negari quidem nequit principium, cui adsertum suum Zvelferus superstruit, nimirum quòd, si *Spiritus salis*, *vitrioli*, aliique acidi *bolo &c.* adfundantur, non quidem fermentatio, sed ebullitio oriatur, tantum tamen abest, ut *Spiritus salis &c.* actione istâ totaliter destruantur, ac in aliud ens convertantur.

Contrarium enim ipsa natura quasi patefacit. Siquidem eandem ebullitionem, ubi *simplex* tantùm *aqua* ejusmodi *bolo* infunditur, percipere licet; quæ tamen *aqua* neque corrosivis illis gaudet spiritibus, qui in *bolum* agere possent, neque etiam ob actionem illam destruitur, cùm tota iterum abstrahi queat.

Cognoscere id potuisset Zvelferus, si ablutionem tantummodo *boli siccæ*, contra quam in *Classe ultimâ animadvers.* verba fecit, vel etiam *luti*, pro furnorum ad labores chimicos requisitorum structurâ expetiti, præparationem è terrâ siccâ, attendisset, ubi *aquam simplicem* adfusam pariter ebullitionem excitare, notissimum est.

Ac ita ebullitio hæc cum illâ, quæ in *cornu cervi usto*, ab infuso *spiritu vitrioli*, *aquâ simplici &c.* observatur, conveniret.

De quo *C. C. usto*, aliisque *animalium ossibus combustis pag. 215. Apolog. contra Tacken.* scribit, quòd indifferenter se habeant ad recipiendum quemcunque liquorem, sive acidum, sive salsum, aut insipidum etiam, & dulcem, tantum nimirum, quantum pro eorum humectatione saltem sufficit. Quemcunque enim liquorem è prædictis *cornu cervino usto* adfundas, ebullitionem oriri, deprehendes. Pariter se res habet cum *bolo*, quæ indifferenter se habet ad recipiendum quemcunque liquorem, sive acidum, sive salsum, aut insipidum etiam, & dulcem, tantum nimirum, quantum pro sui humectatione saltem sufficit, imbibendo.

Quin actione illâ non destrui spiritus acidos, ipsa destillatio, debitè & cautè instituta, evincit.

Si enim exquisita fiat cum justâ *boli* quantitate, *salis* permixtio, debitum etiam ignis regimen attendatur, largè satis spiritus illos prodire, ij, qui similes operationes ritè tractarunt, non ignorant.

Scitè de illâ agit *Ant. Gunth. Billichius lib. 1. observat. ac paradox. chimiatr. cap. 5.* dum *sal calcinatum* in minutissimum pulverem, quò ita exactè cum *bolo, sabulo, argillâ &c.* misceri queat, redigere, præcipit. *Misceri autem*, subjungit, *opus est, tum ut futuræ ebullitionis effera vis compescatur, tum etiam ut solidæ materiæ interjectæ disjungantur particulæ, disjunctæq; examinentur, quæ conjunctæ atque unitæ inexpugnabili robore obnituntur stillationi.*

De hac solertes nonnulli Chimici observarunt, quòd parcè eliciatur *salis Spiritus*, ob ignis neglectum regimen, à quo immoderato in fluorem redigantur particulæ salinæ.

Quare etiam si *boli* larga satis quantitas *Spiritu salis* imbuatur, & post finitam ebullitionem, lentamquè exsiccationem *bolus* retortæ includatur, ac destillationi adaptetur, *Spiritus salis* æquè acidus denuo egreditur. Prout idem superinfusis *unciis tribus Spiritus dicti, libræ uni & dimidiæ boli vulgaris*, observare mihi licuit.

Si autem acidi spiritus *bolo* juncti destruerentur, & in aliud ens converterentur, cur idem hîc non fieri debeat, nulla causa subest.

Exemplum de Spirituum acidorum in mineralibus & metallis destructione, quod pro argumenti sui robore adducit Zvelferus, contra ipsum militat, meamque sententiam non parùm confirmat; dum *Spiritus acidos salis, vitrioli &c. in lateribus, terrâ figulinâ, bolo &c.* totaliter destrui, atque in aliud ens converti, statuit, *non secus, ac si pro solutione rerum aliarum mineralium & metallicarum adhibiti essent.* Ubi quidem utique verum redditur, *Spiritum* v. g. *vitrioli*, rei metallicæ, uti *Marti*, pro ejusdem solutione adfusum, in *Martem* agere, & agendo vicissim pati, saporemque suum acidum deponere; ast planè destrui, contra omnem rationem, & experientiam militat.

Aliàs etiam e. g. *Spiritus vitrioli Martis*, in *Mantissâ spagyricâ pag. 336.* à Zvelfero descriptus, non ens esset. Dum enim, ceu quoque docet Zvelferus, *vitriolum ferri*, per *Spiritum vitrioli* (solvendo nimirum *limaturam ferri* cum *Spiritu vitrioli, vel sulphuris*, ac solutionem in crystallos, seu *vitriolum* redigendo) paratum, ad ejusdem destillationem adhibetur, atque hæc ad totalem humiditatis radicalis, oleique rubri expulsionem continuatur, in retortâ nil nisi verus ac legitimus *crocus Martis adstringens*, liber ab omni

omni ſalſedine, remanet, deſtillatus autem Spiritus acidus & corroſivus exiſtit. Si itaque ille *vitrioli Spiritus*, ad prædicti *vitrioli* præparationem primò adhibitus, extremâ Vulcani violentiâ iterum à re metallicâ, *Marte*, ſeparatur, quomodo is deſtructus ab eâ dici poteſt?

Quam deinde objectionem ſibimetipſi format de SPIRITU NITRI, qui, licet cum *terrâ figulinâ*, aut *bolo* deſtillatio ejusdem peracta fuerit, acidiſſimus tamen & corroſivus impetretur, meam non facio; cùm ea Auguſtanorum non ſit.

Quamvis vanitas ejus ex antedictis jam ſimiliter eluceſcat.

Spiritum nitri etiam cum *terrâ figulinâ* à Zvelfero ipſo deſtillari, inferiùs notabitur.

Adeoque nondum patet, proceſſus hoſce, videlicet deſtillandi *Spiritum ſalis &c.* cum *terrâ figulinâ*, *bolo &c.* ſi peritum, induſtriumque artificem inveniant, eſſe explodendos, vel indignos, & qui mendis ſcateant, adpellandos.

Cui autem commendatum à Zvelfero *alumen uſtum bolo &c.* ſubſtituere, ſumtusque in illud facere, lubet, eidem me non oppono; dummodo *recenter uſtum* illud adhibeat, ne novâ ſalſedine attractâ (quod citiſſimè fit) non *Spiritum ſalis ſimplicem*, ſed unà ex *alumine* conſtantem, ac ita quaſi adulterinum, impetret, atque ſic per ſumtuoſum hoc additamentum, laborioſamque uſtionem, ſpe ſuâ excidat.

Attamen cum *alumine uſto* deſtillationem hanc adgredi, non eſt Zvelferi inventum. Sic *Joh. Schröderus lib. 3. Pharmacop. medico-chim. cap. 21.* nonnullorum modum deſtillandi *Spiritum ſalis* eſſe, teſtatur, ut *aluminis uſti partes duas, ſalis communis partibus tribus* addant, & ita deſtillent.

Quin & minoribus cum expenſis *cineres* ſaltem *elixiviati*, qui nimirum ſalium in igne liquationem, uti *pag. 134. Apolog. contra Tacken.* Zvelferus fatetur, prohibent, *alumini*, tanquam corpus, vel terra emortua, ſubſtitui poſſent.

Tandem *Glauberi* modus, hunc, ſimilesque Spiritus deſtillandi, in *primo & ſecundo furno Philoſophico* indigitatos, commendat. Aſt non negligenda hîc eſt admonitio *Georgii Eraſmi Oellingeri*, quam *part. 2.* ſuæ *Officinæ pharmaceuticæ* de illo *Glauberi ſalis Spiritum* in *furno primo*, cum *carbonibus* deſtillandi modo protulit, quæ *ibidem pag. 148. & 149.* videri poteſt.

Memini *Nob. Rolfincium* in *Collegio chimico*, quod Anno M. DC. LXV. in eleganti ſuo Laboratorio ſuburbano JENÆ inſtituit, in furno iſto *Spiritum* ex æquali *ſalis*, & *vitrioli* portione prolicuiſſe, cui tamen ſaporis & odoris

odoris gratia defuit; unde quoque à *prælaudato Viro* non immeritò modus iste in discursu tunc habito parvi æstimatus fuit.

De SPIRITU, qui nunc *pag. 424.* sequitur, TARTARI hoc, quod moneat, habet, ut pro ejus destillatione *tartarus* unicâ solutione & crystallisatione purificetur; sic enim defecatum, & ab inhærentibus stipitibus liberatum, non Spiritum graveolentem, uti aliàs, sed fragrantem, & insigniter penetrantem præbere. Etenim *tartarum crudum*, quàm purus etiam esse videatur, plurimis tamen rebus heterogeneis permixtum deprehendi, statuit, à quibus demum insignis ille fœtor oriatur. Et propterea *vulgarem Officinarum tartari Spiritum*, quique à suo relicto capite mortuo non rectificatus, nec à suo abundante phlegmate liberatus fuerit, nullâ ratione pro puro puto *tartari Spiritu*, sed mixto & inquinato haberi debere, contendit, ut in posterum non sit, quod miremur, ab eodem *Spiritu tartari* fœtido sæpe contrarias operationes, & pessimos quandoque suboriri effectus. Non quidem controvertam, quòd commodè satis, loco *tartari communis*, *ejusdem crystalli* adhiberi possint. Sed pariter *tartarus albus purus*, qualem Augustani requirunt, locum meretur.

Nec primus est Zvelferus, qui *tartari purificati* usum pro Spiritu exinparando commendat.

Idem enim jam alij, veluti *Osvaldus Crollius* in *Basilicâ chimicâ*, *Angelus Sala sect. 1. cap. 9. Tartarologiæ*, *Joh. Schröderus Pharmacop. med. chim. lib. 4. class. 2. cap. 408.* notarunt.

Non nego, puriorem hac ratione, ceu idem observat *Joh. Hartmannus in not. ad Crollium*, impetrari Spiritum; ast tam impurus is à *tartaro puro crudo* haud redditur, ut usui medico utiliter adcommodari nequeat.

Ita ut tædioso depurationis labore, si talis suppetat, tantopere minimè indigeamus.

Licet aliquid heterogenearum partium is contineat, tanti tamen momenti eæ haud sunt, quæ magnum fœtorem, dum inter destillandum unà cum *tartaro* comburuntur, Spiritui imprimere possent.

Insuper insignem illam graveolentiam unicis his impuritatibus imputare, haud decuit Zvelferum, cùm & ille Spiritus, qui è purificato *tartaro* elicitur, non minùs graveolens & fœtidus existat, sic ut exigua admodum inter utrumque graveolentiæ differentia deprehendatur.

Unde *Crollius* in suo *tartari Spiritu*, quem etiam è purificato *tartaro* destillare, docet, fœtorem vel odoris gravitatem meritò agnoscit.

Imò ipse Zvelferus fateri idem, cogitur, dum *pag. 430. animadvers. Mixturæ de tribus, ex spiritibus mineralium*, mentionem facit, quam etiam

Spiritus

Spiritus antimonij tartarisatus ingreditur, quem ex *cremore tartari* & *antimonio* parari, monet; de eâdem autem *pag. 112. Apolog. contra Tackenium*, quòd graveolens ab illo *tartari Spiritu* sit, fatetur, scribens: *Videmus autem, prædicta omnia firmiter constare in horum spirituum commixtione, tùm aciditatem spiritus Vitrioli, tum etiam empyreuma, & odorem graveolentem, spiritus Tartari.*

Tandem vulgarem illum *tartari Spiritum*, qui in Officinis prostat, non pro puro puto, sed mixto & inquinato Spiritu habendum esse, judicat, quia 1. è *tartaro* non purificato destillatur; 2. si à capite mortuo non rectificetur; 3. si à suo abundante phlegmate non liberetur. Attamen primum quod attinet, Officinarum Augustanorum *Spiritus tartari* è *tartaro albo puro* confici debet. Quare si heterogeneæ aliquæ partes ipsi fortè adhuc essent commixtæ, & quæ in destillatione illâ unà elevarentur, non quidem planè pro puro haberi potest, exiguum tamen alieni Spiritus ipsi immixtum erit, nec tantum, quod propterea nomen *Spiritus tartari* ipsi dubium redderet. Sic Zvelferus suum *Spiritum salis ammoniaci acidum Append. animadvers. pag. 53.* dum describit, neutiquam purum putum *salis ammoniaci Spiritum acidum* parare edocet, cùm is *frumento* adjuncto multum debeat. *Spiritus Veneris* non pro puro puto *Veneris filio* habendus est, cùm maximâ ex parte *aceto* ortum suum referat.

Secundum, & tertium ad Augustanos non spectant, qui nimirum Spiritus hujus rectificationem tradunt; qua ipsâ etiam phlegmatis pars superabundans separatur.

Sed dum contrarias operationes, & pessimos quandoque effectus ab hujus Officinarum *Spiritus tartari* usu oriri, arbitratur, si hoc de *tartari Spiritu* ex impuro admodum & fæculento *tartaro* confecto intelligat, vel eâ de causâ, cùm talem Augustani haud describant, non impugno. Sin idem de Augustanorum Spiritu innuat, pernego, cùm talismodi salutaris usus ab experientiâ abunde confirmetur.

Licebit hîc de tali Spiritu idem pronunciare, quod de suo, licet ex *tartaro purificato*, profectò *Crollius* habet, videlicet ejus fœtorem non esse formidandum.

Posse tamen quandoque sinistrum effectum insequi ejus usum, ecquis dubitet? si ab imperitâ medicastri manu exhibitus, vel ab ægro, adstantibus &c. error aliquis commissus fuerit.

Qua sanè ratione, *Spiritum* quoque *tartari*, è purissimis quamvis crystallis destillatum, contrarias operationes, & pessimos quandoque effectus producere, dici meritò possit.

Quod

Quod si *tartatus*, ab Augustanis pro Spiritus destillatione electus, partes heterogeneas contineat, qualesnam illæ erunt ? Stipites inhærere *tartaro*, Zvelferus hîc indicat; sed tales in *tartaro puro* vix inveniuntur. Si verò nonnulli inhærerent, & ab *uvis* essent, Spiritui noxam adferre haud valerent.

Sed antequam materiam hanc finiam, dum Zvelferus ansam præbet, ad *Mantissam Spagyricam* paululùm divertere, placet, ubi *pag. 413.* sequentia scripta invenio : *Verùm enim verò, quæ in destillatione spiritus & olei Tartari, ne tantopere fœteant, aut empyreuma spirent, observanda sint, in præmissis n. Animadvers. pag. 425. fideliter detexi : nimirum, ut pro eorum destillatione Tartarum accipiamus aut seligamus, vel purum putum Italicum, aut Rhenanum, multis recrementis heterogeneis non refertum & inquinatum : vel Cremorem ipsum ex Italico, Veneto aut Rhenano Tartaro unica solutione confectum & purificatum &c.* Verùm animadversiones, quas, examini jam subjectas, innuit, & *pag. 426.* (non *pag. 425.*) *animadvers.* collocat, cum adductis verbis neutiquam conveniunt; in quibus nempe *tartarum purum Italicum*, & *Rhenanum* pro Spiritu exin proliciendo admittit; ibi verò *tartarum* solutione non prius depuratum, sive *Italicus* is, sive *Rhenanus* sit, omnino rejicit, quia *tartarum* crudum, quàm purus etiam esse videatur, plurimis rebus heterogeneis permixtum esse, venditat, à quibus demum insignis ille fœtor, & quandoque contingentes pessimi in ejus usu effectus oriantur.

Alium destillandi *Spiritum tartari* modum, quo etiam *sal tartari fixum* elevari creditur, *Excell. Langelottus* in *Epistolâ ad Naturæ Curiosos de quibusdam in Chimiâ prætermissis* describit, cujus etiam *Clar. Henricus à Moinichen* in *Epistol. medic. cent. 2. epist. 42.* à *Nobil. Thom. Bartholino editar.* meminit; scilicet per præced. fermentationem, vel potius effervescentiam *salis tartari* cum *tartaro crudo*; ubi tamen, cum pulvis *tartari crudi*, non prius per solutionem & crystallisationem &c. depurati, adhibeatur, neque ita partium heterogenearum ante destillationem, forti tandem igne peragendam, separatio instituatur, animadversio quoque Zvelferi, si alicujus momenti foret, locum inveniret. Quanquam ejusdem Spiritus efficaciam sibi experientiâ confirmatam, *Langelottus dicto loco* deprædicet.

De SPIRITU SULPHURIS *pag. 423.* qualiter per campanam aut retortam, aliisque modis destillari possit, *Schröderum*, & *Glauberum* adeundos esse, suadet. Quod per me observare, & præter hos, Autores quoque alios de eo consulere, pariter licet.

Mihi sufficit quòd Augustanorum modus non minùs admitti queat.

Simpli-

Simplicibus hisce examinatis Spiritibus, in *Appendice animadversion:* unum alterumque Spiritum medicinalem superaddit, videlicet istum *Veneris* dictum, *salis ammoniaci acidum*, item *salsum*, *salis nitri*, *Aquam regiam*, *Spiritum nitri circulatum*, & *Spiritum vitrioli essentificatum*; de quibus breviter notare quædam, libet.

De primo quidem inferiùs, ubi de *Magisteriis* sermo fiet, commodior agendi erit occasio.

Spiritum salis ammoniaci acidum, quem unà cum altero, *salso* ipsi dicto, suam sibi suppeditare experientiam, scribit, quod concernit; ille sanè Spirituum simplicium Classi minùs adcuratè infertur; quia cum largâ admodum *frumenti* quantitate destillatus, magnam aciditatis partem ab eodem, non à solo *sale ammoniaco*, mutuatur.

Nec ita etiam simpliciter *Spiritus salis ammoniaci acidus*, sed simul *frumentaceus*, vel *triticeus* adpellari debet; qui insuper in tantâ Vulcani violentiâ ab ingrato empyreumate, dum destillatur, tueri se vix potest.

Spiritum salis ammoniaci salsum, vel potius *urinosum*, destillandi modus multo jam tempore notus fuit; quem utplurimum è *sale ammoniaco*, *cineribus* permisto, separare consueverunt.

Qui etiam modus vel hac ratione illi, à Zvelfero, per *salis tartari* scilicet additionem, producto, anteferri potest; cùm minoribus sumtibus æquè præstantem Spiritum largiatur.

Spiritus salis nitri 1. legitimam, quam tamen promittit, destillationem à Zvelfero non tradi, observo; si nimirum aliqua debeat *animadversionibus in Spiritum salis*, præcipuè *pag. 425*, fides haberi; ubi *nitri Spiritum* vocat acidissimum, qui aliquâ sui parte, dum *terræ figulinæ* junctus destillatur, in eâ destruatur; unde quoque cum *alumine usto*, videlicet in quod non posse agere similes Spiritus, scribit, eundem esse destillandum, suadet, concluditque *pag. 426: quòd præposterè argilla vel terra figulina Sali & similibus rebus, Nitro etiam jungatur, pro destillatione ipsorum Spirituum.*

Et *part. 2. Mantiss. spagyr. cap. 11. pag. 408*, similia de *Spiritu nitri* studiosè denuo admonet.

Zvelferus autem in hoc processu *nitri libras duas*, vel *tres*, cum *testarum nondum crematarum libris quatuor*, vel *sex* in pulverem redactas, mixtasque per retortam destillat. In qua operatione non exiguam *Spirituum nitri* partem in pulvere *testarum nondum crematarum* absorberi, & destrui, secundùm traditam hypothesin, necesse est; atque ideo præposterè destillationem hanc institui, sequitur.

Testæ enim *nondum crematæ* aliud haud ſunt, quàm *argillæ*, vel *terra figulina*, à Zvelfero, quò inſultare Auguſtanis poſſet, exploſa.

2. Subtiliſſimi hujus Spiritus locum vulgariter ſaltem proſtantem, nec tantopere dephlegmatum *nitri Spiritum* in Medicinâ occupare poſſe, exiſtimo; cùm hic & difficulter adſervari, & ubi ægroto propinari debet, non, niſi prius aliis rebus dilutus fuerit, commodè exhiberi queat.

De *Aquæ regiæ* deſtillatione agere, huc non ſpectat, quia ex compoſitorum Spirituum numero illa eſt, è *Spiritu nitri* & *ſalis gemmæ* conflata; quæ aliàs, *auri* cumprimis ſolutioni deſtinata, variè à variis confici ſolet.

Si tamen Aqua hæc tam ſuaviter *aurum ad quosvis labores chymicos* ſolvit, atque vera & genuina *Aqua regia* dici debet, quòd eandem pro *auri* ſolutionibus in *Mantiſsâ ſpagyricâ* ipſe non adhibuerit, miror; dum potius *Spiritu nitri* à *ſale communi* abſtracto, & *Spiritu ſalis rectificato* utitur.

Spiritus nitri circulatus, ad compoſitos potius Spiritus, quàm ſimplices referendus, originem ſuam à vulgatâ illâ, & Chimicis plus quàm notâ *Spiritus nitri* cum *vini Spiritu* permixtione, & doloribus colicis infeſtatis præcipuè, cum aquâ fontanâ tepidâ, pro ſudore ciendo, exhibitione trahere videtur; cui varia dein pro variâ intentione admiſcere, vel ſubſtituere, non adeo eſt difficile.

Prout nonnulli *Spiritus vini ſimplicis* loco, eundem ab herbis anticolicis prius abſtractum, *Spiritui nitri* permiſcere conſueverunt; & *magni nominis Chimiater Spiritum è nitri, & tartari partibus æqualibus*, per retortam tubulatam, immiſſo in vas recipiens *Spiritu vini à ſeminibus calidis quatuor majoribus rectificato*, deſtillatum in uſu habuit.

Notandum etiam, in hac *Spiritus nitri*, cumprimis curioſè admodum rectificati, cum *Spiritu ardente*, uti *fragorum* à Zvelfero commendato, commixtione lentè eſſe procedendum, ne mixtura inflammetur, & non ſine periculo, ipſius medicamenti jactura incurratur.

Spiritus vitrioli eſſentificatus, ſive à *ſale gemmæ* abſtractus, & poſtea *Aquæ meliſſæ*, nec non *Spiritui roſarum* junctus, ſimplicibus Spiritibus adnumerari pariter nequit.

Quæ dein ſequuntur medicamenta, nimirum *Spiritus compoſiti*, *Eſſentiæ &c.* ea mitto; licet multa in iis animadverſione peti poſſent. Plura autem ſimilia conſcribi facilè queunt.


Unici adhuc *Spiritus*, nimirum *viridis è Venere ſeu cupro*, cujus deſcriptionem *part. 1. cap. 4. Mantiſſ. ſpagyr. pag. 344.* Zvelferus ſuggerit, coronidis loco mentionem facere, oportet; quem, majori ex parte è corroſivis

ſalibus

salibus cum *Mercurio* priùs tædiosè sublimatis, constantem, viroremque suum à *cupri* particulis, in forti destillatione elevatis, atque in ipso Spiritu solutis, obtinentem, *ulterioribus, & magni momenti laboribus destinandum* adpellat; qui tamen *pag. 392. Mantiss. spag. part. 2. cap. 9.* similes labores ridere videtur, multos in vanum laborare, & irrito se torquere conatu, scribens, in apparando, seu destillando *Spiritu vitrioli viridi; ac si magni quid in viridi delitesceret colore.*

A *Vitriolo*, sic *Ang. Sala sect. 1. aphorism. chimiatric. 45.* judicat, *viridis quidam liquor abstrahitur, quæ tamen viriditas non est ipsi spiritualiter atque indivisum, ut aqua alteri aquæ, permixta: potius accidentalis quædam res & subtilissima fuligo cuprea, ab eo vicissim separabilis, sic ut liquor is clarus limpidusve evadere possit. Idq; per hanc irrefragabilem maximam, quod nihil sit in vitriolo, aquam ipsius aut liquorem tingens, quàm cuprum.*

Plura, quæ in ipsâ ejus elaboratione speciatim notari possent, silentio transilio.



SPIRITUS COMPOSITI.

SPIRITUM CEPHALICUM *pag. 426.* si debitè & dextrè paretur, inque Essentiam redigatur, non exiguas in confortando cerebro obtinere virtutes, animadvertit. Proinde posthabito modo ab Augustanis præscripto, utpote quem ratione prioris infusionis & extractionis ex parte insufficientem esse, judicat, propriam adjungit præparationem. Verùm *Spiritum* illum *cephalicum* non exiguas in confortando cerebro, aliisque partibus obtinere virtutes, negari nequit.

Quòd autem infusio & extractio prior ex parte insufficiens sit, equidem planè inficias ire nolo, perpaucum tamen esse, quod remanet, potioresque rerum extractarum vires ita impetrari, simul tenendum est.

Cæterùm non solùm compositio Spiritus hujus à Medico perito, sed & ipsa præparatio ab artifice exercitato variè mutari atque augeri potest.

E SPIRITUS EUPHRASIÆ MINDERERI *pag. 427.* ingredientibus à destillatione residuis, posse extractum confici, & id vel separatim, vel cum prolecto Spiritu adservari, dubium non est.

Augustanis Spiritum saltem limpidum hîc tradere, animus fuit. Prout Zvelfero *pag. 204. Pharmacop. Reg.* solam *Aquam ophthalmicam* destillatam proponere, placuit, absque additâ notâ, quid cum remanentiâ agendum sit.

SPIRITUM DIATRION, ſeu *Mixturam de tribus pag. eâdem,* (aut quocunque alio vocetur nomine) admixto *Spiritu, ex cremore tartari, & antimonio* parato, optimè etiam confici poſſe, notat. Sed non hunc ſolùm Spiritum, verùm plures alios optimè huic permiſceri poſſe, credibile eſt.

Interea illum communiorem modum, Auguſtanis uſitatum, efficacem ſatis in operando exiſtere, ita ut etiam, rubro ſaltem colore occultatus, nonnullis pro ſecreto, non ſine adplauſu, habeatur, frequens ejus ſalutaris uſus oſtendit.

Loco *Spiritus theriacalis camphorati, Eſſentiam theriacalem camphoratam* miſceri poſſe, inſuper animadvertit. Quod licet ita ſeſe habeat, Spiritum tamen idcirco rejiciendum eſſe, nemo concludat; utpote in quo potiores, juxta Zvelferi doctrinam, virtutes, in partibus nimirum ſpirituoſioribus, penetrantioribus radicatæ, continentur.

Licet autem aliquæ partes, non planè inutiles, ſcilicet terreſtriores, quæ in deſtillatione iſtâ haud elevantur, hac ratione medicamento non concilientur; propterea tamen neque efficacia ad ſudorem in peſte &c. movendum, penetrandum &c. Spiritui huic demitur, neque magna, aut ulla jactura incurritur.

Siquidem, ſi cui hoc placet, è reſiduo extractum parari, illudque uſui reſervari, vel etiam, quando libuerit, Spiritui commiſceri, facili negotio, neque ab Auguſtanis prohibito, quovis tempore poteſt.

Præterea, ſicuti Zvelferus in commendato à ſe præparandi modo nonnihil de *Eſſentiâ theriacali camphoratâ præcipitari*, per filtrum poſtea ſeparandum, fatetur, *nullam tamen ſingularem virium jacturam exindè* pati medicamentum hocce, unà adfirmans, *cùm nihilominus potiores rerum extractarum Eſſentiæ ipſi imprægnatæ remaneant*: ſic & mihi, *Spiritum theriacalem* à partium craſſiorum abſentiâ nullam ſingularem virium jacturam pati, ſed potiores ejus extractas ipſi Spiritui imprægnatas ineſſe, adſtruere, ſimiliter licet.

Plures alias Eſſentias, vel Mixturas conficere, non adeo eſt difficile. Hinc miſſis illis duabus à Zvelfero productis, ad

SPIRITUM DIAPENTE *pag. cit.* me confero, in quo *folia auri* fruſtrà addi, animadvertit, cùm vix *dimidium granum* pondere adæquent, à quo hæc mixtura non ſingulares virtutes mutuari poſſit; *aurum* etiam tam craſſè hoc modo reſolutum, pro uſu interno nimis crudum & ineptum eſſe; ut hac ratione *auri folia*, ſalvis tamen Spiritus, vel Mixturæ hujus viribus, commodè omitti poſſint, arbitratur. Mixturam præſentem absque illo *foliolorum auri* acceſſu efficacem ſatis eſſe, ideoque eadem, cùm parum virtutis dicto medicamento tribuere queant, commodè omitti poſſe, nullus dubito.

dubito. Quamvis *decem* iſta *auri foliola* nec magno veniant precio, nec corpori noxam inferre valeant.

Aſt quòd *decem* iſta *folia vix dimidium granum* pondere adæquent, ex illis, quæ ſupra *pag. 153.* circa hanc materiam protuli, negari poſſent; cum hìc AUGUSTÆ è *drachmâ unâ* non 1200. circiter, ſed 400. præter propter Artifices, illi labori dediti, educere ſoleant.

An tradita *auri* cum *Spiritu ſalis* reſolutio craſſa dicenda ſit? cuivis, quid velit, ſtatuendum relinquo. Interim tamen ſimiles craſſas metallorum ſolutiones apud Zvelferum quoque, magni ab eo æſtimatas, reperio; quod vel *Martis*, & *Saturni* in *Spiritu vitrioli*, atque *aceto deſtillato* ſolutio probat.

Quòd ſi craſsè reſolutum *aurum* pro uſu interno crudum nimis & ineptum eſt, multò crudius & ineptius *aurum* planè crudum, & nihil planè ſolutum, ſed tantùm in *ſcobem* redactum, à Zvelfero tamen commendatum, pro uſu interno erit.

SPIRITUM THERIACALEM CAMPHORATUM *pag. eâdem* per infuſionem parare, ſatius eſſe, putat, quàm per deſtillationem, quia in hac potior pars *Theriacæ*, *myrrhæ*, & *croci* in fundo remaneat. Quare ex ingredientibus Eſſentiam parare edocet. Verùm pro ſaluberrimo hoc Spiritu evertendo inſufficientes eſſe animadverſiones has, non dubito, imprimis ubi ipſa Zvelferi Opera excutio.

Potior enim ingredientium *Theriacæ*, præcipuè alexipharmacâ virtute præditorum, pars multis volatilibus partibus conſtat, præcipuè quæ in fermentatione, *Theriacæ* ſuperveniente, magis magiſque recluduntur, ac liberæ evadunt; quæ itaque in deſtillatione per alembicum unà cum *Spiritu vini* elevantur. Illis autem ſubtilibus, ſive ſpirituoſis particulis, non verò remanentibus craſſioribus, penetrandi vim Zvelferus adjudicat. *Spiritus* verò *theriacalis* ad ſudorem eliciendum, noxiumque, partium etiam interiorum, dum validè corpus penetrat, expellendum commendatur.

Ut ita craſſioribus hac ſub intentione facilè carere queamus.

Quin, ſi cui libet, è reſiduo extractum parare, illudque, ne quid pereat, pro uſu ſeparatim adſervare, Auguſtani non prohibent.

Myrrhæ ſimplici tali deſtillationi commiſſæ exemplum ſuggerunt *Elixir ſeu Aqua vitæ antipeſtilentialis*, nec non *Liquor ſeu Eſſentia alexipharmaca Pharmacop. Reg. pag. 208*, quarum utraque compoſitio, in B. V. deſtillando, *myrrhæ unciam unam* recipit, absque eo, quòd ex remanentiâ, aliquantò terreſtriores partes continente, extractum eſſe parandum, præcipiatur.

Croci

Croci drachmarum sex similis destillatio *pag. 197. 198. Pharmacop. Reg.* in *Aquis cordialibus* habetur.

Sed modum Zvelferi si excutiamus, eum quidem mereri commendationem, non nego; si quis non Spiritum limpidum & colore aqueum, qualem hîc Augustani volunt, sed coloratam Essentiam desideret.

In eo tamen paucissima quædam de *Theriacæ unciarum quinque*, cum *totidem Spiritus vini*, vel *juniperi unciis* digestione &c. animadvertere decet.

Sic enim scribit Zvelferus: ℞. *Theriacæ Andromachi uncias quinque, Cui superinfundantur Spiritus vini (vel Spiritus Juniperi) unciæ quinque, factâq; digestione separetur liquor, qui, si possibile est, filtretur.* Quid, quæso, labore hoc Zvelferus (si ex ipsius fundamento sermo fiat) aliud adquirit, quàm *Spiritum vini*, vel *juniperi, melle* imbutum, qui è reliquis speciebus *Theriacam* ingredientibus virtutem nullam elicuit.

Namque talem de *Aquâ antidotali alexipharmacâ Matthioli*, quæ *Antidoti Matthioli*, & *Sirupi de corticibus citri ana libram dimidiam*, cum *Spiritus vini libris duabus & dimidiâ* extrahendam recipit, *pag. 281. animadvers.* statuit sententiam: *Syrupus de corticibus Citri, & mel (quod potiorem Antidoti partem constituit,) spiritum vini statim imprægnant & inefficacem reddunt, quò minus ex reliquis speciebus Antidotum ingredientibus virtutem elicere possit.*

Si itaque *mellis unciæ tres, sacchari unciæ quatuor* (tantùm enim incirca in dictâ *Antidoti Matthioli*, & *Sirupi de corticibus citri dimidiâ librâ* contineri, ponamus) integras *duas libras & dimidiam Spiritus vini* ita statim imprægnant, ut hic ad reliquorum ingredientium virtutem eliciendam inefficax reddatur; qua ratione *Spiritus vini unciæ quinque* tueri se poterunt, quò minùs ab *unciis tribus*, & quod excurrit, *mellis*, in requisitis *Theriacæ unciis quinque* contentis, statim imprægnentur, & ad reliquam specierum *Theriacæ* virtutem extrahendam inefficaces reddantur.

Unde sequeretur, *Theriacæ*, quæ tamen hujus Spiritus, vel Essentiæ præcipua pars est, vix ullas virtutes alexipharmacas, utpote quas *melli* in *animadvers. Chylostagmatis diaphoretici Mindereri pag. 290.* Zvelferus dubias jam reddidit, *Spiritui vini* imprimi, atque ita minori cum labore, & dispendio *simplex* tantùm *mel*, eodem cum effectu, conjungi posse.

Verba quoque Zvelferi de liquoris jam examinati filtratione censuram merentur; dum *Spiritum vini*, vel *juniperi* à *Theriacâ*, cum qua priùs fuit digestus, separare, &, *si possibile est*, filtrare, jubet.

Ubi 1. non exigua *Spiritus vini*, vel *juniperi* quantitas deperditur; cùm, nulla inter *uncias quinque* liquoris, nimirum *Spiritus*, & totidem *un-*

tius Electuarij, medicamenti ſpiſſi, videlicet *Theriacæ*, dum eſt proportio, is magnâ ex parte à *Theriacâ* abſorbeatur, ita ut, ſeparato tantùm ſupernatante liquore, non levis pars in ſubſidentiâ remaneat; inſtituta quoque dein filtratio diſpendium adaugeat.

2. Illa verba: *Liquor, ſi poſſibile eſt, filtretur*, aliquam ſapiunt ignorantiam. Quaſi enim liquor à *Theriacâ*, poſt digeſtionem cum *Spiritu vini* &c. celebratam, ſeparatus, filtrari non poſſet.

Sed ulterius progredior; ubi SPIRITUS VITRIOLI CORDIALIS ANGELI SALÆ *pag. 428.* ſe ſiſtit, in quo nil quidquam cordialis ſe reperire, ſcribit, cùm *Spiritus vitrioli* nullas virtutes cordiales à *cornu cervi uſto* contrahere queat; quia hoc omnibus ſuis viribus in calcinatione orbatum ſit, atque ita quod ipſummet non habet, *Spiritui vitrioli* communicare nequeat. Verùm, ſingulari virtute cordiali in ſimplici hac abſtractione num *Spiritus vitrioli*, à *cornu cervi uſto* imbuatur, equidem ipſe dubito; ratio tamen Zvelferi, quia erroneo innititur fundamento, ceu ex *C. C. uſti præparationis Examine pag. 428. & ſeqq.* colligere datur, contra medicamentum hoc nihil evincit.

Interea ipſi *Spiritui vitrioli* cordiales virtutes, in febribus cumprimis, non planè denegari poſſe, arbitror; præcipuè ſi quis aliquam venditati acidi liquoris in pericardio exiſtentis, & cum ſuccis acidis ſymbolici, quo de *pag. 293. animadverſ. in Aquam cordialem temperatam* Zvelferus aliquid enarrat, rationem habere velit.

ELIXIRIA.

ELIXIR PURGANS PANCHYMAGOGUM *pag. 431.* ſi juxta modum ab Auguſtanis præſcriptum ſit conficiendum, ejus doſin ad *uncias duas*, vel ampliùs ſe extendere, ſi verò artificiosè & modo rationabili paretur, *unciam dimidiam*, vel *drachmas ſex* non tranſcendere, 1. animadvertit. Verùm ſit ita, ceu innuit Zvelferus, hoc tamen contra Auguſtanorum præparationem propriè non militat; quia aliud eſt, medicamenti cujusdam præparationem; aliud, ejusdem jam parati doſin tradere.

Poſſe verò ita confici, ut minori in doſi propinari queat, propterea minimè negabo; prout etiam in Zvelferi *Pharmacopœiâ Regiâ* invenire licet com-

cet compositiones, quæ, ut minori mole earum doses circumscriberentur, reformari facilè possent.

2. Paratum hoc Elixir Sirupo aliquo adpropriato, e. g. refrigerante, ad *Spiritum vini* contemperandum, edulcorari posse, monet. Quod Augustani ipsi jam indicarunt, dum illud *Julepo rosato, sambucino*, vel similibus pro libitu dulcorari posse, scribunt.

3. Ejusdem cum liquoribus aquosis permistionem improbat; quam tamen Augustani minimè tradunt. Unde nec Ipsis ista debetur animadversio.

Tandem *carthami semen* ob unctuositatem suam, utpote qua reliquorum catharticorum exactam extractionem duntaxat impediret, omisisse se, notat. Sed ubi cum *Spiritus vini* sufficiente quantitate extractio instituitur, metum hunc inanem esse, cognoscitur.

ELIXIR PESTILENTIALE CROLLII *pag. eàdem* suis quoque non carere difficultatibus, objicit; quia extracta à suis spiritibus, vel menstruis separata, & olea, præsertim in majori paulò quantitate, se invicem non amplectantur. Tam facilem horum non esse unionem, res est notissima. Quare etiam *spiritum vini* à *Theriacâ*, cæterisque speciebus antiloimicis abstractum, pro dissolutione *oleorum juniperi*, & *succini*, cum *floribus sulphuris* conjunctorum, adhiberi posse, non contradico; quod ipsum peritus in consimilibus laboribus chimicis Artifex haud ignorare potest.

Idem *Crollius* ipse, dum *Laudani Paracelsi* præparationem tradit, hisce verbis edocuit: *Quia Olea destillata difficulter Extracto miscentur, & semper supernatare solent, omnibus Oleis nominatis in vitro prius invicem mixtis aliquot guttæ spiritus vini affundi solent, & diligenter commisceri, ita invicem uniuntur, & postea facilè permiscentur toti compositioni.*

Inverso tamen dicendi ordine utitur Zvelferus, dum tantum de *Essentiâ Theriacæ, helenij, angelicæ, baccarumq́ juniperi*, isti *Balsamo sulphuris* addere, jubet, *quantum ille dissolvere aut amplecti potest*; cùm potius *Balsami* in *Essentiâ* solutio fieri debeat, ut ita dicendum fuisset, tantum de Essentiis prædictis Balsamo esse addendum, *quantum illa dissolvere aut amplecti possunt.*

Oleum succini ab odoris vehementiâ liberari non posse, ultimò notat, nisi vires ejus in volatili sale consistentes, simul aboleantur. Ast Crollius, & cum ipso Augustani, dum *oleum succini* ab odoris vehementiâ liberatum hîc præscribunt, non volunt, ut genuinus ille, penetrantissimus *olei succini* odor tollatur, sed potius ut à vehementiâ odoris istius ingrati, à destillatione forti impressi, per rectificationem liberetur; unde vires ejusdem tali ratione non abolentur.

In

In *Elixiri pestilentiali*, quod ipse adjungit, de *cordibus vivis & jecinoribus viperarum vel serpentum Germanicorum in locis sanis degentium*, hoc saltem animadvertere libet, quòd medicamentum singulares vires indè mutuari nequeat; siquidem *Spiritus juniperi optimè rectificatus* vix notabile aliquod in *corda & hepata viperarum &c.* imperium tenet, tùm quòd similes animalium partes virtutes suas simplici illâ digestione liquori simili tam promtè vix impertiant, tum *Spiritus juniperi*, oleosis juniperi partibus imprægnatus, ex Zvelferi decisione, ulteriori extractioni tam commodus haud existat.

Et quamvis illas *viperarum partes vivas* esse adhibendas, præcipiatur, quo ipso spiritus vivifici fugacissimi communicatio procul dubio quæritur, is tamen si in præcedente digestione salvus remansit, in colaturâ subsequente vix à fugâ coërcebitur.

Imò cùm *corda & jecinora quindecim* solùm recipiantur, salis volatilis vivifici non nisi paucissimum continere queunt, econtra *Elixiris* quantitas *integram libram* multùm excedat, quantum, quæso, singulæ ejus doses salis hujus continere poterunt?

Pro ELIXIRIS PROPRIETATIS PARACELSI *pag. cit.* dexteriori præparatione plus *spiritus vini*, quàm ad levem madefactionem specierum sufficiat, esse adfundendum, statuit, ne *spiritus sulphuris*, præsertim si dephlegmatus probè fuerit, species nimiùm comburat. Utrùm species Elixiris hujus à *spiritu sulphuris* comburi, rectè dicantur à Zvelfero, Criticis inquirendum relinquo. Mihi tamen, impropriè satis dictum hoc esse, videtur; licet enim species nigricantem colorem hinc induerent, non tamen comburi easdem, mox statuendum esset; præcipuè cùm in *sulphuris spiritu* vis illa *sulphuris* φλογιστὸς, quæ parti resinosæ, in spiritus præparatione combustæ & destructæ, debetur, ampliùs non reperiatur.

Sed terminum hunc fortè à *Crollio* mutuatus fuit, qui *tit. de Elix. propriet. Parac.* diligenter observandum esse, monet, *materiam primò irrorandam spiritu vini, ut fiat quasi pasta, & demum oleum sulphuris affundendum, alioquin tota materia in nigredinem combureretur.*

Quod autem *Crollius* hîc de specierum irroratione, ut quasi pasta fiant, innuit, id Augustani per specierum levem madefactionem intelligere, verisimile mihi videtur. Qua ratione eas non in nigredinem verti, experimento facto discitur, & Elixir indè confectum sanguineo colore, non nigro, se commendat.

Postea alteram infusionem, cum argillâ in globulos redactam, per retortam destillare, neque necessarium, neque consultum esse, arbitratur.

Sss Necess.

Necessariam esse hanc destillationem, ipse quidem non admitto; ast omnis planè excludi minimè debet; qualis est illa *Crollij*, qui post duas istas infusiones, feces superstites *lentè*, &, prout *Hartmannus* in *notis* addit, *per Balneum*, destillare, ne empyreuma redoleant, præcipit.

Cæterùm Augustani destillationem illam non alterius infusionis, sed remanentiæ, sive fecum gratiâ potius instituere, videntur; scilicet ut harum quoque residua virtus Elixiri communicetur, alteram istam infusionem argillæ adfundendo, quò feces cum eâ cohærere, inque globulos compingi possint. Quòd autem hoc adeo clarè non expressum legatur, vitium vel Scribæ, vel Typographi subesse, suspicor; quod vel ipsa constructio indicare videtur.

Adductam verò sententiam suam duplici ratione munire, Zvelferus laborat: 1. Essentiam illam è speciebus extractam, si per retortam ex arenâ, igne forti destilletur, ingratum empyreuma contrahere, scribens. Quod præcavere, utique conducibilius esse, fateri, necesse est. Quo respectu *citatus Crollius* suum Elixir meritò commendat, quòd empyreuma non sapiat, *ut fieri solet vulgariter destillando.*

2. Commistione illâ secundam infusionem virium insignem pati jacturam, statuit; cùm *spiritus sulphuris* argillam corrodat, sic plurimùm infringatur, aliam naturam induat, imò in totum aliud ens transmutetur. Quod ex erroneâ hypothesi promanans adsertum falsum esse, existimo. Licet enim spiritus acidi bolo, vel argillæ infusi, in eas agere, illico incipiant; talem tamen fieri indè eorum transmutationem, ut induisse aliam naturam, inque totum aliud ens esse conversos, dici queat, non admittitur; siquidem spiritus hujusmodi acidos destillando iterum separari, priori suâ aciditate, & vi corrosivâ pollentes, exemplum *spiritus salis* supra edocuit.

Commendo itaque Elixiris hujus simplicem parandi modum, videlicet per specierum cum *spiritu vini*, & *sulphuris* dextram extractionem. Cui tamen aliqualem *spiritus vini* abstractionem, ceu vult Zvelferus, superaddere, non adeo consultum esse, duco, quia hac ratione non purus *vini spiritus*, sed unà cum subtilioribus & penetrantioribus *myrrhæ*, ac *croci* partibus, non inutilibus, abstrahitur.

ELIXIR UTERINUM CROLLII *pag. 432.* nimis spissum, & ad usus internos non admodum habile (nisi prius aliis liquoribus dissolvatur) esse, atque ideo in Essentiam liquidam illud redigere, quòd præstet, judicat; quia sic & commodiùs propinetur, & virtutes castorij omnes integræ conserventur. Quod commodam propinationem concernit, propter eam Elixir hoc in liquidâ formâ prostare debere, non adeo aptè inferre licet, cùm

cùm aliàs omnia medicamenta, quæ per ſe, ob conſiſtentiam minùs commodè ſemper exhibentur, reformare neceſſum eſſet.

Similia autem tunc, ubi neceſſitas exigit, facilè conveniente aliquo liquore dilui, aut alio modo ad propinandum apta reddi poſſunt.

Virtutes *caſtorij* in abſtractione *ſpiritus vini* debilitari, concedo; quæ tamen, cùm ſeparatus hic ſpiritus non ſit abjiciendus, ſed ubi opus eſt, pro Elixiris hujus ſolutione, vel alium in finem adhiberi poſſit, peſſum haud eunt.

Earum autem parvam habuit rationem Zvelferus in *Unguento potabili rubro primo Pharmacop. Reg pag. 285.* in quo *caſtorij drachmas ſex* cum *vini unciis quatuor*, ad hujus conſumtionem, ebullitioni committit.

Quamvis adeo ſpiſſum Elixir præſens haud evadere, nec *caſtorij* vires diminui queant, ſi Pharmacopœus peritus præparationem ejus obeat, qui, ſimplici illâ oleorum adjunctorum cum extractis miſtione & digeſtione, debitam non fieri unionem obſervans, illam per oleorum in ſpiritu abſtracto ſolutionem impetrare ſe, ignorare nequit.

Unde etiam *Joh. Hartmannus* in *not. ad hoc Elixir*, olea prius in *ſpiritu vini* ſolvenda eſſe, antequam reliquis addantur, obſervat.

Interea præſtare, non diffiteor, ſi in ſimilibus præparationibus omnia clarè exprimantur. Auguſtani ipſis *Crollij* verbis loquuntur.



ESSENTIÆ.

IN præparatione ESSENTIÆ AMBRÆ MINDERERI *pag. 434.* hoc difficultatis occurrere, autumat Zvelferus, quòd neque *Elixir vitæ Matthioli*, cùm jam ante plurimis ſpeciebus oleaginoſis, & *ſaccharo* ſufficienter imbutum ſit, neque *Aqua epileptica Langij* eſſentiam ex *ambrâ*, & *moſcho* rectè elicere valeant, licet aliquali odore, & ſapore *ambræ*, & *moſchi* imbuantur, potioribus tamen eorundem partibus, & virtutibus relictis. Verùm ſiniſtrè admodum laudatum hoc *Mindereri* medicamentum reformat.

Namque 1. *Elixir vitæ Matthioli* plurimis ſpeciebus oleaginoſis licet imbutum ſit, propterea tamen omni extrahendi virtute neutiquam deſtituitur; quod vel ſolus Eſſentiæ præſentis odor, à Zvelfero quoque admiſſus, comprobat.

Ipſum etiam *nominatum Elixir Matthioli* non ſimplici infuſione & extractione, ſed unà & deſtillatione paratur, in qua tantopere à ſpeciebus oleaginoſis non imbuitur, quò minùs ex aliis poſtmodum aliquid elicere valeat, ita ut dicti Elixiris pro *Eſſentiâ ambræ* deſtinatas *uncias duas*, non plures, quàm *drachma una & dimidia*, vel paulò minùs ſpecierum reſpiciant; quas inter tamen multas deſtillationi ineptas judicat Zvelferus, ut ita earum virtutem imbuiſſe Elixir illud, minimè dici queat.

Peractâ quidem deſtillatione, *ſantalum odoratum*, *moſchus*, & *ambra* extrahenda ipſi (quod ſtrenuè facit) immittuntur, aſt neque hæc totum id imbuunt; ſiquidem has requiſitas *uncias duas ſantali granum unum & quarta pars grani unius*, *moſchi*, nec non *ambræ tertia grani pars* vix ingreditur; quæ exigua quantitas non *integra duo grana* æquans, tantam liquoris ſpirituoſi deſtillati molem ſufficienter imbuere, falſum eſt.

Quin & Zvelferus ſpiritus, oleaginoſis partibus jam imbutos, pro aliarum rerum oleaginoſarum extractione adhibet, prout hoc in ejusdem *Elixiri antipeſtilentiali Crollij reformato*, paulò ante tradito, videre eſt; ubi *ſpiritum vini*, *Theriacæ*, *helenij*, *angelicæ*, *baccarumq; juniperi* eſſentiâ non ſolùm ſpirituoſâ & ſubtili, ſed & craſſiore imbutum, pro *Balſami ſulphuris*, cum *oleo juniperi*, & *ſuccini* parati, diſſolutione adhibet.

Pariter in altero, quod ſubnectit, *Elixiri peſtilentiali* ſpiritum, oleaginoſâ *juniperi baccarum* ſubſtantiâ turgidum, ad extrahenda *corda & hepata viperarum*, *crocum*, atque *myrrham* adhibet; in quo dein ulterius *camphoram*, & *Balſami ſulphuris* modò indicati tantum, quantum is capere poteſt, diſſolvere præcipit.

Alia, quæ huc adduci poſſent, exempla, è *Pharmacopœiâ* etiam *Regiâ* petenda, ut ſilentio prætercam.

Species itaque iſtæ oleaginoſæ cùm *ambræ*, & *moſchi* extractionem impedire nequeant, quid 2. *ſaccharum* efficere valeat, quod ratione *Elixiris vitæ Matthioli* huc accedit, in quod nimirum *libra una Julepi roſarum* recipitur, inquiramus.

Ejusdem autem *Julepi* ferè *drachma una, & quatuordecim grana* has *uncias duas Elixiris*, pro præſenti Eſſentiâ requiſitas, ingrediuntur, quæ *drachma una*, *& grana quatuordecim* vix plus, quàm *grana quadraginta quatuor*, vel *quadraginta ſeptem ſacchari* incirca continent; ut ita *ſcrupulus unus Elixiris* minimè *integrum granum unum ſacchari* recipiat, quæ exigua quantitas magnam liquoris molem ſufficienter imbuere, ſive ad ulteriorem extractionem inidoneam reddere neutiquam poteſt.

3. *Aqua epileptica Langij* non omnem extrahendi vim deeſſe poſſe, tum

tum quæ paulò antea de *Matthioli Elixiri vitæ* dicta fuerunt, tum ipsa ejusdem præparatio comprobat, in qua *vini mensura una semis*, sive *libræ quatuor, specierum unciis quinque, drachmis duabus* saltem adjunguntur, à quibus sufficienter *vinum destillatum* imprægnari, negatur.

Accedunt quidem ipsi insuper *duodecim florum liliorum convallium manipuli*; ast cùm flores isti recentes, si tempus ferat, sumantur, aliud non largiuntur, quàm propriam aquam, cujus pro extractionibus usum esse posse, *Pharmacopœiam Regiam*, in *Aquâ antapoplecticâ primâ, Aquis cordialibus*, & *antepilepticis primâ*, ac *secundâ*, testem produco.

Imò perfectæ jam destillatæ Aquæ huic posse *radices pæoniæ* minutim conscissas denuò immergi & infundi, Zvelferus in ejus animadversionibus monet. Si igitur Aqua hæc perfectè destillata aliquam adhuc extrahendi vim possidet, (quod scilicet esse debere, suppono, ne Zvelferum malè infusionem istam commendâsse, dicatur) cur eadem ipsi in Essentiâ præsenti derogari debet?

Certè aliam non video rationem, quàm quòd à *Minderero* medicamentum istud proficiscatur, & ab Augustanis Dispensatorio suo inseratur, quod tam acriter exagitandum Zvelferus in se suscepit.

Sed non sufficienter esse imbutum *Elixir Matthioli*, (ut nil dicam de *Aquâ epilepticâ Langij*, quam multò minus, ac dictum Elixir, pro hac extractione inservire, sine ratione adstruit) ipsa, quæ sequuntur, Zvelferi verba, quæ aliquali odore atque sapore *moschi*, & *ambræ* imbui Essentiam hanc, testantur, evincunt.

Quanquam non aliqualis sit odor ille, (de sapore multùm sollicitum esse, opus non est, licet ille quoque in remanentiâ notari vix mereatur) qui à *moscho*, & *ambrâ* ipsi imprimitur, sed efficax satis, ita ut post debitè peractam infusionem, remanentia *ambræ*, & *moschi* exiguo polleat odore, & vix alio, quàm qui ob particulam liquoris, ipsi inhærentem, accedit.

Idcirco non dubito, quin *Essentiam hanc Mindereri* qui paraturi sunt, similibus Animadversoribus remanentiam istam pro levi precio communicare, non detractarent; quibus dein, potiores *moschi*, & *ambræ* partes, ac virtutes exinde elicere, integrum esset.

Zvelferi modum substitutum quod attinet, eum quoque animadversiones mereri, è proprio ipsius fundamento elucescit, dum prænominatorum duorum simplicium suaveolentium essentiam cum *spiritu liliorum convallium* rectificato separare, præsumit, qui tamen cum virtute *liliorum convallium* jam sit imbutus, non adeo commodè pro istâ extractione adhibetur.

Cui

Cui aliam *Eſſentiam ambræ, in formâ ſiccâ*, ex *ambræ* cum *oleo cinnamomi &c.* & *ſaccharo* permiſtione conſtantem, adnectit; quam equidem efficacem eſſe, non inficias ibo, tantâ tamen odoris gratiâ non gaudet, cùm & *olei cinnamomi* odor *ambræ* odorem longè ſuperet, & ipſa *ambra* ſine *moſcho* ſingularem odoris gratiam non poſſideat.

Cui non immeritò *Ambra* illa *eſſentificata*, cujus deſcriptionem exhibet *Joh. Hartmannus* in *not. ad Crollium*, nec non ſub titulo *Ambræ rectificatæ* in *Praxi chimiatricâ*, ſubrogari poſſet; à qua non magnopere differt *Ampliſsimi Collegij Medici Norici Eſſentia ambræ ſicca claſſ. 3. Diſpenſatorij ultimò editi ſect. 3. pag. 166.* delineata, *ſacchari* ferè doſin tantùm auctam continens. Nec diverſa admodum eſt *Clariſsimorum Hafnienſium Medicorum Eſſentia ambræ ſicca, Diſpenſator. Claſſ. 20.* deſcripta, *moſchi* doſin majorem recipiens; cui ſimilis quoque ferè noſtris in Officinis, eodem ſub titulo, parata proſtat. Conferatur etiam *Tenzelij Diamoſchum ad Magnatum corda roboranda*, in *Exegeſi chimiatric. part. 1. ſect. 1.* productum; ut & *Ambra moſchata Hadriani Mynſichti Armament. medico-chimici ſect. 1. &c.*

In ESSENTIA CASTORII SENNERTI *pag. 435.* ingratum licet, ad uterinos adfectus tamen ſummè efficacem *caſtorij* odorem in primâ *aceti* abſtractione perdi, animadvertit. Efficaciorem fore Eſſentiam hanc, facilè mihi perſuadeo, ſi eidem odor ille fortis *caſtorij* integer permaneat.

Quamvis viciſſim in præſcriptâ *aceti deſtillati* abſtractione non omnis *caſtorij* odor auferatur, ſed ex parte remaneat.

ESSENTIAM CITRI *pag. eâdem* ſuas mereri laudes, efficaciorem autem evaſuram, ſcribit, ſi eidem de *ſucco citri acido* ſimul nonnihil adjungeretur; ſic enim & delicatiſſimam, & ad cordis ventriculique imbecillitatem præſtantiſſimam evadere, adſerit. Qui equidem modus ſuis non defraudari debet laudibus. Auguſtani tamen Eſſentiam ſubacidi ſaporis hic non deſiderant, quem additione ſuccorum convenientium quovis tempore conciliare ipſi, ſciunt.

Utrùm nonnihil acidi ſucci additum magnas Eſſentiæ virtutes addat? dubito, niſi ſimul doſis ejuſdem quoque adaugeatur.

Sed videamus, an ſubſtituta à Zvelfero Eſſentia, illâ Auguſtanorum, efficacior exiſtat?

Horum itaque Eſſentia continet *ſacchari uncias duas, drachmam unam ſemis, grana ſedecim* $\frac{2}{3}$, *olei citri drachmas duas, grana tredecim* $\frac{1}{3}$, (ſcilicet ſuppono, cum debitâ *olei citri* quantitate *Elæoſaccharum citri* eſſe paratum; quod pro ſingulâ *unciâ ſacchari, olei drachmam unam* tolerare, vel è *Pharmacop.*

macop. Reg. Append. pag. 19. in *Diacodio asthmatico contra tussim diuturnam*, nec non *pag. 22.* in *Morsellis cephalicis* discitur. Quanquam iterum cespitans in *ultimâ Pharmacopœia Regiæ editione*, pro horum *Morsellorum* compositione, ad *unciam unam sacchari, drachmam* tantùm *dimidiam olei* Zvelferus destinet) *succi oleosi corticum citri exteriorum* quantum pro Essentiâ liquidâ conficiendâ sufficit, v, g. *uncias quatuor.*

Zvelferi autem Essentiam *sacchari libra una, succi oleosi* (*uncia una*, vel) *uncia una cum dimidiâ, olei citri drachma una semis, succi citri acidi libra dimidia* constituunt.

Unde quælibet Augustanæ Essentiæ *dosis*, si ea *drachmarum duarum* esse, ponatur, circiter complectitur *sacchari grana quadraginta unum, olei citri grana quinque, succi oleosi citri drachmam unam, grana quatuordecim.*

Zvelferi verò Essentiæ *dosis una*, si pariter *drachmarum duarum* statuatur, recipit incirca *sacchari grana septuaginta duo, succi oleosi citri scrupulum dimidium, olei granum unum, & septimam grani partem, succi acidi grana triginta sex.*

Sic in Zvelferi Essentiâ *sacchari* pondus præ cæteris omnibus eminet, & ultra *drachmam dimidiam* major est, quàm in Augustanorum Essentiâ. Quod tamen *saccharum* ob singulares vires pro hoc medicamento propriè non expetitur, sed potius, ut *oleum* ab eo absorptum liquori commisceri queat, gratam etiam aliquam dulcedinem præbeat.

Olei econtra, & *succi oleosi corticum citri* quantitas, quibus tamen, quas Essentia hæc continet, virtutes adscribi debent, à Zvelfero nimiùm imminuitur, sicque unà medicamenti efficacia infringitur, ita ut *quatuor* Zvelferi *doses* vix tantum præstare valeant, quantum Augustanorum modo paratæ Essentiæ *unica dosis.*

Et licet insuper *succi acidi citri grana incirca triginta sex* ipsi accedant, hæc tanti momenti tamen non sunt, ut *unicæ dosi*, taceam *integris quatuor*, respondere queant.

Si quis *siccam magis* expetat *Essentiam citri*, illi vel solum *citri Elæosaccharum*, ad prioris compositionem requisitum, vel addito etiam nonnihil de *oleoso corticum citri exteriorum succo*, satisfaciet.

In Zvelferi modo, qui *saccharum* in tali expresso succo dissolvere, & exsiccare, docet, non levis partium oleosarum fragrantissimarum pars deperditur.

ESSENTIAM CROCI MARTIS CROLLII *pag. eâdem*, si Essentia dicenda sit, à *chalybe cum aceto præparato* non differre, animadvertit, de quo in *ultimâ Classe*, videlicet *Præparatorum*, actum fuit. Quanquam

quam Essentiæ liquidæ nomen haud mereatur hoc medicamentum, sicca tamen dici non planè respuit.

A *chalybe cum aceto præparato*, & ratione additi *aceti*, quod ibi *simplex acerrimum*, hîc *destillatum* recipitur, & ipsius præparationis, aliquo modo differt.

ESSENTIAM MARTIS LIQUIDAM *pag. cit.* nihil artificiosi, aut virtuosi continere, cavillatur; quia omnes tales metallorum extractiones acidis & corrosivis liquoribus factæ, propriè extractiones non sint, sed simplices duntaxat solutiones. Non quidem negari potest, hanc *Martis Essentiam* aliud non esse, quàm dicti metalli solutionem; neque pro verâ aliquâ extractione, & Essentiâ propriè sic dictâ Augustani illam venditant.

Sufficit, quòd præparatio hujus medicamenti, prout in proximè subsecuturis probabitur, firmo stet talo, effectusque edere laudabiles in Medicinâ valeat.

Similiter verò, ubi *Essentias* Zvelferi *martiales* evolvo, nihil artificiosi aut virtuosi eas continere, regerere possum, fundamento Zvelferi innixus; dum scilicet simplices duntaxat *ferri* à liquoribus acidis & corrosivis solutiones existunt.

Exemplum suggerit *Essentia*, *sive Tinctura Martis aperitiva Append. animadvers. pag. 58.* in qua *limatura chalybis* à *spiritu nitri*, & *vitrioli* corroditur, & tamen Essentiæ nomine decoratur, ac efficacissima in nonnullis adfectibus proclamatur.

Ejusdem indolis est *Essentia Martis corallina*, quam *pag. 59.* priori modò indicatæ subnectit, atque *vices Tincturæ Martis & Coralliorum re & nomine supplere*, venditat; nec non *Tinctura Martis adstringens pag. 60.* descripta.

Quod si *Tinctura Martis prima Mantiss. spagyr. part. 1. cap. 3. pag. 337.* tradita excutiatur, illa certè præ hac Augustanorum Essentiâ parum singulare obtinet.

In ipsâ *Tincturâ Martis* proximè subsequente, quam veram, & egregiam adpellat, *Martem*, *spiritu vitrioli*, vel *sulphuris* corrosum & solutum ostendit.

Ipsam præparationem Essentiæ Augustanæ quod concernit, in eâ *ferri* præcipitationem, colorisque rubicundi simul privationem fieri, objicit; dum *acetum*, in quo *ferrum* solutum continetur, si ad tertias, vel dimidias illud abstrahatur & inspissetur, in ipsâ abstractione colore privari, & rubedinem exuere, *ferro* soluto instar croci flavi fundum petente, quod nullo modo solvat,

ſolvat, vel extrahat *ſpiritus vini*, & licet etiam rubedinem exiguam indè eliceret, in abſtractione tamen, quæ ad liquidioris Sirupi conſiſtentiam fieri debet, illam denuo evaneſcere, fundumque petere *ferrum*, ſcribit. Aſt ſine ratione.

Præſcripto enim Auguſtanorum modo Eſſentiam, ſive Liquorem rubicundum, *Martemq;* ſolutum continentem impetrari, nemo, qui experimentum debitè inſtituere, non gravabitur, ambiget.

Et miror ſanè Zvelferum, quòd tam audacter hujusmodi res, quæ oculos facilè incurrunt, negare auſus fuerit.

Fieri quidem in *aceti* abſtractione aliquam ſoluti *ferri* præcipitationem, minimè negabo, aſt omne ſolutum *ferrum* in fundum cadere, ipſe color ſaturatè rubicundus, ſapor martialis, & *ſal tartari p. d. ſolutum* ſi adfundatur, ubi præcipitatio ſoluti *ferri* manifeſtè obſervatur, nullo modo admittunt.

Imò ſi *vini ſpiritus* huic *Martis* ſolutioni, juxta requiſitum modum abſtractæ, infundatur, colore ſaturatè rubro promtè ille tingitur, quo ſpiritu, ad Sirupi non tantùm liquidioris, ſed & craſſioris, abſtracto, nihilominus rubedo illa permanet, quæ manifeſtum ſignum præbet, contineri inibi adhuc aliquid de *Marte* ſoluto; unde etiam ſi taliter confectæ Eſſentiæ, quæ ſapore ſuo *Martem* non obſcurè oſtendit, *ſal tartari p. d. ſolutum* infundatur, *Martis* quoque evidens fit præcipitatio.

Faciliùs autem concedo Zvelfero, quòd *ſpiritus vini ferrum*, in abſtractione *aceti*, inſtar croci præcipitatum, non ſolvat, aut extrahat, & idcirco vires à *ferro* hinc non mutuetur. Sed Auguſtani *vini ſpiritum* non *ferro* iſti præcipitato, ſed integræ extractioni abſtractæ adfundere præcipiunt; quo ipſo *ferrum* ab *aceto* ſolutum *ſpiritui vini* conjungi, ipſa αὐτοψία monſtrat.

Concluſionem igitur, quam, hiſce præmiſſis, format, quatenus ſcilicet *Eſſentias* ſive *Tincturas martiatas*, cum liquoribus acidis confectas, *nihil aliud, quàm Ferrum ſolutum vel in Vitriolum redactum* eſſe, ponis, quoad prius admitto, ſed quoad poſterius rejicio; ſiquidem cùm utplurimum Eſſentiæ iſtæ liquidæ ſint, *vitriolum* autem corpus potius obtineat ſolidum, *ferri* quidem ſolutiones, *vitriolum* autem non prius dici poſſunt, quàm, parte liquidâ ſeparatâ, in ſolidam conſiſtentiam abierint.

Prout quoque omnes iſtas ſolutiones in *vitriolum* redigere, non adeo facile eſt; quale exemplum mox ipſe Zvelferus producit, dum è *ferro*, in *ſpiritu nitri* ſoluto, nullum ferè adquiri *vitriolum*, teſtatur.

Vitriolum Martis ritè præparatum haud indignè prædictarum Eſſentiarum vices, quod vult Zvelferus, ſupplere poſſe, non ſimpliciter admitto,

idque ex ipsius Zvelferi verbis, quibus tales solutiones quodammodo in effectu inter se differre, addit.

Et quamvis hoc propter menstruum adfusum esse tantùm, dicatur, sufficit, quòd aliæ aliis magis efficaces, magis minusque resolventes, vel adstringentes, volatiliores, vel fixiores evadant.

Quin eodem ariete Zvelferi *Essentiæ martiales* superiùs indicatæ peti possunt; cùm scilicet omnes *ferri* solutiones sint, menstruorum additorum ratione differentes, ipsis *vitriolum Martis ritè præparatum* haud indignè substituere liceret.

Ultimò alicujus *Tincturæ Martis pulcherrimæ, veræ, è solo vitriolo non calcinato, beneficio salis cujusdam secretioris*, perficiendæ, mentionem fecit; quam tamen, unà cum salis dicti secretâ & verâ præparatione, aliquandiu sibi reservare, firmiter decrevit. Cujus confectionem in *Pharmacopœiæ Regiæ ultimâ editione*, & quidem adnexæ *Mantissæ spagyr. pag. 337.* denique communicat; quæ ipsa tamen revera nil aliud est, quàm solutio *Martis*, beneficio *spiritus vini cinnamomisati*, vel *aquæ cinnamomi spirituosæ* (unde non ex *solo vitriolo*, & *sale secreto* constat) in liquidâ formâ subsistens. Cujus non absimilem descriptionem jam suæ *Chimiæ in artis formam redactæ lib. 4. sect. 1. artic. 3. cap. 13. Excellentiss. Guerner. Rolfincius* inseruerat.

Quale hoc *sal secretum* sit, *prælaudatus Rolfincius lib. 5. sect. 1. artic. 1. cap. 14.* quodammodo jam edocuit, per illud *Terram* istam *tartari foliatam* dictam, è *sale tartari*, & *aceto destillato* paratam, intelligendam esse, nonnullos censere, scribens.

Nec vana hæc fuit opinio. Unde Zvelferus in *cit. Mantiss. sal* suum *essentiale vini* id vocat, & *pag. 33. Apolog. advers. Tackenium, ex vino, sal essentiale.*

Ipsam quoque ejusdem præparationem *pag. 73. dict. Apolog.* tradit, subjungens: *Hunc salem arcanum juris publici fecit Tackenij insolentia.*

Porrò ex *seq. pag. 74. Rolfincium* in sententiâ suâ non aberrâsse, colligitur.

Verùm hujusmodi arcanorum, vel secretorum quilibet dives esse potest, si ea, quæ alij jam dudum propalarunt, pro talibus habeat.

Sic medicamenti hujus *Philipp. Müllerus Miraculor. chimicor. & mysterior. medicor. lib. 3. cap. 4. n. 4.* præparationem, sub *Terræ foliatæ tartari secretissimæ* nomine, multis ante Zvelferi editas animadversiones annis, tradidit.

Eandem quoque conficere *Clariss. Dan. Sennertus Institut. medic. lib. 5. part. 3. sect. 3. cap. 6.* edocuit, atque *Oleum tartari, quod Magisterium Tartari vulgò dicitur*, adpellavit.

Cujus

Cujus etiam descriptionem, *Olei tartari Sennerti* titulo, Augustani in subsequente *Classe de Oleis destillatis*, Ipsi adduxerunt.

Quod igitur alij *Terram foliatam tartari*, *Oleum tartari*, *Magisterium tartari &c.* nominant; illud Zvelferus *Salis secretioris*, *Salis nostri essentialis vini*, inscriptione commendat.

ESSENTIÆ SACCHARINÆ BEGUINI *pag. 435.* quam *lib. 2. Tyrocin. chim. cap. 6.* nomine *Olei sacchari simplicis* habet, præparationem, ab *Angelo Salà part. 2. saccharolog. cap. 2.* fortè ita edoctus, rejicit, eamque ridiculam esse, & nimis abusivè Essentiæ nomine venire, nec aliud, quàm solutionem *sacchari* in *phlegmate vini*, & *aquâ rosarum* peractam, existere, Zvelferus contendit. Magnum in hac præparatione reperiri artificium, nec ipse adfirmare volo. Prout nec Essentiæ, propriè sumto hoc vocabulo, nomen ipsi competit; cùm saltem *saccharum* sit, in *phlegmate spiritus vini*, ab hujus conflagratione residuo, solutum, & *aquæ rosarum* permistum.

Quamvis in pectoris nonnullis adfectibus, materiam crassam & lentam incidendo, efficax satis deprehendatur.

Interea aliis medicamentis idem, quod cum hac Essentiâ, effici posse, vix est, qui ambigat.



TINCTURÆ.

Circa TINCTURAS CORALIORUM *pag. 438.* nullum ferè, qui vel à limine saltem Chimiam salutavit, esse, qui non de singulari aliquâ Tincturæ talis præparatione glorietur; quas omnes tamen nullam prærogativam habere præ superiùs traditis *Martiatis*, aut *aliorum metallorum Tincturis*, vel *Essentiis* vulgò dictis, animadvertit. Plurimas *Tincturæ coraliorum*, ac si genuinæ forent, circumferri præparationes, equidem notum est, ut ita *Ille non Entium Scriptor* tot ejus processus circumferri, scripserit, *quot sunt muscæ in Armeniâ, aut Poëtæ in Germaniâ.*

Sed parum genuini eas continere, ab aliis jam dudum animadversum fuit; quamvis non omni destituantur virtute medicâ.

Quo in censu etiam ab Augustanis productas ex aliis Autoribus Tincturas neque pro veris habendas esse, neque omnibus carere virtutibus, existimo.

Unde easdem quodammodo cum *Essentiis Martis* supra examinatis, *aliisq́ metallorum Tincturis* coincidere, facilè largior.

Interea nomen hoc ob colorem, quem præ se ferunt, rubicundum, non planè derogari ipsis debet.

Zvelferi quoque *Essentia*, vel *Tinctura metallorum* vix alio jure, titulo hoc insigniri possunt.


Quare meras potius solutiones *coraliorum* esse, atque ratione menstruorum eas differre, Zvelfero faciliùs largior.

Itaque si medicamenta salubriora è *coraliis* conficere, animus sit, non tam ad rubedinem, vel Tincturam, cùm hæc sit valdè volatilis, inconstans, & fraudulenta, sæpenumero è solâ digestione adfusi liquoris orta, priori etiam, propriâ, & nativâ annihilatâ, quàm ad ipsa menstrua solventia, respiciendum esse, concludit. Non quidem nego, menstrui hîc magnam esse curam habendam, pro cujus diversitate, Tinctura modò efficacior, huic vel illi morbo, sexui &c. magis adcommodata, modò debilior proveniat. Ast coloris rationem simul habere, ægri &c. conditio interdum requirit, cui, si Tincturam expetat, solutionem *coraliorum* cum *aceto*, vel *Spiritu Veneris* factam, pro Tincturâ offerre, ludibrium, vel contemtum pareret.

Laudabilia aliàs medicamenta è *coraliis*, rubicundo colore non imbuta, confici posse, extra controversiam est; sed hîc de colorato, liquido, sive Tincturâ, agitur.

De *Spiritu Veneris*, quem hîc commendat, inferiùs quædam monendi, imprimis, num (quod vult Zvelferus) is à *coraliis &c.* in eo solutis, integris viribus abstrahi queat? occasio dabitur.

TINCTURAM HYPERICI *pag. eâdem* paratu facilem esse, cui tamen, ut aliquid contulisse, videatur, majoris efficaciæ conciliandæ ergo, de *extracto hyperici*, separatim facto, addi nonnihil posse, notat. Verùm uti plurima alia medicamenta, Zvelferiana quoque, efficaciora variis modis fieri possunt: ita hanc quoque Tincturam concentratam magis reddere, quòd liceat, non dubito; quo ipso tamen ille Augustanorum modus erroris insimulari nequit.



OLEA DESTILLATA.

Circa Olea essentialia odorifera *pag. 489.* cùm eorum per vesicam, vel alembicum, additâ aquâ, destillandi modus omnibus Pharmacopœis jam innotescat, aliud non addit, quàm quòd nonnulla eorum graviora, utpote *cinnamomi*, & *caryophyllorum*, paulò intensiorem

rem ignis gradum postulent, quàm quæ leviora existunt. Quæ observatio pariter Pharmacopœis, similibus destillationibus operam dantibus, cùm jam innotuerit, plura de eâ verba facere, nolo.

Aliæ in destillationibus Oleorum horum observandæ ἐγχειρήσεις hinc indè è Chimicorum, & qui materiam hanc tractant, scriptis, colligi possunt.

Additionem *salis tartari*, vel aliarum similium rerum supervacaneam adpellat, modò in regimine ignis non peccetur &c. *Salis tartari* additionem Augustani in nullo Oleorum suorum è vegetabilibus essentialium mentionem faciunt; *sal* autem, vel *tartarum* pro eorum nonnullis adhibent, cum quibus nimirum digesta vegetabilia, copiosius oleum fundunt; quod etiam *Schröderus Pharmacop. medico-chim. lib. 2. cap. 70.* innuere videtur.

Quanquam, ubi non tam copia, quàm potius olei major gratia, durabilitas, & efficacia quæritur, meritò absque istâ similium conjunctione, destillatio vegetabilium per se, vel, ubi licciorem naturam possident, aquâ &c. conspersorum, instituta commendari mereatur.

OLEUM CAMPHORÆ SENNERTI *pag. 440.* juxta modum præscriptum confici non posse, autumat, miraturque, *quòd in omnibus tyrocyniis chymicis hujus Olei præparatio simili tenore toties descripta reperiatur, cùm tamen commendata destillatio naturæ Camphoræ ex toto adversa sit; hinc etiam fiat, ut illa integra per Alembicum aut retortam transeat in excipulum, utplurimùm etiam retortam vasq; recipiens diffringat.* In omnibus *Tyrociniis chimicis* eandem Olei hujus reperiri descriptionem, falsum est; cùm potius diversissimæ inibi legantur.

Joh. Hartmannus in *Praxi chimiatricâ* unum & alterum destillandi illud modum producit. Alios habet *Keslerus*, de quibus, aliisque videri potest *Gothofr. Mœbij Anatomia camphoræ cap. 11.* Diversos pariter processus *Joh. Schröderus Pharmacop. medic. chim. lib. 4. class. 2. cap. 378.* ostendit.

Illi ipsi, qui traditam à *Sennerto*, & ab Augustanis hîc adductam rationem imitantur, non conveniunt, dum *argillam*, *bolum armeniam*, *terram sigillatam* alij recipiunt; nonnulli *camphoræ parti uni*, *terræ partes tres*, aliqui *partes sex* admiscent; quidam in globulos materiam destillandam redigunt, *Schröderus* sufficere, si materia solùm misceatur, determinat.

Nec fallere omnes istos cum *terris* destillandi modos, certum est; prout largus satis ejus est proventus, si *camphora* cum *terrâ* optimè permista ex arenâ destilletur.

Ignis imprimis moderatum regimen hîc observandum est.

Ut

Ut ita tam necessarium non sit, de operosè quæsitis aliis modis cogitare, & cucurbitam argenteam &c. curiosè nimis adhibere.

De OLEO CERÆ *pag. eàdem* notat, quòd ossibus calcinatis, vel cineribus, & similibus rebus mista *cera*, destillando in Oleum difficulter convertatur, sed instar *butyri crassi* saltem transeat. Idcirco opus esse, judicat, ut eadem prius liquefacta â lateribus, globulis argillaceis &c. ignitis imbibatur, & tum demum destillationi committatur. Diversitatem hujus olei dari, certum est. Interea hoc si crassius quodammodo sit, propterea tamen non rejiciendum est.

Imò à Chimicis *Butyrum ceræ* dici, *Ang. Sala sect. 2. cap. 12. Hydrelæologiæ* monuit.

Idem *optimus Sennertus Institut. medic. lib. 5. part. 3. sect. 3. cap. 6.* considerans, sequentia profert: *Quia oleum ceræ plerumque, quando exstillavit, mox instar butyri concrescit & coagulatur: affusa aqua rectificatur, donec clarum & pellucidum, ac fluidum fiat.*

OLEUM SALIS COMPOSITUM HARTMANNI *pag. 441.* in *secundo furno Glauberiano* commodè destillari posse, saltem notat. Istam, aliorumque nonnullorum Spirituum, à Zvelfero etiam descriptorum, destillationem uti secundùm indicatum *Glauberi* modum, vel per retortam tubulatam, qualem salium destillationem *Joh. Schröderus Pharm. med. chim. lib. 3. cap. 20.* jam recensuit, & *cap. 23.* per *Spiritus nitri* destillationem exemplum edidit, fieri posse, minimè contradico: ita tamen modus hic alterum illum *Hartmanni* neutiquam tollit.

OLEUM SATURNI *pag. eàdem* juxta modum præscriptum, adinstar *Balsami sulphuris*, paratu facillimum esse, animadvertit. Non quidem difficilis admodum est hæc præparatio; sed à *Balsami sulphuris* confectione, adjunctæ destillationis ratione, differt.

De OLEI TEREBINTHINÆ *pag. cit.* destillatione per cucurbitam institutâ observandum esse, monet, quòd, oleo albo prolecto, statim residuæ *terebinthinæ* sabulum, vel cineres sufficienter admisceri debeant ad siccitatem usque &c. Hæc Augustanos, qui in cucurbitâ destillationem peragere, non præcipiunt, propriè haud attingunt. Notare tamen decet, ne, dum alembicus pro sabulo vel cineribus admiscendis, removetur, ulla fiat jactura olei, à *terebinthinâ* adhuc calidâ exhalantis, tum quoque ne cucurbita, aëre frigido intromisso, disruptionis periculum incurrat, ante destillationem sabulum mox addi posse; quod facere, nonnullos consuevisse, *Sennertus l. c. cap. 5.* testatur.

Oleum verò secundum, absque corporis istiusmodi solidioris admi-

stione

ſtione deſtillatum, ſi ignis debitè regatur, licet priori, *Spiritus* nomine impropriè indigitato, craſſius, inſtar *terebinthinæ* craſſum neutiquam tranſit, ſed fluidum ſatis, oleique conſiſtentiam præ ſe ferens.

Ultimum rubrum craſſius licet exiſtat, rectificari tamen debere, Auguſtani innuunt. Id quod ipſi etiam cum ſabulo prolecto debetur.

Quæ de *oleo terebinthinæ* primo, absque additione aquæ deſtillato, quòd nempe altero, cum aquâ prolecto, præſtantius ſit, adducit, in *Claſſe Præparatorum, tit. de terebinthinæ coctione*, tetigi.

De OLEI VITRIOLI RUBRI *pag. eâdem* deſtillatione *Glauberum*, aliosque conſulere, non prohibeo.



BALSAMA EX OLEIS DESTILLATIS SIMPLICIA.

PRo dextrâ Balſamorum confectione, prius ea eſſe diſtinguenda, animadvertit, in illa, quæ interno, quæve externo uſui inſervire debeant; quia hac ratione plurimùm variet ipſorum conficiendi modus. Verùm non usquequaque admitti hoc poteſt; cùm aliqua dentur Balſama, externo uſui deſtinata, quæ internum etiam non reſpuunt; & vice versâ.

Sed levia hæc ſunt, & compoſitionem magis, quàm præparationem Balſamorum reſpiciunt, ideoque ad ipſas potius Auguſtanorum Balſamorum præparationes accedo; quorum primum eſt

BALSAMUM ANGELICÆ SENNERTI *pag. 443.* Uſui interno duntaxat deſtinatum hoc eſſe, benè ſuſpicatur Zvelferus, atque ſic, præter integritatem præparationis, compoſitio quoque laudem oppidò meretur.

Si verò externæ inunctioni deſervire debeat, præſcriptam ejus præparationem non benè convenire, opinatur, tum propter tenacitatem admixti Extracti, tum quòd idem omni ſuâ ſpirituoſitate ſpoliatum ſit, atque ita inutiliter ſaltem addatur. Sed hæc, eo ordine, quo à Zvelfero proponuntur, nullius ſunt momenti. Nam propoſitio eſt, dicti Balſami præparationem non benè convenire; probandi verò media, compoſitionem non benè ſe habere, potius volunt. Diverſa autem ſunt: medicamentum componere, & illud præparare.

Videa-

Videamus tamen, quid veri contineant illæ animadverſiones.

Quamvis in Balſamo hoc, externo uſui ſi deſtinaretur, *Extractum angelicæ* commodè omitti poſſe, inficias ire nolim, adductæ tamen Zvelferi rationes ut id evincere queant, tam magni ponderis haud ſunt.

Ineſſe quidem Extracto tenacitatem aliquam, verum eſt, quæ tamen à *mannâ*, & *angelicæ oleo* temperatur, ac quaſi diſcontinuatur.

Nec ſanè ſimilia tenacia externo illinitionis uſui planè incommoda dici poſſunt; niſi idem in Zvelferi quoque medicamentis nonnullis carpere velimus; qui v. g. in *Unguento ſeu Balſamo ſtomachico Regio Pharmacop. Reg. pag. 287. maſtichen, tacamahacam*, & *gummi animæ* reponit; quibus ſimplicibus tamen pariter ineſt tenacitas. Ipſum etiam *croci Extractum huic*, & *pag 278. Unguento cordiali* adjungit.

Extractum angelicæ omni ſuâ ſpirituoſitate eſſe ſpoliatum, negatur. Quanquam aliqua ejusdem pars ab eo ablata fuerit, non omnem tamen ipſi deeſſe, vel ſolus odor ſuperſtes evidenter ſatis comprobat.

Quin & Zvelferus Balſamis externè illiniendis *oleum nucis moſchatæ expreſſum*, per *ſpiritum vini*, & *aquam roſarum* odore ſuo exutum, atque ſpirituoſitate ſpoliatum adhibet. Num ideo inutiliter illud addi, mox dici debet?

Cæterùm præſtare putat, Balſamum hoc, & alia externo uſui deſtinata, ex ſolo *nuciſtæ oleo*, ſecundâ vice vel ultimò expreſſo (quod albicantis eſt coloris) atque, uti innui, odore ſuo per extractionem cum *ſpiritu vini*, & edulcorationem cum *aquâ roſarum* privato, additâ *olei angelicæ* &c. ſufficiente quantitate, conficere. Qui equidem præparandi modus obſervari poteſt, alias tamen conficiendi rationes, diverſis nimirum cùm corporibus, ita vocatis, neutiquam tollit; de quibus paulò poſt plura monendi occaſio dabitur.

Quòd Zvelferus minùs benè iſtud à *nuce moſchatâ* craſſamentum pro Balſamorum corpore commendet, ex præmiſſis propriis ipſius fundamentis conſtat.

Hoc quidem è *nuce moſchatâ*, dum exprimitur, ultimò profluens oleum albicantis quia eſt coloris, & ita quosvis colores recipere, aptum exiſtit, commodè Balſamis conficiendis deſtinatur; aſt odore ſuo, & conſequenter majori virium parte per *ſpiritum vini*, & *aquam roſarum* idem orbare, corpusque emortuum quaſi adhibere, inconcinnum eſt; ſi non ſemper ad medicamenti pulchritudinem, ad quam etiam certo reſpectu odor medicamenti referri poteſt, ſed ad ejusdem efficaciam potius reſpiciendum eſt; uti Zvelferus *pag. 463. animadverſ.* obſervat, atque, prout in *Mantiſſ. ſpagyr. pag. 413.* judicat, non tam ad pulchritudinem & odorem magis gratum, quàm

ad

ad virtutes & efficaciam ſalubrium medicamentorum proſpici debet. Iſta enim cum *ſpiritu vini* extractio, & cum *aquâ roſarum* ablutio *oleum nucis moſchatæ* virtutibus ſuis non parum exuit, ac Zvelferus curioſo ſuo & artificioſo labore rem deſtruit potius, quàm quòd boni aliquid exinde efficiat.

Et licet odor ille *nucis moſchatæ* aliorum odoriferorum oleorum odori ſimilis haud exiſtat, tam inſignis tamen is haud eſt, ut illi, qui emanat ab oleis deſtillatis, quibuscum pro Balſamis ſimplicibus animatur, præpollere, aut eundem obtundere queat. Imò in Balſamis compoſitis, ubi plurium oleorum deſtillatorum unio fit, tantò minùs metui is debet.

Pariter *roſarum aquam* pro edulcoratione, uti Zvelferus loquitur, adhibere, opus haud eſt; cùm idem *aqua vulgaris* præſtare valeat.

Si quis etiam eadem Balſama internè uſurpare vellet, ipſis taliter præparatis extracti proprij portiunculam addi poſſe, ſed tum colorem Balſami nativum, aut proprium deſtrui, animadvertit; cùm cuncta ferè extracta nigra, aut ſpadicei ſint coloris, atque ita Balſama nigredine aliquâ imbuant. Verùm hac ratione ſi Balſama efficaciora evadant, aliqualis illa nigredo tanti curari non debet; quia, ut repetam, ad efficaciam potius, quàm elegantiam medicamenti reſpiciendum eſt.

Porrò uſu receptum jam eſſe, monet, ut unumquodque Balſamum nativo ac proprio ſuo colore conficiatur, utpote *roſarum* rubro vel ſanguineo, *rutæ* viridi, *ſuccini* albicante, *citri* flaveſcente, quod tamen cùm non adeo facile ſit, nec fieri poſſit, ipſarum *herbarum* aut *florum*, quorum Balſama expetuntur, *Magiſteria* addere, docet; quæ Magiſteria (quorum elaborationem jam *Mynſichtus* in *Armament. medico-chim. ſect. 1.* tradidit, nec non *Schröderus lib. 2. Pharmacop. medico-chim. cap. 67.*) ad eundem modum conficit, quo illud *granorum chermes*, cujus Examen, ubi de *Confectione alchermes* ſermo fuit, tradidi. Quæ tamen cùm emortua ferè ſint corpora, à contrarietate (Zvelferianâ phraſi utor) menſtrui ſolventis vel extrahentis, & liquoris præcipitantis, id eſt, *ſalis tartari*, & *aluminis ſoluti*, orta, potioriq; ex parte è terrâ mortuâ *aluminis* pronata, pro fuco inducendo non poſſe adeo commodè adhiberi, juxta Zvelferi fundamenta, ſtatuere liceret.

Qua ratione etiam aliæ res, tincturam deſideratam Balſamis præbentes, faciliori negotio, uti *bolus armenia Balſamo cinnamomi*, admiſceri poſſunt.

Pag. 64. Append. animadverſ. inutilia ea eſſe corpora, negare quidem præſumit, dum majoris efficaciæ in naturâ ſuâ fore, arbitratur, quàm Feculas, ab ipſo inutilibus & effœtis medicamentis adnumeratas; quia tota veluti herbarum ſubſtantia excocta aut extracta, per contrarietatem ſalium denuo præcipitetur, & conſequenter virtutes quaſdam proprias præcipita-

tum in ſe reconditas habeat, quod, tanquam vegetabile, à calore noſtro facilè ſubigi, & in actum denuo deduci poſſit, cùm neutiquam corroſivis aquis combuſtum ſit. Quodnam eorum majorem obtineat efficaciam, operosè diſquirere, ſuperſedeo, cùm utroque carere facilè queamus. Præſtare tamen Feculas, ideo credibile videri poteſt, quia absque ope contrariorum ſalium parantur, & ideo nullam terram, à contrarietate iſtorum ſalium ortam, inutilem & inſolubilem continent. Cæterùm totam herbarum ſubſtantiam extractam præcipitari, dubito, ſi animadverſiones Magiſteriis vulgaribus *pag. 448.* ſcriptas intueor; ubi de *coraliorum &c.* virtutibus non minimum cum menſtruis, poſt præcipitationem ſeparatis, relinqui, adſtruitur. Si hîc cum menſtruis quid relinquitur, cur idem in *vegetabilium Magiſteriis* fieri nequeat, nulla cauſa ſubeſt. Quòd ſi terra, à contrarietate liquoris ſolventis vel extrahentis, & præcipitantis, tenaciter adhærens, in hiſce tam potens haud eſt, ut eorum ulteriorem ſolutionem prohibere queat, certè neque in alteris illis contrarium accidet. Ubique par eſt ratio. Difficiliorem *perlarum*, *coraliorum &c. præcipitatorum* in corpore ſolutionem eſſe, ponamus, quia ad vegetabilium claſſem non referuntur; difficultas tamen hæc impoſſibilitatem non includit.

Sed objicit Zvelferus: 1. Vegetabilia in ſimili operatione non comburi à corroſivis aquis, uti fit cum *coraliis &c.* Aſt, præterquam quòd impropriiſſimè dicantur comburi, ea à corroſivis aquis non deſtrui, Magiſteriorum Zvelferianorum laus evincit, quæ cum maximè corroſivo *Veneris ſpiritu* parata, utiliſſima tamen proclamantur. 2. *Coralia*, & *perlas*, quæ Vulcani torturam ſuſtinere nequeant, ſic præcipitata, in priſtinam formam reducibilia non eſſe. Demus, ita ſe rem habere. Idem de *vegetabilium Magiſteriis præcipitatis* tenendum eſt; neque enim *Lacca florentina* in *grana chermes*, *rutæ Magiſterium* in plantam ſuam &c. reduci poſſunt, neque eadem vegetabilia Vulcani torturam ſuſtinere queunt, quin ab eâdem deſtruantur.

Quæ de *lapide* ſic dicto *bezoardico orientali*, ejusque adulteratione cum præfatis *vegetabilium Magiſteriis* profert, animadverſiones aliquot admitterent; quas tamen hac vice præterire conſtitui.

Cæterùm dum *Magiſteria* iſta *vegetabilium* ad craſſam ſaltem pultis formam, non omnimodè exſiccata adhibenda eſſe, ſtudiosè monet; quia opinatur, totaliter ea exſiccata nullatenus corpus Balſamorum colore ſuo proprio imbuere, ineptias tradit.

Namque hac ratione Balſama cum iis paranda inefficaciora fiunt; quia ob

ob humiditatem istam non tanta oleorum destillatorum quantitas imprimi potest, quantam aliàs, si exsiccata adderentur, compingere, daretur.

Etenim quò durius solidiusque *oleum nucis moschatæ expressum* fuerit, eò plus oleorum destillatorum recipere, atque consequenter nobiliora & efficaciora evadere Balsama, *pag. 63. Append. animadvers.* Zvelferus ipse testatur; cùm tota Balsamorum virtus & efficacia ab oleis dependeat. Addito autem Magisterio humido, *oleum nucis moschatæ* non tam durum adparet, ac esse solet, si Magisterium siccum conjungatur.

Coloris autem, sive humidum, sive siccum adhibeatur Magisterium, vix ulla est diversitas; cùm hoc æquè ac illud Balsama colore suo proprio imbuat.

Videtur quidem primâ fronte, ubi Magisterium siccum cum *oleo nucis moschatæ duriusculo* miscetur, colorem suum desideratum non æquè feliciter imprimere; ast ubi dein olea destillata adduntur, ille mox sese exserit, eodemque nitore, ac si humidum fuisset Magisterium, se ostendit.

In *Append. pag. cit. 63.* aliud insuper pro Balsamorum præparatione artificium proponit, nimirum *olei nucis moschatæ expressi* (*duriusculi*, quia molle & unctuosum certissimum & infallibile signum sit, illud *butyro*, vel *oleo* quodam adulteratum & permixtum esse; attamen non ad commendatam istam duritiem simpliciter respiciendum esse, obiter noto; quia hæc, duriuscula scilicet, consistentia à fraudulentis manibus, uti *ceræ* admixtione, eidem facilè conciliari potest) cum *decocto*, v. g. *rutæ*, *caryophyllorum*, coctionem, eò usque continuandam, donec tota fragrantia, & oleum subtile spirituosum exhalarit. Ubi plura ex Zvelferi fundamentis reformationem deposcunt:

1. Se sistit *olei nucis moschatæ spirituosi* totalis exhalatio; cujus non leves in medicinâ usus esse posse, & ideo servatu dignum existere, non est dubium. Quare meliorem hanc partem per destillationem separare præstaret; prout *Sennertus l. c. cap. 31. oleum nucis moschatæ expressum* cum *aquâ rosarum* digerere, & aliquoties destillare, jubet, *ut oleum fluidum cum aquâ exstillet.*

Non dubito, quòd Augustanos, si coctionem hanc tradidissent, Zvelferus, pro more suo, non parùm culpâsset; quam itaque censuram ipsi hac vice debemus.

2. Simile judicium est de *decoctis rutæ*, *caryophyllorum*, & similium odoratorum simplicium, in quibus vis spirituosa non minùs exhalare cogitur, remanente parte terrestriori, quam in nonnullis effœtam aliàs, & inutilem Zvelferus judicat.

Clarissimum id est in *caryophyllis*, quos illis vegetabilibus *Pharmacop. Reg.*

Reg. pag. 215. adnumerat, quæ *naturæ balſamicæ ſunt, ac ſimplici deſtillatione, affuſo aliquo liquore vires ſuas integrè & plenariè reddunt.* Atque *pag. 216. caryophyllos &c. ad Decoctiones, & Extracta ex illis paranda, ineptiſſimos* pronunciat; cùm, partibus tenuioribus ac eſſentialibus ablatis, *exſuccum, inodorum, inſipidum, & inutile craſſamentum* remaneat.

3. Objectionem hanc declinare cupiens Zvelferus, iſta decocta, licet partes eorundem ſpirituoſiores, ſi ſulphureæ ſint naturæ, in vaporem reſolutæ, decoquendo æthera petant, nihilominus craſſiores & magis terreſtriores partes permanere, reſpondet, quas minimè contemnendas, præſertim ſi intra corpus Balſama ſumenda ſunt, & hæc in virtutibus intendere, ſtatuit, addens: *Nam omnia Balſama ad eandem normam parata, tàm interno quàm externo uſui deſtinari poſſunt.* Verùm uti in nonnullis hoc concedere lubens volo: ita tamen de quibusdam, ſulphureæ quæ ſunt naturæ vegetabilibus ſic decoctis, ex. g. *caryophyllis*, illud adſtruere, Zvelfero minimè licuit; quia, ex ipſius principiis, remanentes partes craſſiores & magis terreſtriores, maximè contemnendæ ſunt, ac Balſama in virtutibus minimè intendere valent, cùm ſint craſſamentum inutile, inſipidum, inodorum, exſuccum.

4. Etiamſi utilitatis quid Balſamis interno uſui dicatis craſſamentum illud conferre, ponamus, eâ tamen ratione animadverſione hîc opus eſt, quia à decoctis iſtis color *olei nucis moſchatæ* albicans nonnihil utplurimum immutatur, cùm ea, ad duritiem cocta, inſtar Extractorum evadant, quæ cuncta ferè nigredine aliquâ Balſama imbuere, in *Animadverſ.* contendit, cùm tamen uſu receptum jam ſit, ut unumquodque Balſamum nativo ac proprio ſuo colore conficiatur.

5. Balſama ad traditam normam parata, externo uſui (cui tamen deſtinari ea poſſe, Zvelferus hîc contendit) non conveniunt; quia decoctum inſpiſſatum ſpirituoſitate ſuâ ſpoliatum eſt; ut adeo inutiliter ſaltem addatur; quam objectionem Zvelferianâ ſententiâ, in *Balſamum angelicæ* ſuperiùs latâ, inniti volo.

Sed ſatis de hoc, nunc de Balſamorum aliis corporibus quædam, anſam ſubminiſtrante Zvelfero, monere liceat.

Cùm enim Balſama iſta duabus cumprimis partibus conſtare debeant, *animâ* ſcilicet, & *corpore*, communiter ſic dictis; *animæ* autem nomine olea utplurimum veniant, quæ, ut eò commodiùs adſervari & circumportari queant, rei alicui ſolidiori, quod *corpus* vocant, à quo quaſi condenſentur, comiſceri ſolent. Quod *corpus* unde deſumendum ſit, varias in ſententias Autores abeunt, aliis *ceram*, nonnullis *mannam, ſevum, adipem, butyrum &c.* eligentibus.

Impri-

Imprimis *Philippus Müllerus lib. 4. cap. 3. rorem* ſuum *majalem aurei coloris, purum & dulciſsimum*, aliis omnibus præfert, quem aliud non eſſe, quàm *butyrum majale*, alij notarunt. Quare *Ant. Gunth. Billichius obſervat. ac paradox. chimiatr. lib. 2. cap. 2.* talem ipſi animadverſionem ſcribit: *Minuiſſet admirationem, ſi dixiſſet butyrum.*

Joſ. Quercetanus mannæ cœleſtis optimè depuratæ nomine, corpus pro Balſamis, ſive potius, uti loquitur, Eſſentiis ſuis, *Pharmacop. dogmat. reſtit. cap. 25.* obvelavit; quam *ſaccharum clarificatum, & debito modo inſpiſſatum* eſſe, *Billichius* iterum ſuſpicatur. Alij tamen, quos inter *Joh. Schröderus Pharmacop. med. chim. lib. 2. cap. 40. ceram depuratam* interpretantur; quod etiam, eſſe ſcilicet *ceræ albæ raſuram*, ſæpius in *aquâ roſarum* coctam & depuratam, *Andreas Tenzelius Exegeſ. chimiatr. part. 2. ſect. 1. Matthæi Quercetani* teſtimonio confirmat. Quem tamen modum ante *Quercetanum* jam *Oſvaldus Crollius* in *Baſilicâ chimiatricâ* indigitavit. Alij verò *Quercetanum* de *mannæ pinguedine*, poſt ſeparationem ſalis ejusdem reſiduâ, loqui, autumant.

Nonnulli citra corporis talismodi ſolidioris additionem Balſama parare tentarunt, olea cum ſpiritu aliquo urinoſo conquaſſantes. *Atque hoc ſecretum*, uti *Jeremias Barthius not. in Tyrocin. chimic. Joh. Beguini lib. 2. cap. 8.* inquit, *tanti hactenus à quibusdam invidis aurifugis & ingeniis heteroclitis æſtimatum, ut id Pharmacopœis neutiquam revelandum eſſe, cenſuerint.*

De quo modo fortaſſe intelligendus eſt *Tenzelius*, aliquos, ſolius microcoſmici Echeneidis uſu, absque ullo calore, virium perditione, aut ſimilibus, ſine ullâ rei corpulentæ admixtione alienæ, Balſamos conficere, *l. c.* ſcribens.

Induunt quidem craſſiorem formam olea deſtillata, ita cum ſpiritu urinoſo concuſſa; aſt nihilominus liquidioris adhuc ſunt conſiſtentiæ, quàm vulgò pro Balſamis iſtis expetitur.

Qua ratione Balſama hæc, pro uſu interno cumprimis, conficere doceat *Glauberus, pars 3. Furn. philoſoph. cap. 17. & 18.* aperit.

Zvelferi autem ſententia de aliis, quàm *oleo nucis moſchatæ*, Balſamorum corporibus eſt, *ceram*, & *ſevum agninum* planè inutiliter & perversè pro corpore tali adaptari; quia breviter ranceſcant taliter parata Balſama, & tractu temporis exiguo, inſtar Emplaſtri tenaciſſima fiant. Ubi hoc, de Balſamorum nempe induratione, ad ea, quæ cum *cerâ*; illud verò, de rancore ſcilicet, ad illa referri potiſſimùm debere, exiſtimo, quæ cum *ſevo agnino &c.* parantur.

Neque negari poteſt, Balſama *ſevis* conſiſtentiam debentia, non tamdiu

diu salva persistere, ac illa, *oleum nucis moschatæ expressum* recipientia; prout etiam cum *cerâ* citius indurescere; quod incommodum *Billichius* jam notavit. Propterea tamen utraque planè rejici minimè debent. Præterquam enim quòd Balsama nonnulla, quæ non ita diu adservantur, sed mox pro usu adaptantur, eadem optimè tolerare queant, cum *cerâ* etiam, si debita olei proportio, major scilicet, quàm si cum *nucistæ oleo expresso* parantur, adjungatur, ipsa quoque confecta studiosè adserventur, satis diu illæsa persistunt.


Si duriuscula evadant, additione aliquot guttularum olei proprij destillati, ad debitam reduci consistentiam facillimè possunt. Ceu idem in Balsamis cum *oleo nucis moschatæ* confectis, & diuturnitate temporis duriusculis redditis, Zvelferus suadet.

Quin Balsama hæcce cùm nihil aliud sint, quàm Unguentorum odoratorum species, quorum aliquot præparationes, cum *axungiâ porcinâ*, in largâ satis quantitate, factas, Zvelferus proponit, sic satis diu Balsama cum *sevo agnino* &c. concinnata, oleisque aromaticis destillatis condita, præcipuè ab aëre externo benè si muniantur, subsistere, necessum est; cùm aliàs illa Zvelferi Unguenta citò satis pariter rancida evadere, dicendum foret.

Cæterùm Augustani *sevum* pro Balsamis suis non commendarunt.

Quamvis Balsamis illis, cum *oleo nucistæ expresso* paratis, laudem, usumque in Officinis propterea derogatum minimè velim, cùm potius illud unà cum aliis Medicis, qui, jam ante Zvelferum, usum ejus tradiderunt, commendem.

Veluti Augustanos quoque adhibere id, scivisse, *Balsamum* Eorum *apoplecticum*, & *cordiale Sennerti*, ab Ipsis adductum, comprobant.



BALSAMA COMPOSITA.

CIrca BALSAMUM APOPLECTICUM *pag. 448.* minùs commodè *grana styracis* ipsi addi, & longè convenientiùs *oleum styracis destillatum* fragrantissimum substitui, animadvertit. Licet oleum hoc pro Balsamis inservire queat, propterea tamen, ipsa *styracis grana* minùs commodè addi, haud sequitur.

Sed causam rejectorum granorum exprimere, Zvelfero incubuisset, de qua altum apud illum est silentium; qui ipse in *Unguentum cordiale* (quod Balsami instar se habet) *resinam styracis calamitæ* & *benzoës*, non verò olea

eorum

terum destillata recipit. Pariter *Unguento seu Balsamo stomachico regio, magischen* &c. non oleum ejusdem adjungit.

Ambram separatim prius in oleis convenientibus solutam cuicunque Balsamo esse admiscendam, ceu monet Zvelferus, non repugno; neque contrarium Augustani præcipiunt.

Alias *Balsamorum apoplecticorum* formulas à variis Autoribus descriptas esse, nemo nostrûm ignorat; quarum aliæ Augustanorum formulam præstantiâ num superent? mei instituti non est, inquirere. Sufficit plurimas, præstantiores fortè visas, meliores haud esse, imò forsitan ab eâ bonitate & efficaciâ superari.

E speciebus pro BALSAMO BENZOINO TENZELII *pag. eâdem* deputatis, si juxta modum præscriptum strictè instituatur præparatio, non Balsamum, sed resinam prosurgere, notat; prout hoc in præparatione *Theriacæ* jam ante se edocuisse, scribit; quæ nisi cum aliis rebus commisceatur aut dissolvatur, intra corpus sumi nequeat. Nihil aliud hîc, quàm *resinam, styracis*, & *benzoës*, impetrari, minimè nego, liquidiusculam tamen, unde *resinam styracis* exsiccare, non consultum esse, in *Theriacæ* indicatâ præparatione arbitratur.

Eam autem Balsami nomen non renuere, quilibet fatebitur, si consideret, quàm diversi generis medicamentis adpellatio illa tribui soleat. Hîc verò non de solis Balsamis, Unguenti formam præ se ferentibus, agitur.

Prostat in Officinis nostris Balsami genus, quod *Tolutanum*, sive *Balsamum Hispanicum siccum* dici consuevit, & ad nos in vasculis quibusdam rotundis, è nucis cocci cortice, elaborari creditis, defertur; quod licet resinosum & duriusculum sit, nomine tamen illo insigniri non cessat; cum cujus consistentiâ quodammodo hoc *Tenzelij Balsamum* coincidit.

Quocunque autem adhibeatur modo, Augustanos non angit, qui, ubi usu ejus indigent, variè illud ægris suis præscribere norunt; hoc tamen in loco de medicamentorum dosi & exhibendi modo neutiquam agentes, sed dosin medicamentorum *Mantissæ Hermeticæ*, prout in ejus *Præmonitione* habent, & exhibendi modos ex industriâ omittentes.

BALSAMUM CORDIALE SENNERTI *pag. 444.* juxta præscriptum modum facile paratu esse, concedit, additis *olei nucis moschatæ drachmis tribus vel quatuor*. Sit ita. Augustani dicti olei, *quantum satis*, ut Balsamum fiat, addendum esse, cum *Sennerto* scribunt. Ipse Zvelferus dosin ejus incertus exponit.

Dein eximiis virtutibus illud non destitui, fatetur, ut tamen, reformâsse quid, videri queat, succos acidos, vel aceta aromatica internè & ex-

ternè

ternè longè citius cordi robur addere, & languidum corpus validiùs, quàm hoc & ſimilia delicatiſſima & precioſiſſima Balſama, refocillare & erigere poſſe, experientiam frequentem edocuiſſe ſe, monet. Sed generale nimis adſertum hocce probari depoſcit.

Sint ſucci nonnulli acidi, & aceta aromatica, cordialia egregia, ab experientiâ comprobata; hæc tamen longè citius cordi robur addere, & corpus validiùs refocillare, non ſimpliciter admittitur.

Auguſtani & Balſamis, & Acetis cordialibus languido cordi ſuccurrere, norunt.

Circa BALSAMUM GALBANETUM UTERINUM EIUSDEM *pag. citat.* talem proponit animadverſionem: *Ad modum Olei Terebinthinæ in Alembico vel cucurbita vitrea deſtillari poteſt*, (quod non eſt contra Auguſtanos) *adjectis cineribus, poſtquam ſpirituoſum Oleum, quod leni calore inter initia exſtillat, prolectum ſit*; (hoc ſtrictè opus non eſt, quia olei ſaltem ſubtilioris, non craſſioris uſus hîc expetitur) *Oleum Lavendulæ unà cum reliquis committatur, & ubi per digeſtionem probè invicem unita fuerint, cuncta ſimul deſtillentur.* (Auguſtani ſimiliter prolectum illud oleum, *lavendulæ oleo* conjunctum, iterum deſtillare, jubent) *Olea illa in deſtillatione ſigillatim prodeuntia, uti in deſtillatione Terebinthinæ ſeorſim colligi & deinceps vel uniri, aut ſingula ſeparatim aſſervari poſſunt*; (Ulterius progredi, & craſſius quoque oleum deſtillando elicere, ab Auguſtanis non prohibetur, quibus, deſideratum ſpirituoſius oleum pro uſu præſente obtinuiſſe, ſatis eſt. Cæterùm ubi oleorum ſigillatim prodeuntium unio quæritur, ea ſeorſim prius colligere, neceſſarium haud eſt) *Inter quæ primum ſatis ſpirituoſum erit, nullà propterea ulteriori circulatione cum ſpiritu vini tantoperè indigens.* (Absque *ſpiritu vini* penetrans eſſe Oleum iſtud, non dubitatur; aſt cum ſpiritu vini penetrantius reddi, credibile eſt. Si quis tamen illo ſolo, non circulato frui malit, tantopere animadverſione non indiget.)

BALSAMUM LOIMICUM HENISIANUM *pag. eâdem*, quo egregia *Vir iſte Celebris* præſtitit, Oleum compoſitum potius, quàm Balſamum adpellandum eſſe, cenſet. Sed ſalva res eſt. Ipſe Autor in fine præparationis *Oleum* vocat.

Balſami nomen, uti ſupra jam notavi, non unius generis medicamentis debetur, cùm eo diverſa planè inſigniantur.

Zvelferus verò cum medicamentorum nominibus ludere, non oblitus fuit, v. g. Aquam totam ferè elementarem *Sal tartari volatile* vocans.

Cæterùm illud, ut & BALSAMUM SULPHURIS ANISATUM MYNSICHTI *pag. eàdem* juxta modos præſcriptos conficere, permit-

permittit; attamen aliam *Balsami sulphuris*, ex *hepate* scilicet *sulphuris* sic dicto, & *oleo juniperi* præparationem adnectit, quod vulgari præstantius, nec graveolens, sed boni odoris esse, adstruit. Variè medicamentum aliquod compositum mutare, res est facillima. Sufficit, præparationem præscriptam ritè se habere.

FECULÆ.

DE FECULIS, GERSIS, seu CERUSSIS *pag. 446.* in genere notat, nihil aliud eas esse, quàm pulveres subtiles farinaceos, succo suo nativo orbatos, & consequenter etiam omnis virtutis & efficaciæ expertes. Quibus proinde radicum ipsarum siccatarum, ceu succo suo nativo inspissato adhuc gaudentium, pulverem longè præferendum esse, autumat. Cremorem hunc, aut florem sessilem, uti *Libavius* Feculas esse adpellandas, censet, succo suo nativo ex parte orbatum esse, non est dubium, quatenus scilicet ille è *radice*, v. g. *ari*, contusâ expressus à subsidente parte graviori separatur. Ast succo suo adeo fuisse eum orbatum, ut omnis virtutis & efficaciæ expers evaserit, haud admittitur. Pars enim illius aliqua, pulverem illum humectans remanet.

Aliàs, dum post expressionem Fecula subsidet, partes illæ terrestriores mox omnem humiditatem à se propellere deberent, ita ut pulvis imum locum occupans, siccus planè foret, humiditas autem omnis supernataret; unde etiam hac decantatâ, remanens pulvis exsiccatione non indigeret. Quæ omnia tamen contra ocularem fidem militant.

Ari quoque *Fecula* saporem nonnihil acrem retinet, si, absque additione aquæ, debitè, & juxta Augustanorum traditum modum, præparata fuerit.

Quin etiam si Feculæ effœti, virtutisque & efficaciæ planè expertes pulveres farinacei sunt, eodem elogio *Amylum* quoque mactari debet, quod vix aliud, quàm *tritici &c. Feculam* esse, ex ejus præparatione, à *Dioscoride lib. 2. cap. 94, Sim. Sethi lib. de aliment. facult. lit. A. 7, Jac. Theod. Tabernæmontano lib. 1. Herbar. sect. 7. cap. 11, Rudolpho Goclenio cap. 6. de vitâ prolongandâ*, aliisque descriptâ, colligitur.

Quia itaque *amylum* pariter nihil aliud est, quàm pulvis subtilis farinaceus, succo suo nativo orbatus, consequenter etiam omnis virtutis & efficaciæ expers sit, necesse est. Sed cùm & virtus alimentosa, & medicamentosa in eo deprehendatur, adsertum illud sponte concidit.

Imò *amylum* ab ipſo Zvelfero multis *Pharmacopœiæ Regiæ* medicamentis admiſcetur; veluti *Diacodium pectorale ſolidum pag. 109, Lohoch pectorale pag. 110, Lohoch ſanum & expertum pag. 111, Species diaireos pag. 118, Trochiſci bechici albi pag. 129. &c.* id teſtantur.

Unde non ita ſimpliciter inutile & effœtum medicamenti genus Feculas eſſe, admittitur, nec Zvelferus ſententiam ſuam veris rationibus, quod tamen *pag. 64. Append. animadv.* putat, ſufficienter ſtabilivit.



MAGISTERIA.

MAGISTERIUM ALUMINIS *pag. 447.* longè citius, & minori cum labore, per retortam vitream, quàm per alembicum, ob ejus altitudinem, deſtillando parari poſſe, animadvertit. Quanquam retortam commodè deſtillationi huic inſervire poſſe, non contradicam; Auguſtanis tamen alembici altitudinem fruſtrà objici, videtur, qui deſtillationem in *cucurbitâ brevi*, ſive humili eſſe inſtituendam, monent.

Præterea in veſicâ bubulâ ſordidâ, & fœtidâ utplurimum, *alumen* liquefacere, opus haud eſſe, ſtatuit; quin commodiùs aquæ ſimplicis tantum adfundi poſſe, quantum pro diſſolutione ejus in calore ſufficiat. Veſicæ bubulæ ſordities & fœtor quem anxium tenet, ille, benè mundatam eam ſi adhibeat, metu iſto abſolvitur. Aquam tamen pro *aluminis* ſolutione pariter admitto.

Nunc ad vulgaria illa Officinarum MAGISTERIA CORALIORUM, & PERLARUM, *pag. eàdem* deſcripta, atque ab aliis jam Autoribus rejecta, progreditur, quæ nihil aliud eſſe, venditat, quocunque etiam acido menſtruo ſolvantur, & contrario eidem liquore præcipitentur, quàm *perlas*, & *coralia* in ſubtiles atomos, & calces ferè inſolubiles ac inutiles converſa, quibus non exigua portio menſtruorum ſolventium, & liquorum præcipitantium tenaciter adhæreat, ita ut difficulter in poſterum iiſdem aquis corroſivis ſolvi poſſint, ob adjunctam terram à contrarietate aquarum, aut ſpirituum, vel ſalium exortam; de eorum autem viribus non minimum menſtruis poſt præcipitationem ſeparatis relinquatur. Verùm uti Magiſteriis hiſce multum non tribuo: ita tamen omnes iiſdem virtutes derogare nequeo, ac inutiles & mortuas &c. calces vocare, (licet à ſiniſtro eorum

uſu damnum potius, quàm levamen corpori obtingat) præcipuè cùm poſt præcipitationem diſſolvi ſe iterum patiantur. Quod Zvelferus etiam indicare videtur, dum ea non ſimpliciter, ſed additâ voculâ : *ferè*, inſolubiles calces adpellat. Quanquam viciſſim *pag. 212. Apolog. contra Tacken. ad omnem impoſterum ſolutionem inhabiles & mortuas calces* nominet.

Difficilem autem eorum ſolutionem ob terram aliquam adjunctam, à contrarietate liquoris ſolventis, v. g. *ſpiritus nitri*, *aceti deſtillati*, & præcipitantis, *ſpiritus vitrioli*, *ſalis tartari*, exortam, ſpectari, veriſimile haud eſt; quia aliàs, ubi per ſe, ſcilicet ut corpus aliquod, *coralia &c.* prius non corroſerint, confunduntur, atque ita ob contrarietatem à Zvelfero indicatam in ſe invicem agunt, neceſſariò quoque terra iſta deberet in conſpectum venire; quod tamen minimè accidit; cùm poſt contrarietatis pugnam abſolutam, liquorumque factum mutuum amplexum, liquor iſte mixtus æquè limpidus, ac antea erat, perſiſtat, ne granulo terræ alicujus præcipitato, dummodo liquores, *ſpiritus nitri*, *vitrioli &c.* puri, nec aliis antea rebus imbuti, negotio huic adhibeantur.

Firmare quidem ſententiam ſuam nititur Zvelferus : 1. exemplo *Magiſteriorum vegetabilium*, imprimis *Laccæ Florentinæ* è *granis chermes* præparationis, quæ beneficio *aquæ aluminis*, & *olei tartari* conficiuntur; ubi ferè duplo plus *Laccæ Florentinæ* adquiritur, quàm fuêre *grana* ante præparationem. Qua de materiâ *pag. 255. & 256.* in *Examine animadverſionum ſuper Confectionem alchermes* pluribus jam egi; ubi illud, quod in iſtâ *aluminis* & *ſalis tartari* permixtione præcipitatur, potiſſimùm *alumini* deberi, demonſtravi, utpote quod ex terreo aliquo corpore, & ſpiritu acido conflatum, quorum hic vel deſtillatione, vel calcinatione nudâ & uſtione expulſus, albicantem terram, ſolâ ignis torturâ, absque præcipitantis liquoris interventu, relinquit, vulgò *aluminis uſti* nomine inſignitam. Adeoque exemplum hoc minimè huc quadrat.

Eſſe Magiſteria hæc calces inſolubiles, pernego. Si enim ex. g. *coralia*, cum *aceto deſtillato* ſoluta, & *ſpiritu vitrioli*, vel *ſale tartari* præcipitata, cum aliquo liquore corroſivo, v. g. *ſpiritu nitri* miſceantur, is in calore eadem mox adgreditur, & totaliter diſſolvit, novo adfuſo *ſpiritu vitrioli* iterum in Magiſteria præcipitari apta.

Hac tandem ratione permotus, ipſa *coralia*, *margaritas*, atque ſimilia trita duntaxat, & in ſubtilem pulverem redacta, majoris æſtimat Zvelferus, quàm talia præcipitata eorum Magiſteria. Qua in re *Angelum Salam*, quem *part. 2. cap. 12. Mantiſſ. ſpagyr. pag. 415.* citat, fortè ducem habuit, qui *ſect. 1. Tartarologiæ cap. 2.* ſimile de præcipitatis illis Magiſteriis judicium profert.

Similiter *margaritas, coralia &c.* in porphyrite lævigata, Magisteriis præcipitatis *lib. de Chimicorum cum Aristotelic. & Galenic. consensu ac dissensu cap. 19. Sennertus* anteponit.

Cui opinioni & ipse accedo, præparataque similia corpora eorum Magisteriis præcipitatis pro usu medico meliora existere, concedo.

Hisce Magisteriis etiam illa è metallicis corporibus parata adnumerari possunt. Quod ipse Zvelferus *part. 1. Mantiss. spagyr. cap. 6 pag. 348.* docere velle, videtur, dum *Magisteria Saturni*, quorum *Schröderus cap. de plumbo* in *Pharmacopœiâ medico-chimicâ* mentionem facit, parvi ponderis atque momenti esse, determinat, & *pro mortuâ quasi terrâ*, veluti calces & pulveres, ex contrarietate solventium & præcipitantium liquorum & salium tales factos, *nisi denuò novâ solutione resuscitentur, æstimanda.* In quibus itaque describendis, operæ precium non esse, putat, ut tempus ac vires conterat.

His tamen non consideratis, *pag. 138. Pharmacop. Reg. Saponi odorato Magisterium marcasitæ, per aquam fortem & præcipitationem paratum* in largâ dosi admiscet. Et *pag. 319. Mantiss. spag. Crocum auri seu Solis purpureum, aurum* à corrosivis *nitri, salis communis*, vel *gemmæ, & aluminis* particulis solutum, *oleo tartari per deliquium facto* præcipitando, conficit, cui edulcorato, exsiccato, leniterque calcinato, sudoriferas & insignes cordiales vires tribuit. Eandem laudem *Auro fulminanti, seu sclopetico inflammabili*, ex *auro* in *aquâ regiâ* soluto, & *sale tartari p. d. soluto* præcipitato, edulcorato, atque exsiccato, constanti, *pag. 320.* imponit. *Flores vitrioli Veneris* è *cupro*, per acidum spiritum soluto, & ope dicti *olei tartari* iterum præcipitatione separato, *pag. 344.* præsens remedium in vermibus esse, testatur. *Mercurium præcipitatum luteum*, qui è *Mercurio sublimato corrosivo* in aquâ fontanâ soluto, adfusione *olei tartari p. d.* præcipitatur, ad icteritiam sanandam, obstructionibus reserandis, ac febribus diuturnis curandis efficacem esse, *pag. 354.* fatetur. Et tamen omnes hi pulveres è corporibus, per corrosiva salia solutis, ac contrario hisce *tartari alcali* præcipitatis oriuntur, nec novâ solutione resuscitantur, antequam ad usum medicum apta censentur.

2. Zvelferus ulterius sententiæ suæ robur addere conatur per MAGISTERIUM CORNU CERVI *pag. eâdem*, quod cùm ex *cornu cervino* crudo raspato confectum sit, ejus qualitates meritò aliqualiter saltem æmulari debere, determinat, sed neque spiritum vel sal volatile ex eo per destillationem elici, neque mucilaginem vel gelatinam coctione extrahi, neque denuo in aquis fortibus, utpote *spiritu nitri*, dissolvi id posse, objicit; & hinc à *C.C. usto* parùm discrepare, colligit. Verùm si à *C. C. usto* parùm

parùm discreparet Magisterium hoc, eo ipso non inutile esse corpus, concludere liceret; cùm illud virtutes quasdam possidere, ex *ejus præparationis Examine pag. 428. &c.* elucescat.

Argumenta autem Zvelferi tam benè fundata haud sunt, ut contra hoc Magisterium quid evincere apta sint. Posito enim, neque sal volatile, neque gelatinam ex eo separari posse; an propterea mox inutilis & planè rejiciendus pulvis dici debet? *Cornu cervi ustum* (ut exemplum à Zvelfero subministratum adducere, pergam) neque destillatione spiritum, & sal volatile fundit, neque coctione aliquam mucilaginem in aquam deponit, & tamen non esse effœtum planè corpus, ipse usus comprobat. *Sal tartari* è crudo per calcinationem &c. paratum *tartaro*, neque ampliùs spiritum illum, quo de *pag. 466.* actum fuit, & oleum destillando emittit; neque cremorem crystallosque acidos coctione &c. præbet; & tamen non est effœtum, inutile & abjiciendum, sed pluribus medicamentis ab ipso Zvelfero aptum censetur.

Non posse *Magisterium cornu cervi*, ex eo soluto & præcipitato paratum, in aquis fortibus, & quidem in *spiritu nitri*, dissolvi, ipsa ocularis inspectio refutat.

Unde Zvelferi argumenta Magisterij hujus usum abrogare neutiquam apta nata sunt.

Quanquam præparatione istâ carere nos facilè posse, laudabilioresque *cornu cervini* præparationes in Officinis dari, ultro concesserim.

Solutiones verò, quæ absque præcipitatione, & per solam menstrui solventis abstractionem fiunt, in suo precio relinquit, quibuscunque etiam menstruis conficiantur; licet unum alteri in bonitate sit præferendum. Cui sententiæ equidem & ipse accedo. Quamvis num laudem mereantur, si Zvelferi fundamento insistatur, haud leviter dubitari queat.

Namque *pag. 64. Append. animadvers.* similia corpora, *margaritas, coralia, oculos cancrorum &c.* ab aquis corrosivis & spiritibus, comburi; atque *pag. 208. Apolog. advers. Tacken. acetum perlas* penitus destruere, contendit. Si itaque comburuntur, & destruuntur, (quod tamen non admittitur) parùm laudabile indè polliceri sibi quis potest.

Prodeat etiam *Jo. Bapt. Helmontius*, hunc in modum §. *55. tract. Pharmacopol. ac Dispensat. modern.* differens: *Subtilior, ideoq; magis condolendus est error eorum, qui aurum, argentum, corallia, perlas, atque similia, per liquores acidos corrodunt, atque dissolvere videntur, putantq; hoc pacto intra venas admissum iri, verè suas proprietates nobiscum communicatura. Nesciunt enim ab nesciunt acidum venis hostile; ideoq; peregrina dissolventium superata & transmutata*

mutata aciditate, ejusmodi metalla, & lapides, pulverem esse, ut ante &c. Atque *cap. 15. de Febrib.* §. *11.* & *12.* solutiones illas in corpore, & quidem in primis adhuc viis, *ante fores mezaraicarum venarum*, præcipitari, scribit.

Nam quis spondere ausit, *perlas &c.* in liquore aliquo solutas vel corrosas, non præcipitatum in corpore iri? Quod ubi accidit, pulvis ille præcipitatus æquè inutilis & effœtus erit, ac si extra corpus à liquore acido fuisset separatus.

Porrò solutionum harum ablutiones & edulcorationes supervacaneas adpellat, si solutio *aceto destillato, spiritu nitri*, aut *vitrioli philosophico* peracta fuerit: cùm nullo modo aciditas aut vis corrosiva menstrui solventis, quam in aliud ens jam tum commutatam esse, scribit, elui, aut solutiones edulcorari possint; etiamsi vel centies hæc operatio reiteretur.

Simile *Thomas Moufettus Anglus* in *epistolâ ad Petr. Monavium, Medicum Cæsareum*, monuit; dum *perlarum Magisterium*, per *acetum radicatum* confectum, improbat; quia tanta in eo supersit acrimonia, cui eluendæ vix trecenti aquæ congij sufficiant, Vid. *Laurent. Schulzij Epistolar. 277.*

Angelus Sala quoque *sect. 1. aphorismor, chimiatr. 40.* de solutionibus hisce talia fatur: *Quum dicunt, per multas cum aquâ destillatâ evaporationes dictos spiritus exhalare, sic ut à corporibus his acrimonia omnis exulet, crassissimum errorem committunt, quem, si gustum tantummodo suum, libram, ignemve consulant, facili negotio ipsimet sint agnituri.*

Verùm si per ablutiones istas totum menstruum corrosivum auferri, quis statuat, ille utique errat; cùm longè arctior salis acidi in *coraliis* &c. coagulati cum corpore hoc sit unio, quàm ut levi illâ operâ divelli se patiatur. Ast hoc Augustani minimè volunt.

Ablutiones autem & edulcorationes ideo supervacaneas in genere vocare, non licet; quia dum v. g. *coraliorum*, menstruo corrosivo superinfuso, dissolutio quæritur, hujus tam exacta quantitas minimè sciri potest, ut non aliquid menstrui quandoque superesse queat, quod aliorum *coraliorum* solutioni adhuc idoneum esset; hanc itaque menstrui particulam, quæ in leni exsiccatione remanere potest, auferre, cur impossibile, & supervacaneum?

Præterea ablutiones non simpliciter supervacaneas esse, ipse Zvelferus paulò post fatetur, dum solutiones hasce semel aut bis dissolvendo & filtrando ab adhærentibus impuritatibus liberare, edocet.

Tandem pro solutionibus his *secretum menstruum*, quod per abstractionem totaliter à solutis in illo *perlis, coraliis, oculis cancrorum* separari, & ad alios consimiles usus, hocque sæpius, adcommodari queat, obscurissimè,

& plus

& plus quàm ænigmaticè deſcribit; cujus claram delineationem, ut bonitati publicæ rem præſtet gratam, in *Append. animadverſ. pag. 52.* impertitur, quanquam malignorum ingratiſſimorumque cuculorum canina invidia juſſerit, illud inter ſecretiora arcanorum ſcrinia tantisper abditum ulteriore adhuc tempore captivum detinere, nec tam citò in meridianam lucem emittere. Aſt Menſtruum hoc ſecretum, ſeſquipedalibus verbis hinc indè commendatum, Zvelfero minimè acceptum ferendum eſt, adeoque inſtar multorum aliorum ejus ſecretorum, hactenus ex parte diſcuſſorum, ſe habet.

Ut ideo *Clar. Tackenius cap. 29. Hippocr. chimic.* eundem ſpiritum *Baſilio* jam notum, atque ab eodem in *libello*, cui *Manuductio medicinæ* inſcriptio eſt, ſub titulo: *vera perlarum ſolutio*, deſcriptum fuiſſe, non ſine causâ objiciat.

Quod tamen ægrè ferens Zvelferus *pag. 208. Apolog. contra Tacken.* falſum eſſe, regerit, ſe unquam hunc ſpiritum in *Valentino* legiſſe, aut hujus copiam exſtitiſſe; deinde *ſpiritum* hunc *Veneris*, ſeu *æris viridis*, pro verâ ſolutione perlarum à *Valentino* deſtinatum eſſe; quibus paulò poſt ſequentia ſuperaddit: *Eſto, docuerit ante ſæculum Baſilius Valentinus, ſpiritum pro vera, uti dicis, perlarum ſolutione; ſi ego temporum viciſsitudine obliteratum illum, aut dolo & nequitiâ talium uſurariorum medicinalium ſuppreſſum, luci reſtituiſſem: an non hoc literato orbi, & Medicæ arti, proficuum, ac mihi commendationi foret.*

Sed, licet iſti liti tantopere immiſcere me nolim, arrogantiæ tamen, ſpiritum illum ſibi, dum toties: *Spiritus noſter Veneris, Magiſterium noſtrum &c.* increpat, tribuenti, & tanquam inſigne ſecretum commendanti, aliquid regerendum eſt.

Non quidem certò conſtat, Zvelferum hunc ex ipſis *Baſilij Valentini* Operibus hauſiſſe; ſufficit tamen, eundem pro hujus autore non poſſe agnoſci. Ut ita *pag. 221. Apolog. cit.* ridiculè ſatis exclamet: *Meus hic partus eſt: mea induſtria: noſtrum eſt magiſterium, Reformatoris, Zvelferi.*

Cæterùm falſum eſſe, quòd *Baſilius* ſpiritum hunc pro verâ margaritarum ſolutione non deſtinaverit, ipſa refutat proceſſus inſcriptio: *Qua ratione vera perlarum ſolutio* (die rechte aufflöſung der perlen) *fiat.*

Temporum autem viciſſitudine ſpiritum hunc *Baſilij* obliteratum, aut dolo & nequitiâ nonnullorum ſuppreſſum, ac à Zvelfero demum luci fuiſſe reſtitutum, nemo fortè concedet, qui eundem ab *Andreâ Tenzelio part. 1. ſect. 1. Exegeſ. chimiatr.* clarè ſatis *p. m. 417.* deſcriptum, atque *Spiritus vitrioli philoſophici, vulgò Antepileptici Baſilij* nomine inſignitum conſiderat; ex quo

ex quo etiam illum ipſum *Joh. Schröderus Pharmacop. medico-chim. lib. 3. cap. 26.* ſub titulo : *Spiritus antepilepticus Baſilij*, inſeruit.

Ut adeo, ſi *Baſilij Valentini* copiam Zvelfero non exſtitiſſe, verum ſit, eundem tamen ſpiritum à *Baſilio* jam deſcriptum, ab aliis, noſtro hoc ſeculo etiam, in lucem productum, & ita minimè inter ſecretiora arcanorum ſcrinia fuiſſe abditum, è *Schrödero* facilè colligere potuiſſet Zvelferus ; utpote cujus copiam ipſi exſtitiſſe, & quem legiſſe ipſum, *animadverſiones in Extracta pag. 127.* ubi *Schröderi* opinionem, *aloës* reſinoſam partem purgationi inutilem judicantem, impugnat, veriſimile reddunt. Prout quoque *Eſſentiam ex cordibus & hepatibus viperarum ſiccis*, cum ſuo ſale proprio fortificatam, à *Schrödero* ultimis *Pharmacopœiæ medico-chimicæ* editionibus *lib. 5. claſſ. 1. cap. 37.* inſertam, è ſuis Collegiis chimicis Patavij habitis, quo indè gloriolam captaret, *pag. 215. animadverſ.* probè obſervavit.

De nomine etiam ſecreti hujus minimè ſecreti contentio intercedit, cùm non niſi *acetum deſtillatum Tackenius*, Zvelferus econtra *Spiritum Veneris* dicendum eſſe contendat, qui longè majores virtutes in medicinâ & medicamentorum præparationibus obtineat. Sed meum non facio, tantas inter illos componere lites. Hoc quilibet mecum fatebitur, quòd *Baſilius* menſtruum hoc *aceti* nomine dignatus fuerit ; quare in proceſſu, poſtquam ejusdem deſtillationem ac rectificationem edocuit, ſic ait : So bekombſtu einen lieblichen Eſſig ; & mox iterum : In dieſem Eſſig ſolvire perlen.

Nec ſanè aliud, quam liquorem acidum corroſivum, concentratum, ſive à ſuperabundante phlegmate liberatum hîc adquiri, exiſtimo ; cui tamen Venerei quid eſſe adſociatum, minimè contradico. Cujus præſentia num ſingularium virium in medicinâ eum faciat, meum hîc non eſt, inquirere.

Conſtare autem eum ex *aceto* quoque, & quidem maximâ ex parte, ipſa ejus præparatio à Zvelfero tradita arguit, dum, præterquam quòd *æs viride* accedente etiam *aceto* paretur, ipſe *vinaceorum* ſpiritus, quibuscum *laminæ cupreæ* ſtratificantur, acidum ſpirat.

Unde antiquiſſimus *Dioſcorides lib. 5. cap. 51. æruginem* etiam confici, ſcribit, dum *maſſula æris*, aut *lamina una, pluresve, vinaceis* non recentibus, ſed jam aceſcentibus conduntur. Quare *Matthiolus* in *comment.* eâ tantùm nos uti, addit, quæ *ære* in acetariis vaſis demiſſo, aut *vinaceis* jam aceſcentibus obruto, conficitur. Et *Gabriel Fallopius tract. de metallis ſeu foſsilib. cap. 18.* ex *ære*, in ſacculum coriaceum repoſito, & in cumulo *vinaceorum non recentium, ſed putrefactorum* ſepulto quoque parari, memorat.

Cryſtalli etiam *viridis æris*, à Zvelfero propoſiti, non niſi magnâ *aceti deſtillati* quantitate accedente fiunt ; quatenus ſcilicet *æs viride* in eo corro-

ſum &

ſum & ſolutum, ejus ſal acidum, avolante in exſiccatione phlegmate, ſecum retinet; quod in deſtillatione forti iterum eructat.

Hoc certum eſt, ad operationes chimicas, Magiſteria, vel potius ſolutiones perlarum &c. reſpicientes, qua tales, eum conferre. Licet easdem etiam vires *acetum deſtillatum*, optimè dephlegmatum imprimis ſi foret, ad haſce operationes poſſideat. De qua materiâ quid ſentiendum ſit, mox edocebo.

Sufficit, eundem non alterius ordinis menſtruorum eſſe, quàm quæ acida & corroſiva ſunt; quod ſapor imprimis, effervescentia cum contrariis alcalibus, aliaque ſufficienter demonſtrant.

Ipſe proceſſus, à Zvelfero in *Appendice cit.* deſcriptus, eò tendit, ut *viride æris* in *aceto deſtillato* ſolutum ad ſiccitatem, cryſtallis indè proſurgentibus, communiter *florum æris* nomine donatis, reducatur, ſicque particulis aqueis, ſive phlegmaticis evaporantibus, ſola ſalina *aceti* ſubſtantia in *viridi æris*, vel *cupro* concentretur, & conſequenter largior ſpirituum copia poſtea elici queat.

Quam verò à cryſtallis hiſce, ſive *æris floribus* binam, vel trinam *ſpiritus vini rectificati* abſtractionem, pro majori volatiliſatione & impragnatione, inſuper ſuadet, ea nec neceſſaria, nec utilis exiſtit.

Namque idem huc quadrare, arbitror, quod Zvelferus *pag. 414.* in *animadverſ. ſuper præparationem lapidis magnetis*, de aquis ſpirituoſis objicit, quas ſemel deſtillatas, nunquam in ſecundâ aut tertiâ cohobatione, *rei, cuicunque etiam jungantur*, ſpirituoſitatem, aut vires relinquere vel impertire, ſcribit, quin æquè ut in priori deſtillatione avolent.

Imò *ſpiritus vini* abſtractus æquè ſubtilis & ſpirituoſus, ac ante abſtractionem adfuſus fuit, per alembicum redit, qui neque à *cupro*, ſpiritibus acidis jam ſaturato, detineri in fundo cucurbitæ poteſt, neque ab *aceto deſtillato, cupro* adſociato; quin potius aliquas acidi ſpiritus particulas ſecum rapit; unde *oculis cancrorum &c.* eundem ſuperfuſum, aliquantulum eos ſolviſſe, deprehendi.

Quare etiam Spiritum hunc, abſque *ſpiritus vini* præcedente abſtractione paratum, meritò præferendum eſſe alteri illi, exiſtimo; præcipuè cùm Zvelferus *Mantiſſ. ſpagyr. part. 1. cap. 4.* hunc *Veneris* vocatum *ſpiritum*, ad laborum ſumtuumque, quos eſſe impendendos, nonnulli conqueſti fuerunt, diminutionem, è crudo ſaltem *ære viridi* pulveriſato deſtillari poſſe, tradat, qui poſtmodum probè rectificatus, parùm priori cedat, è *floribus æris* prolecto &c.

Licet, uti optimè notat *Rolfincius Chim. in artis form. redact. lib. 3. sect. 1. art. 4. cap. 2.* spiritus hujus, è solo *viridi æris*, non prius *aceto destillato* irrigato, levis & parcus emergat proventus, atque laboris tædium vix compensetur; cùm econtra *flores æris, aceto* turgidi, largâ in quantitate eundem emittant.

De virtutibus ejus medicis pluribus agere, nolo, quatenus epilepticis, apoplecticis, hystericis, hypochondriacis &c. summè opitulari dicitur; qua virtute eundem pollere, non penitus contradicam; licet minùs benè quandoque usum ejus cedere, experimenta facta doceant.

De vi ejus odontalgicâ, à Zvelfero deprædicatâ, *Tackenij Clavis antiquissimæ Hippocrat. medic. cap. 6.* videri potest.

Mihi potius de usu ejus chimico pro Magisteriis &c. quæ hîc tractanda propriè sunt, mentem Zvelferi excutere, incumbit.

1. *Tanquam esurinum* se habere, scribit. Quo ipso cum reliquis liquoribus acidis, corrosivis coincidit; unde etiam *Aceta esurina* vocantur. Atque ita nihil singulare hîc continet.

2. *Tanquam Liquorem alcahest* (*de quo tanta ubivis terrarum miracula deprædicantur*) se eum habere, superaddit. Quod ratione solutionis *perlarum, coraliorum* &c. se intellectum voluisse, *pag. 206. Apolog. contra Tacken.* contendit. Verùm nihil singulare hîc præ communi *aceto destillato* habet.

Si enim hoc in largâ quantitate, & majori, quàm ad injectam *perlarum, coraliorum, oculorum cancrorum* &c. dosin solvendam opus est, adfundatur, pars ejus aliqua pro aliâ subsequente solutione idonea abstrahi potest. Ipse etiam Zvelferus in *Append. animadvers.* crebris solutionibus spiritum illum nonnihil debilitari, viresque suas quodammodo amittere, fatetur; eum verò, post unam & alteram factam solutionem, tandem planè fatiscere, alij jam notarunt.

Liquor autem *alcahest* ad mille valere usus dicitur, citra corporis sui diminutionem. Quare etiam ab *Helmontio tract.* qui inscribitur: *Arcana Paracelsi, liquor immortalis, immutabilis aqua solvens* adpellatur. Cujus quidem virtus non corrosiva esse dicitur; cùm econtra *Acetum esurinum* Zvelferi quàm maximè corrosivum esse, nemo dubitare queat.

3. Solvere eum, perhibet, *perlas* integrè illi injectas blandè, *coralia* item, *oculos cancrorum*, & alia, *non ut reliqui spiritus acidi & corrosivi, qui solvendo & agendo, reactione solvendorum patiuntur, & vel totaliter destruuntur, inq; aliud ens convertuntur ac indissolubili nexu cum solutis Perlis, sive Corallis sese uniunt inseparabiliter, sed amicè tanquam eorum familiaris, non autem*

destructor

destructor adhibetur, utpote à quibus destillando eâdem virtute & acrimoniâ ferè, quâ affusus, abstrahi, adq; consimiles usus adaptari potest.

Pag. etiam *205. Apolog. cit.* talia de eo profert: *Is non agit violenter, non rodit simpliciter margaritas, corallia &c. uti reliqui spiritus corrosivi, & ipsum etiam vulgare acetum: verùm leniter & amicabiliter res solvendæ, præsertim margaritæ, in eo veluti liquefiunt, exuviis earum integris remanentibus, nobiliori pulpâ & substantiâ extractâ.* Quam solutionem dein non vulgarem, sed homogeneam adpellat.

Ast 1. solutionem illam non esse blandam, lenem, & amicabilem, sed violentam potius & corrosivam, ipse corrosionis actus demonstrat, in quo *margaritæ* sursum deorsum moventur; *oculos cancrorum* non sine strepitu ille adgreditur.

Qua ratione autem fieri potest, ut acidissimus ille spiritus, & consequenter corrosivus, *margaritis* adfusus, hanc corrodendi potentiam non exserat, dum alij non ita acidi & corrosivi, uti vulgare *acetum destillatum*, iisdem in corporibus eandem manifestant?

Quòd *margaritæ* in eo veluti liquefiant, exuviis vel pelliculis earum integris remanentibus, nobiliori tantùm pulpâ & substantiâ per corrosionem solutâ (non propriè extractâ,) homogeneam, & à vulgari solutione diversum quid habentem solutionem esse, minimè evincunt; quia etiam vulgare *acetum destillatum* idem efficit, *perlas* scilicet integras ipsi injectas quoad interiorem earum partem solvit, exuviis integris relictis, liquori innatantibus.

Quare optimè *Tackenius loc. cit. cap. 6.* respondit: *Quis vel trivialis Medicus ignorare potest, acetum simpliciter destillatum præstare illud idem, licet morâ longiori, integris in illud perlis injectis.*

Idcirco nulla hîc inter *acetum destillatum*, & creditum *Spiritum Veneris* differentia occurrit.

Liquescere quasi in *Spiritu Veneris margaritas*, nihil singulare est; cùm vel in *aceto simplici* idem contingat. Quod non ignorans Ægyptiorum Regina, Cleopatra, cujus historiam habet *C. Plinius Sec. lib. 9. natural. histor. cap. 35*, quæ Antonij magnificas epulas, sponsione factâ, superatura, insignem, & maximi precij unionem *aceto* immersit, *ac*, ceu textus habet, *liquefactum absorbuit.*

2. *Spiritum Veneris* eâdem virtute & acrimoniâ ferè, qua adfusus, abstrahi, adque consimiles usus adaptari posse, non simpliciter conceditur. Si enim ipsi aliquod corpus, ex. g. *oculi cancrorum*, eò usque injiciantur, usque dum nullas ampliùs bullas ex ipsis elevari, conspiciatur, atque lapilli illi in-

tegri perſiſtant, ſigno certo, ſpiritum hunc eſurinum ſufficienter illis eſſe ſaturatum, & hæc ſolutio ex cucurbitâ in M. B. vel etiam fortiori arenæ calore abſtrahatur, ne guttulam quidem acidi ſpiritus per alembicum tranſiiſſe, obſervavi, ſed phlegma ſaltem inſipidum, omni *cancrinos lapillos* virtute ſolvendi privatum. Quod cuivis, cui Spiritus is ad manus eſt, experiri, facile eſt; dummodo, uti dixi, ſufficientem corporis ſolvendi quantitatem ſpiritui immerſerit.

Si autem parcâ nimis manu Menſtruo huic potenti, famelico, & admodum corroſivo *oculi cancrorum &c.* (ut horum exemplum retineam) objiciantur, ac ita liquor, ulteriori ſolutioni *oculorum cancrinorum*, ſi qui offerrentur, aptus, deſtillationi committatur, virtute corroſivâ & acrimoniâ aliquâ præditum illud abſtrahi, adque conſimiles uſus adaptari poſſe, nemo inficias ibit.

Illæ tamen ejus particulæ acidæ, quæ lapillorum dictorum ſubſtantiâ ſaturatæ, cumque eâ unitæ ſunt, neutiquam adſcendunt, ſed in cucurbitæ fundo coagulatæ ſubſiſtunt, non ſecus ac *acetum deſtillatum*, cui æqualis ipſi corporis quantitas corrodenda ubi injecta fuit, ſi abſtrahatur, non niſi phlegmaticam partem in abſtractione emittit, ſalinâ cum re ſolutâ in cucurbitâ remanente. Econtra ſi plus *aceti deſtillati*, quàm rei ſolvendæ fuerit, pars ejus aliqua acida per alembicum elevatur, quæ poſtmodum ad conſimiles ſolutionis uſus adaptari poteſt.

Quòd autem acetum, ut verba *Tackenij* adhibeam, *ex ærugine prolectum in parva menſura potentiùs ſolvat coralia, quàm vulgariter deſtillatum*, *cauſam paulò ante oſtendi; idem nimirum contingere, quòd vulgariter acetum deſtillatum multa adhuc aqua dilutum ſit: ab illo verò, quod ab ærugine deſtillatur, per exhalationem paulatinam elementalis aqua evaporaverit.*

Hinc iterum nullam hac ratione prærogativam *Spiritus Veneris* præ *aceto deſtillato* Officinarum poſſidet.

Unde etiam adparet, quid de Zvelferi adſerto, quod *pag. 66. Append. animadverſ.* continetur, ſtatuendum ſit, dum Menſtruum prædictum *totaliter à re ſolutâ abſtrahi* poſſe, ſcribit; quod etiam *pag. 449. animadverſ.* adſerit; nec non *pag. 80. Apolog. contra Tacken.* ubi hunc ſpiritum à ſolutis *integrè, purum, nullâ reſiduâ acrimoniâ & aciditate, pleniſſimè abſtrahi poſſe*; & *pag. 205.* eundem *deſtillando eâdem acrimoniâ, eâdemq́ virtute & efficaciâ, quâ perlis, aut aliis rebus ſolvendis, affuſus* eſt, abſtrahi, contendit.

Quin præter adductum modò à me experimentum, ſententiæ huic quoque contrariantur plurima alia, quorum imprimis *Tackenius l. c.* mentionem fecit.

Scilicet

Scilicet *coraliorum drachmam unam*, in dicto *Veneris spiritu* solutam, post exsiccationem *drachmam unam & dimidiam* in pondere æquare; quod idem pondus in *coraliorum drachmâ unâ*, per *acetum destillatum* solutâ, & postea exsiccatâ deprehendi, memorat. Unde hoc pondus auctum? certè ab *aceto destillato*, & credito *Veneris spiritu*; quem itaque non totaliter abstrahi in exsiccatione, dici potest; cùm tantum ejus remaneat, quantum cum *coraliis* in corrosione unitum, coagulatumque fuit.

Porrò *coralia* hac ratione soluta, exsiccata, & iterum in aliquâ aquâ diluta, si *spiritus vitrioli*, vel *sulphuris* solutioni instilletur, præcipitari, quem pulverem ablutum, & exsiccatum, æquale pondus præbere, refert, videlicet tum è *coraliis* cum *Spiritu Veneris*, tum *aceto destillato* corrosis præcipitatum. Quo ipso discitur, *Spiritum Veneris* in exsiccatione non fuisse totaliter abstractum; quia alius infusus spiritus *coralia* præcipitat, & pulvis præcipitatus ejusdem ponderis est cum illo, è *coraliis*, *aceto destillato* solutis, præcipitato.

Ipse insuper Zvelferus hac, quam præ manibus jam habemus, *pag. 52. Append. animadvers.* Menstruum istud è *viridi æris* prolectum, totaliter à re solutâ non abstrahi, nec eâdem acrimoniâ, eâdemque virtute & efficaciâ, qua ante adfusionem fuit, pollere, tacitè confirmare cogitur; dum 1. illud *destillando eàdem virtute & acrimoniâ*, non simpliciter, sed *ferè* abstrahi, scribit. Quod similiter *pag. 66. Append. animadvers.* profertur. 2. Mox subjungit sequentia: *Nolim tamen ego asseverare, quòd penitùs impermutabilis, aut indestructibilis sit hic spiritus; solet enim crebrioribus solutionibus adaptatus nonnihil debilitari, viresq; suas quodammodò amittere.*

Quare, si vera sunt, quæ *pag. 205. Apolog.* de *aceto destillato* profert, videlicet quòd cum rebus solutis coaguletur, inque aliud ens transmutetur, viribus saltem & indole rerum mutatis, imò ex integro immutatis, nec non *pag. 208. aceti* aciditatem, nullâ arte à *perlis* separabilem, eas ab indole nativâ immutare, & vel penitus destruere; idem elogium Zvelferi *Magisteriis solubilibus verè præparatis* tribui quoque debet.

Tantùm itaque ab *Alcahest* hac etiam ex parte abest Zvelferi spiritus. Qui tamen decantatissimum illum *Liquorem, summum Doctissimi Helmontij secretum*, maximâ suâ in communicandis arcanis liberalitate ductus, *Mantiss. spagyr. part. 2. cap. 7.* qua ratione scilicet is parandus sit, describere laboravit, *Mercurium*, multoties repetitâ cum fortissimo alcali, è *calce vivâ*, & *sale tartari* confecto, purificatum, per triplicem retortam pellendo, atque eum, qui vivus unà cum aquâ in vas recipiens transit, denuo primæ retortæ, per adnexum ipsi canalem, injiciendo, sicque destillationem hanc eò usque repetendo, donec ferè totus in aquam versus sit; quam dein in phiolâ oblongâ

longâ per aliquot menſes in F. E. putrefacit, atque rectificatam pro famoſo illo *Liquore* venditat. Magnifica hæc ſunt promiſſa, & ob prolixam præparationem magni quid præ ſe ferunt. Sed vereor, ne nubem pro Junone amplectantur, qui fidem hiſce tribuunt. Quod nonnullis accidiſſe, mihi conſtat, qui exploraturi, quid ſpecioſis hiſce verbis veri ſubſit, fruſtaneum ſe ſubiiſſe laborem, experti fuerunt.

Tu manus itidem adhibe operi, atque albæ gallinæ filius deprædicaberis, ſi hac ratione *Mercurium* in aquam rediges.

Idem ſemper manet. Igne preſſus, inque fumum elevatus, inſtar ſublimati alicujus, vitri lateribus adhæret, ſed digitis ſaltem, vel pennâ tactus, vultum priorem recuperat, & currens evadit.

Propter homogeneam ſimplicitatem in ignis tormento ſibi perpetuò conſtans eſt. *Siquidem vel totus, in ſui naturâ immutatus, ab igne avolat: vel totus, per ſeminis transmutationem, in igne perſeverat*, uti *Helmontius tract. Progymnaſmata meteori* §. *8.* loquitur, quæ de materiâ hac evolvere, Zvelferus præcipit.

Quis credat, *Mercurij ſulphur externum*, originalem metalli labem continens, tam facili labore, poſſe ſeparari; cùm *Helmontius l. c. §. 14.* difficulter ab eo hanc labem tolli, innuat. Et ſpoliatum iſto ſulphure *Mercurium* nullo igne mutabilem, atque *Mercurium de Mercurio* nominat. Labem autem iſtam in causâ eſſe, dicunt, ob quam *Mercurius* corpora penetrare, eaque diſſolvere haud valet, dum ſcilicet ſulphuribus, ſalibusque adhæret, ac ſeſe iis admiſcet.

Sed hîc inſurgere Zvelferum video, & *ſulphur* hoc *externum Mercurio* adtributum ridere, dum *pag. 170. Apolog. contra Tacken.* illud vocat *Chimæram non viſibilem, non perceptibilem, nunquam à Mercurio ſeparabilem, nec ab ullo Philoſopho unquam ſomniatam.* Et *pag. 165. Apolog. cit.* ſic loquitur: *Quòd Mercurius ſulphure gaudeat externo; ſitq; hoc ſeparabile de eſſentia & eſſe Mercurij: eſt novum dogma, novi Legislatoris novum commentum. Quis unquam Mercurio appinxit duplex ſulphur, internum, & externum?* Aſt omnia hæc *Helmontius* in *cit. tract.* docet, qui omnium Chimicorum conſenſu *Philoſophus*, imò vel *Adeptus* ſalutatur, quem Zvelferus *Doctiſsimum* compellat, cujus de *Liquore alcaheſt* diſcurſus conſuli debeat. Is, inquam, in *Mercurio ſulphur* quoddam *externum* deprehendit, ceu §. *14.* teſtatur; & ab eo poſſe id ſeparari, *§. 8. & 14.* indicat; de *interno* etiam *ſulphure* §. *17.* tractat.

Neque prægreſſa multoties repetita *Mercurij*, cum *alcali tartari*, *calce vivâ* fortificato, ſive, ut alij loquuntur, concentrato, miſti deſtillatio ſingulare quid hîc adfert; ſiquidem non niſi ejus ab adjunctis ſordibus, rebusve hetero-

heterogeneis purificatio est, à vulgari illâ cum *aceto*, & *sale* purificatione magnopere non differens. Salia enim tantum in *Mercurium* haud obtinent imperium. Si corrosiva eum attingerent, *fortè multorum labor compensaretur*, uti *Helmontius* §. *16.* habet.

Cæterùm non negabo, posse in istâ præparatione, unà cum *Mercurio*, aliquid aquæ in vase recipiente colligi. Sed hoc non ideo *Mercurius* in aquam resolutus dici potest, cùm longè aliam originem habeat. Prout ea à luto, quo cum vasa conglutinantur, oriri potest, partim etiam è vaporibus aqueis, aëri vasa illa ingresso utplurimum conjunctis, qui à calore rarefacti, inque recipiens vas expulsi, frigidum ibidem aërem nacti condensantur, ac tandem tandemque in aqueas guttulas colliguntur.

Adeoque processum hunc meritò *Conceptûs ad Praxin nondum redactos* vocat ipse Zvelferus. Ij autem, qui rem intimiùs considerant, eundem inter processus, *in Lunæ concavo elaborandos*, quos *Mantiss. spagyr. pag. 319.* innuit, connumerant.

Eosdem verò Conceptus alij quoque jam habuerunt, à quibus fortè Zvelferus mutuò eos sumsit. Similem ex. g. *Joann. Ernestus tract. de oleis varus arte chimicâ destillatis*, de *Mercurio* in retortâ triplici in aquam destillando processum adduxit.

Sed mitto hæc fictitia secreta, & ad MAGISTERII GIALAPPÆ *pag. 447.* præparationem me confero; quam cùm mancam esse statuat, veriorem, uti eam vocat, subjicit. Hanc etiam rejicere nolo; licet eandem Zvelferi industriæ iterum non debeamus; cùm alij ante ipsum non dissimilia admodum jam docuerint.

Prout *Sennertus noster Institut. medic. lib. 5. part. 3. sect. 3. cap. 9.* sub titulo *Extracti scammonij* eandem ponit, dum *scammonium*, *mechoacannam*, *radicem gialappæ*, atque alia, quæ resinosi aliquid habent, cum *spiritu vini* extrahere, spiritum impraegnatum per inclinationem separare, ejus dimidiam partem lentâ in Balneo destillatione separare, residuo aliquid *aquæ rosarum* instillare, extractum sensim subsidens, post *spiritum vini* per inclinationem separatum, lento calore siccare, & pulverisare, jubet, adfusionem tamen *spiritus vini* toties repetendam esse, subnectens, donec nihil ampliùs extrahat.

Et tali, quem proponit, modo paratam resinam evadere splendidiorem, & puriorem, nec tam graveolentem, uti alioquin esse solet, quando *spiritus vini* non fuit abstractus; quam graveolentiam etiam nullo modo tolli posse, Zvelferus tradit, per ablutiones, quam sæpissime etiam fiant. Non adeo grato odore resinam illam gaudere, ut non controvertam; talis

attamen

attamen is est, qui ab addito aliquo medicamento facilè obliteratur; resinæ etiam Zvelferiano modo parata odore ingrato non destituitur.

Splendor nihil hîc conferre valet, utpote quia resina ista in formâ suâ compactâ transparente non exhibetur, sed potius iterum soluta, pulverisataque; splendor autem in hac pulverisatione tollitur.

Cæterùm cur Zvelferus *pag. 78. Pharmacop. Reg.* repetitam *resinæ gialappæ* cum *aquâ rosarum* ablutionem commendat? Certè animadversione utique hîc indiget. Si ob graveolentiam resinæ; ast hanc illi tantùm resinæ, per solam præcipitationem, absque *spiritus vini* abstractione paratæ inesse, in præsentibus animadversionibus vult; eam ipsam etiam non posse per frequentes ablutiones tolli, objicit. Si ut odor fragrans *rosarum* resinæ imprimatur; sed hoc Zvelferi doctrina neutiquam permittit; præcipuè cùm taliter lotam exsiccare totaliter, jubeat. Sin ob aliquas heterogeneas inutiles partes ipsi adhærentes; sed *spiritus vini, gialappâ* imprægnatus, prius filtratur, & ita ab inutilibus partibus liberatur; neque sordidæ cucurbitæ extractiones abstrahendas immitti debere, aut adfundi *aquam rosarum* inquinatam, pro exactiori resinæ præcipitatione, ipsa ratio dictitat. Sin ut extracti non resinosi adhærentes particulas hac ratione abluat; ast, ceu etiam *pag. 117.* jam notavi, non nisi inutilis & supervacaneus labor præcipitur; quia extractum non resinosum iterum resinæ postea conjungitur, atque ita denuo ab ipso inquinatur; præterea eidem negotio *aqua* saltem *vulgaris* inserviret, & sic fragrantis *rosarum aquæ* jacturam facere, non opus foret.

MAGISTERIUM SULPHURIS, SEU LAC EIUSDEM *pag. 448.* ut ab aliorum Magisteriorum præparationibus parum, aut nihil differre: ita nullam præ iis singularem mereri laudem, adserit; cui igitur *Flores sulphuris,* aut ipsum *crudum sulphur* in virtutibus longè præfert. Verùm si ab aliis Magisteriis hoc *Lac sulphuris* nihil differret, esset 1. calx emortua, cùm *pag. cit. animadvers.* Magisteria illa præcipitata, superiùs examinata, instar calcis mortuæ se habere, objiciat; 2. ad omnem in posterum solutionem inhabilis; ceu de similibus Magisteriis *Apolog. sæpius cit. pag. 212.* loquitur. Sed utrumque esse falsum, non adeo difficulter demonstratur.

1. Calcem emortuam, inutilem haud esse, crebra Practicorum suggerit experientia. Sic *Petr. Poterius centur. 1. curation. & observat. cap. 98.* pulmones assiduâ fluxione vexatos, decocto alexiterio & exsiccante cum *Lacte sulphuris* in pristinum reduxisse se; atque *centur. 2. cap. 54.* asthma inveteratum Pilulis suis catholicis, & *Lacte sulphuris* curâsse se, testatur.

Adduci quoque digna est hac de materiâ decisio *Exc. Dan. Ludovici,* quam

quam *pag. 375. Pharmaciæ modern. secul. applic.* fert: *Lac sulphuris in bronchiorum infarctu crudo ac florificato revera præstantius perdiu experti sumus (quamvis magisterij ratio in specie repugnare posset)*.

Ipse Zvelferus *Mantiss. spagyr. part. 2. cap. 10. pag. 401.* cautior redditus *pro maximâ sui parte* saltem *destrui* in hac operatione *sulphur* notat; cujus tamen vix tertia pars viribus salva constet, ac virtutes & operationes *sulphuris* proprias edere possit; reliquæ verò duæ *Lactis sulphuris* partes sint calx emortua, & inutilis, in igne constans; cujus adserti veritas in momento videri possit, si *Lac illud* Vulcano simpliciter, aut etiam sublimationi tradatur.

Si itaque pars aliqua indestructa & utilis remanet, non simpliciter calx emortua adpellari medicamentum hoc debet.

Quibus tamen planè contraria in paulò antecedentibus protulit; ubi vulgaria Chimicorum *Magisteria, perlarum, coraliorum, oculorum cancrorum, matris perlarum, cornu cervi, ungulæ alcis &c. calces inutiles mortuas planè & effœtas, nullâ arte, neque etiam fortissimo ac corrosivo spiritu ampliùs resolubiles* vocans, præsens *Lac sulphuris eidem judicio submittendum esse,* voluit.

In qua Zvelferi sententiâ plura animadversionem efflagitant.

1. *Lac sulphuris* non esse calcem inutilem, mortuam planè & effœtam, ex ipso Zvelfero modò ostendi.

2. Idem nullâ arte resolubile existere, falsum est. Taliter enim paratum Magisterium hocce si cum novo è *sale tartari* lixivio coquatur, hoc evidenter iterum colore rubro tingitur, odoreque sulphureo imbuitur; cui filtrato *acetum destillatum* infusum, denuo *sulphur*, concomitante fœtore, lactescentis coloris in fundum agit; quòd exsiccatum prunis injectum iterum, ut *sulphur*, ardet.

3. Vix tertiam partem ejus viribus salvam constare, itidem negatur, ita ut duæ partes sint calx emortua & inutilis, in igne constans.

Cujus veritatem facilè cognoscere potest, qui Augustanorum modo paratum Lac hocce Vulcano tradere non gravabitur; ubi quidem pulvisculus aliquis remanet, qui tamen pondere neque vigesimam, & ita multò minùs plus quàm dimidiam *Lactis sulphuris* quantitatem, qualis ante combustionem fuit, adæquat.

Faciliùs illud Zvelfero concederem, si de solo Magisterio, mediante *calce vivâ* parato, sermonem institueret; utpote cujus *loco cit.* quoque mentionem fecit, scribens: *Quamvis sulphur per appropriata sibi, & homogenea*

Z z z *veluti,*

veluti, menstrua, salem tartari, aut calcem etiam vivam, beneficio aquæ simplicis, legitimè quidem solvatur &c. Tali namque ratione majorem in *sulphuris Lacte* reperiri calcis in igne constantis quantitatem, non contradicam, sed ea *calci vivæ* debetur; quam tamen Augustani pro suo *Lacte sulphuris* non admittunt, *sale tartari* contenti. Vid. quæ hac de materiâ *Magnif. Rolfincius Chim. in artis formam redact. lib. 5. sect. 2. cap. 35.* adducit.

Ex quibus, de secundo dubio, ubi *Lac sulphuris* ad omnem solutionem inhabile esse, opponitur, quid respondendum sit, pariter elucescit.

MAGISTERIUM TARTARI VITRIOLATI *pag. 448.* commodiùs è *tartari sale sicco*, quàm *resoluto* parari, &, si lubet, crystallisari posse, animadvertit. Verùm prout utrumque, videlicet *sal tartari resolutum*, & *siccum*, ad hujus medicamenti compositionem recipi posse, non inficias ibo: ita tamen commodius hoc præ illo esse, nullatenus mihi persuadere possum; quia utrumque eâdem ratione cum *spiritu vitrioli* congreditur, inque unum, sal neutrum, concrescit; utrumque easdem habet virtutes & proprietates; differentia saltem est, quòd illud in aquâ &c. solutum sit, quæ absque ullo singulari labore in quovis calore facilè iterum, post absolutam acidi & alcalici liquoris reactionem, separatur.

Imò si lubet, Magisterium hoc in crystallinam formam redigere, nonnihil commodius est, *sal resolutum* præ *sicco* eligere; quia *siccum* cum *spiritu vitrioli*, imprimis si fortis is & dephlegmatus exstiterit, mistum, magnâ ex parte in coagulum mox abit, quod elegantes in crystallos ubi redigi debet, necessariò prius in aquâ solvendum venit.

Sed adserti sui rationem *Mantiss. spagyr. part. 2. cap. 11. pag. 416.* dare conatur, dum *Tartarum vitriolatum*, è *sale tartari resoluto* paratum, facillimè in aëre liquescere, & plurimas in parandis ex eo medicamentis siccis parare incomoditates, adstruit; *quemadmodum*, subjungens, *omnia talia medicamenta vel pauculis horis in aprico & aëre relicta, humiditatem contrahunt inelegantem, nec in aëre coërceri possunt, quin in liquamen mox defluant.* Verùm alia est ratio *salis tartari resoluti* cum acido *vitrioli spiritu*, alia cum aliis rebus, imprimis nullo acore donatis, permistionis. Ibi debitè cum *spiritu vitrioli* saturatum, in aëre non ita facilè liquescit; hîc verò, si humiditas ejus abstracta est, promtè satis in liquorem resolvitur.

Quinimo periculum hoc non propriè *sali tartari resoluto*, & ita in aëre vel liquore aliquo liquefacto, sed potius *sicco*, à Zvelfero commendato, incumbit. Illud enim humido aëris &c. jam saturatum est; hoc autem, utpote, ut *Tackenij* verbis utar, adhuc vacuum, demum saturari cupit, unde

aëri

aëri expoſitum, humidum in illo contentum abſorbet combibitque, ſive liqueſcit.

Tartarus itaque *vitriolatus* cum *ſale tartari reſoluto* confectus, cùm alcali ejus acido jam ſaturatum exiſtat, neutiquam facillimè in aëre liqueſcit, nec faciliùs, quàm ſi cum *ſale* ejusdem *ſicco*, in æquâ tamen proportione adhibito, fuiſſet paratus. Quorum uterque diu ſatis à fluore, vel deliquio illo immunis perſtat; licet eosdem tandem ſolvi ita poſſe, non negaverim.

Cæterùm non poſſe, quod objicit Zvelferus, certum *liquoris tartari*, & *ſpiritus vitrioli* pondus determinari, cùm *ſpiritus vitrioli* magis vel minùs phlegmaticus ſit, *ſal tartari reſolutum* itidem in tenuitate, *ſal ſiccum* verò in ſiccitate diſcrepet, quæ ita hujus & illius pondus maximè variare poſſint, non ſimpliciter admitto.

Si talis quidem expetatur eorum unio, quæ utriusque ſalis, acidi & alcalici, æqualem proportionem contineat, tunc non nego, *ſali tartari reſoluto ſpiritum vitrioli*, vel vice verſâ, usque ad punctum ſaturationis eſſe inſtillandum, ſive donec omnis ceſſet contrarietas, ſtrepitus & efferveſcentia. Qua ratione utique exactam ipſorum definire quantitatem, non adeo eſſe poſſibile, concedo. Ceu idem, ante Zvelferum, alij jam obſervarunt, dum permiſtionem illam eò usque fieri debere, voluerunt, donec ſtrepitus ceſſet.

Aſt dum Auguſtani cum aliis pondus utriusque determinant, errare eos, neutiquam dicendum eſt. Siquidem non tam ſtrictè neceſſarium, illud ſaturationis punctum adcuratè expectare, cùm aliquantum excedens *ſpiritus vitrioli*, vel *ſalis tartari* pondus in ſuâ virtute medicamentum non adeo immutet. Ut itaque, *ſalis tartari reſoluti uncias quatuor*, *ſpiritus vitrioli boni unciam unam & dimidiam* qui adhibent, animadverſionem vix mereantur.

Tandem inconſideratam quorundam adſertionem reformat, qui, poſt peractam ſufficientem *ſpiritus vitrioli* in *ſal tartari p. d. ſolutum* inſtillationem, à reſidente & præcipitato pulvere albo ſupernatantem liquorem ceu inutilem ſeparant; ex eo autem paratum per humiditatis abſtractionem *Tartarum vitriolatum* ceu nauſeoſum, vomitumque concitantem rejiciunt. Hæc animadverſio Auguſtanos non tangit, qui ſupernatantis liquoris effuſionem non præcipiunt, ſed potius cum *Oſvaldo Crollio*, & *Jo. Beguino* volunt, ut *humiditas ſupernatans evocetur lento calore ad ſiccitatem ſalis.* Quod idem alij plures jam quoque obſervarunt; ceu ex *Petr. Poterij Pharmacop. ſpagyr. Andreæ Tenzelij Exegeſ. chimiatr.* pateſcit.

Aſt Zvelferus non tam facilem adſenſum meretur, dum pulverem album, qui adinſtar magiſterij (ſi è *liquore tartari calcinati*, non *ſale* ejus *ſicco* conficiatur) præcipitatur, tanquam calcem fixam, inſipidam, & inutilem, in

liquore potulento non resolubilem se habere, venditat. Non quidem nego, *liquorem tartari*, si is à terrâ, quam à calcinatione *tartarus* sibi reservat, non probè fuerit depuratus, aliquam calcem demittere, ubi contrarius *vitrioli spiritus* ipsi adfunditur; quod etiam contingere potest, si *spiritus vitrioli* impurus sit, corpusque aliquod prius corroserit.

Sed tunc idem quoque, licet *sal tartari siccum* sumatur, accidit; utpote quod à *liquore tartari calcinati* non differt, nisi quòd sit absque humido aquoso.

Si verò *liquor tartari calcinati* purus, itidemque *spiritus vitrioli* talis extiterit, nunquam calx illa à Zvelfero indicata præcipitatur.

Quamvis, ubi liquores prædicti fortissimi sunt, ab eorum permixtione præcipitatio etiam aliqua in pulverem albicantem observetur; qui tamen tantum abest, ut calx insipida, inutilis, & irresolubilis dici queat; ut potius nihil aliud sit, quàm coagulum salinum, verbo, *Tartarus vitriolatus*.

Idcirco verus *Tartarus vitriolatus* neutiquam in solâ supernatante humiditate, præsertim ubi *sal tartari siccum* adhibitum fuit, delitescit; & præcipitatum pulverem album, ceu inutilem, abjicere, admodum inconveniens foret.

Quòd autem ex usu *Tartari vitriolati* dira quandoque suboriantur symptomata, ut vomitus, cardialgia &c. culpam Zvelferus rejicit in *sal tartari*, quod communiter è *tartaro* impuro, plurimisque rebus heterogeneis sordidis permixto, paratum huic medicamento adhibeatur. Unde *tartarum* in aquâ prius solvere, & crystallisare, necessum ducit. Verùm etiamsi *tartarus* qui adhibetur, non adeo purus sit, sal tamen ex eo combusto elixiviatum non differt ab alio *sale tartari*, è puro calcinato *Tartaro* separato.

Licet ratione illâ sal stipitum &c. quos *tartaro* non purificato inhærere, in *Spiritus tartari animadversionib.* prodidit, ipsi permixtum sit, hoc tamen vix alias virtutes, quàm ipsum *sal tartari* obtinet; cùm alcalium fixorum ratione virtutis vix ulla detur specifica differentia, utpote quam vegetabilia, vel corpora, à quibus educuntur, in summâ illâ Vulcani, quam experiuntur, violentiâ, amisisse videntur. Unde Zvelferus *pag. 274. animadvers.* si ex animalibus combustis sal fixum elici posset, quod possibile esse, ipse *pag. 276.* exemplo *viperarum* comprobat, id tanti precij non esse, adserit, quin potius vires alterius cujusdam salis fixi æmuletur.

Quòd autem ab ejus exhibitione varia nonnunquam oboriantur symptomata, plurimæ causæ esse possunt.

Quo in loco præcipuè *Exc. Dan. Ludovicum Pharmac. moderno seculo adplic. pag. 390.* audire, æquum est, scribentem: *Spiritus vitrioli sit hîc (propriâ*

substantiâ

ſubſtantiâ aliterve) intaminatus; alias noxas, ſi quæ revera, extra abuſus (è libellorum commendatione natos,) obſervatæ fuerint, huic potius, quàm impuritati Salis Tartari (quid enim hîc accederet, quàm fecum ligneorumq́; fruſtulorum innoxium Alcali?) adſcriberemus.

Ad abuſus referri poteſt, dum à *Crollio* imprimis, ob id ab aliis ſatis exagitato, pro univerſali digeſtivo proclamatur, ubi ſæpe ſæpius varia incommoda hoc *Sal vitriolatum* procurare poteſt.

Ubi obiter notetur, quòd Zvelferus indignè nimis petat Auguſtanos, dum in *Mantiſſ. ſpagyr. l. c.* de *Tartaro vitriolato, ſeu ſale tartari vitriolato* agens, talia profert: *Virtutes hujus ſalis Tartari vitriolati notiſsimæ ſunt: Generale digeſtivum illud proclamant D. D. Auguſtani &c.* Cùm non ſimpliciter tale, ſed *generale ferè digeſtivum* illud pronuncient.

Sed cùm Zvelferus ſententiam foveat, ac ſi in duorum horum inter ſe diverſorum ſalium permiſtione tanta ſit contrarietas, ut *ſpiritus vitrioli* deſtructus planè ibidem ſit, nimiopere eum labi, hîc monere volui.

Unde etiam *Tartarum vitriolatum* deſtillando *ſpiritum vitrioli* neutiquam reddere, venditat.

Sic *pag. 138. Apolog. contra Tacken.* inquit: *Poteſtne ex Tartaro Vitriolato, qui ex fixo alcali, ſeu ſale Tartari, & ſpiritu Vitrioli, conflatus eſt, Vitrioli denuò ſpiritus deſtillando elici, aut violentiſsimo igne expelli; uti ex ipſo Vitriolo? Nequaquam.* Sed hoc ipſa ſpiritus iſtius præſentia retundit. Veluti eundem deſtillari poſſe, Officinæ noſtræ, in quibus ille proſtat, teſtantur; & quidem non ex acido-ſalſum, ſive ex acido & alcali miſtum, ſed revera acidiſſimum, corroſivum, odore & ſapore non niſi *vitrioli ſpiritum* prodentem, atque cum *ſale tartari* denuo effervescentem.

Quod ipſum quoque alij Medici jam dudum obſervarunt. Sicut *Billichius lib. 1. obſervat. & paradox. chimiatr. cap. 7.* hunc in modum diſſerit: *Vitrioli ſpiritus nunquam tam tenaciter adhæret ſali tartari, quin eum amoveat deſtillatio, nec tam arctè unquam ambo coaluerunt, quin divortio ſemper patuerit locus.*


Et *lib. 2. cap. 7.* his verbis idem confirmat: *Sal iſte & ſpiritus deſtillatione diſſociati redeunt, viribus uterque integris.*

Cum quo facit *Excell. Jo. Dan. Horſtius epiſtolâ 2. obſervationum anatomicarum decadi* præfixâ.

Et *Clariſs. Daniel Sennertus* de hoc dubio ita ſentit: *Tartarum vitriolatum ſi iterum deſtilletur, præbet ſpiritum vitrioli acidum, & ejus planè naturæ, cujus antea fuit.* Vid. *Paralipom. ad lib. 5. Inſtitut. medic. part. 3. ſect. 3. cap. 15. paralip. 39.*

Cui

Cui accedit *Celeberr. Rolfincius lib. 5. Chim. in artis form. redact. sect. 2, cap. 8.* nec non *Dissertat. chim. 1. cap. 32.*



SALIA.

Cùm in hoc capite Salium tractatio se offerat, omnium primò ad *Appendicis animadversionum pag. 67. & seqq.* me conferre, Zvelferi habitus ibidem de Salium differentiis discursus, paucis saltem, quia materiam hanc pro exigentiâ tractare, aliquot paginæ requirerentur, examinandus, cùm plura in eo contra Augustanos adducantur, permovet. Ubi imprimis ea in propriè talia, & vera, nec non impropria, & illegitima distinguit.

De his primò agit, eorumque numero 1. *Essentialia* illa è *vegetabilium* succis parari solita, includit, quæ non nisi *tartari* species esse, (prout eadem *tartari* nomine alij Chimicorum jam descripserunt) adserit, corpora è variis rebus heterogeneis conflata, utpote oleo fœtido, spiritu aquoso empyreuma redolente, terrâ mortuâ, & sale fixo. 2. *Salia coraliorum, perlarum, oculorum cancrorum &c.* sic vulgariter nominata; quæ tamen saltem ipsorum corporum solutiones existant. 3. *Sal* sive *Saccharum Saturni* unà cum reliquis *vitriolis*, cùm solutiones tantùm *plumbi*, aliorumque metallorum sint. 4. In specie *Sal vomitorium Angeli Salæ*, pro *vitriolo vomitivo* à Zvelfero habitum.

Verùm qui dicta corpora salibus adscripsêre Chimici, hallucinatos fuisse, non ita simpliciter admittitur.

Nomen enim hoc commodè præ se ferre possunt, tum quòd plurimis salinis constent partibus, tum etiam aliis cum *sale communi* accidentibus conveniant, uti, dum in diaphanam crystallinam formam redigi queunt &c.

Interea pro diverso conceptu modò salia dici, modò eorundem numero eximi possunt. Sunt salia sui generis; ceu *alumen*, ex acido spiritu, & terrâ conflatum, hac denominatione dignatur Zvelferus *Append. animadvers. pag. 64.*

Et quamvis, strictè salis nomen si quis accipiat, recensita illa utique ad salia referri nequeant, hallucinari tamen propterea illos non mox exclamari debet, qui communiorem dicendi formulam hactenus secuti, salis nomine id complectuntur, quod pluribus salinis partibus constat, in aquâ solubile est,

eſt, atque cryſtalliſari poteſt, non ignorantes interea, haud eſſe ſalia ſimplicia, è ſolo ſale conflata, ſed heterogeneas partes continentia. Verùm ſingula ordine percurramus.

1. *Tartarus*, & ſub eo contenta *ſalia eſſentialia Vegetabilium*, ubi ab adhærentibus impuritatibus purificatus fuerit, ſubſtantiâ ſuâ cryſtallinâ ſal exactè ſatis repræſentat. Unde non inconvenienter *vini tartarus* ab ipſo Zvelfero *part. 2. Mantiſſ. ſpagyr. cap. 12. pag. 409. Vini ſal* dicitur. Licet enim non ſimplex ſit corpus, ſed compoſitum, ſal eſſe propterea non deſinit. Neque tam facilè ſal reperire licet, quod non de Mercuriali, vel Sulphureo principio quid participet.

2. *Sal coraliorum* minùs aptè ſal dici, *Schröderus* jam *Pharmacop. medico-chim. lib. 1. cap. 3.* notavit. Cui, ut repetam, ſi ſtrictè loqui velimus, neutiquam contradico.

3. Cum his *ſaccharum* etiam *Saturni* coincidit.

Vitriolum autem ſal eſſe, ſed ſui generis, & ab aliis ſalibus diſtinctum, *Paracelſus* notavit.

Sal ſolùm dicitur, quod habeat proprietatem & conſiſtentiam ſalis, in aquâ ſolvatur, & acris ſit ſaporis. Quo modo nomen *Salis Saturni* explicat *Celeb. D. D. Guern. Rolfincius Chim. in artis formam redact. lib. 5. ſect. 2. cap. 32.*

Videantur, quæ in *Examine animadverſionum ſuper Ceruſſæ præparationem* habentur.

4. Eodem modo ſe habet *Sal vomitivum Ang. Salæ*, quod propriè ſal dici nequit. Quare ipſe *Sala tract. 1. anatom. vitriol. cap. 6.* illud prius à ſe pro ſale habitum, tandem, non pro ſale, ſed *vitriolo* ſe agnoſcere, monuit. Et *ſect. 1. Synops. aphoriſm. chimiatr. 45.* quòd neque ſal ſit, neque rectè in ſalibus numeretur, de *vitriolo* effatur.

Quin ſi illis, qui nomina cuique rei, propriè & ſtrictè ipſi competentia, non imponunt, talem animadverſionem ſcribere, atque objicere decet, quòd hallucinentur, ſalvus evadere nequit Zvelferus; qui ex. g. *Oleum terebinthinæ* ſpirituoſius, in deſtillatione primò prolectum, *Spiritus* nomine donavit; & liquorem aquoſum, vix ſalini quid continentem, *Sal tartari volatile* adpellavit. Præterea duplici *Salis antimonij* deſcriptioni *part. 2. Mantiſſ. ſpag. cap. 8. pag. 380.* quàm benè nomen illud imponatur, facilè judicari poteſt.

Nunc ad ſalia vera, propriè ſic dicta, ſe convertit, quæ in volatilia & fixa, ac utraque in purè ſalſa (vel ſalſa,) & acido-ſalſa dividit.

1. De volatilibus purè ſalſis, urinoſis differit, quæ utplurimum ex animalibus depromi, ſcribit.

Hæc

Hæc cùm *Tackenius* alcalium nomine proponat, rigorosè satis à Zvelfero traducitur, atque hoc ex tali fundamento *pag. 81. Apolog.* deducit; quòd salia alcalia præsupponant corporis sui pristini combustionem in cineres, è quibus demum sal fixum extrahendum sit. Nec non *pag. 83.* salibus animalium volatilibus nomen & etymon alcali competere minimè posse, regerit, etiamsi quoad salsedinem purè salsam salibus lixivialibus ex parte sint æqualia, acida omnia immutando, non tamen totaliter destruendo, secus ac cum salibus alcalibus fixis fiat. Verùm tanti non est hæc controversia, lusu tantùm in terminis existente.

Alcali quidem adpellationem, si primam ejus originem consideremus, propriè non nisi sali ex *herbâ Kali* incineratâ elixiviato competere potest, quæ dein salibus reliquis lixiviosis, è cineribus vegetabilium, animaliumque eductis, ob horum cum illo similitudinem, quoque tribuitur. Attamen cùm alcalium horum proprium sit, ut salibus acidis contrarientur, quod imprimis ab effervescentiâ, quæ oboritur ex utrorumque commixtione, desumitur, salia autem illa volatilia urinosa idem facere deprehendantur, quòd scilicet cum acidis effervescant, non adeo inconcinnè nomen alcali ipsis imponitur.

Quin tam commodè salia alcalia volatilia dici queunt, quàm salia salsa volatilia.

Sal enim generale nomen est, & omni generi, alcalico fixo, urinoso volatili, acido, alcalico-acido &c. competit.

Unde non admodum convenienter de solis illis salibus, acidis directè contrariantibus, dicitur, quòd sint salia salsa, acida verò minimè salsa existant. Zvelferus etenim salia acida admittere quoque cogitur; quæ ita salia non salia, sive salia non salsa, insulsè satis dicenda forent.

Quòd si illud salsi nomen nihilominus alicui salium generi in specie sit adplicandum, multò aptiùs salibus, mediam inter acidum & alcali naturam obtinentibus, quæ ideo etiam à modernis nonnullis Chimicis salia media, neutra, anomala, enixa &c. à Zvelfero acido-salsa vocantur, imponeretur; quia *sal commune* tanquam salium summum consideratur, & à quo salia reliqua dicuntur salia; hoc verò acido-salsæ, ut Zvelferus loquitur, sive ex acido & alcali mistæ est naturæ. Ut adeo *Tackenius* his salibus neutris non tam ineptè salsum saporem adscripserit.

Quisque hîc suo nihilominus abundet sensu.

Quòd autem Zvelferus salibus animalium volatilibus ideo minimè competere alcali nomen, putat, quia, licet acida, tanquam contraria immutent, eadem tamen non totaliter destruant; cùm econtra salia lixivialia, sive

five alcalia fixa, *acida totaliter destruant, inq; aliud ens ambo degenerent, à quo arte revocabilia nunquam*, longè fallitur.

Posito enim, salia volatilia ab acidis tantùm quodammodo immutari, fixa autem alcalia ab iisdem totaliter destrui, hoc sanè nondum evincit, ista alcalia dici non posse, quia & dicta immutatio, & destructio contrarietatem involvunt, & in utrâque salia in aliud ens degenerant.

Si tamen tanta adesse debet similitudo, neque reliquis salibus è cineribus elixiviatis alcali nomen competeret, quia, uti supra monui, hoc unico è *herbâ Kali* combustâ educto sali propriè debetur; reliqua autem & ratione vegetabilium, è quibus parantur, & specificæ differentiæ, cùm in cinere salem, in sale tanquam in gremio cujuscunque entis aut vegetabilis semina, quin & plasticam virtutem latitare, Zvelferus *pag. 121. Apolog. contra Tacken.* statuat, differunt.

Quanquam etiam, venditatam illam destructionem esse de nihilo, *Tartari vitriolati spiritus* acidus comprobet, quem nimirum arte è dicto *Tartari magisterio* revocabilem esse, *pag. 521.* ostendi.

Benè autem hîc monet Zvelferus, salia volatilia urinosa, & acida, invicem mixta, non destrui, sed tantùm *immutari*, quia iterum separari possunt.

Quod si alibi pariter attendisset, duo ista salia se invicem non destruere, haud adstruisset; veluti *pag. 28. & 38. Append. animadvers.* id factum fuit.

Et *pag. 72.* in hac ipsâ salium præsenti tractatione, de salibus urinosis animalium confirmat, quòd ea *aversentur acida, illisq; contraria sint, destruendo cuncta fermenta acida, & spiritus corrosivos omnes, quos in aliud esse planè commutant, illis ipsis salibus reciprocè in salsedine destructis, ac in alienam naturam conversis.*

Sed nomen alcali si tantùm ex incineratis corporibus, elixiviatis salibus fixis, acidisque contrariis competit, nimis licentiosè illud ipsum sali enixo, sive acido-salso, ex parte etiam volatili, Zvelferus imposuit, dum *Mantiss. spagyr. part. 2. cap. 8.* sal ex *salis tartari* ℥iij, *salis ammoniaci* ℥iß, *spiritus salis* ℥vj, *spiritus vini* (qui tamen quoad spirituosam suam partem majori ex parte, si non totus, abstrahitur, ut ita non *phlegma saltem prodeat*) ℥iij. coagulatum binâ vice *sal alcali* adpellat.

Verùm ad specialem salium horum volatilium urinosorum tractationem revertor, quæ *utplurimum* ex animalibus desumi, Zvelferus scribit. Econtra *pag. 210. Pharmacop. Reg. nullum substantiale existens sal ex Vegetabilibus, uti ex animalibus indies accidit, arte elici posse*, adfirmat. Quod tamen & contra experientiam, & ipsum Zvelferum militat.

Unicum prodeat *Sal tartari volatile*, quod revera dari, hac nostrâ ætâte dubitare, ampliùs non licet; quo de imprimis elegantissimus tractatus Excell. *D. Ludovici de volatilitate salis tartari* videri potest.

Ut de illo modo, quem *Anno Secundo Ephemeridum medico-physicarum Germanicarum curiosar. Observat. 38.* insertum reperimus, nihil dicam; cùm vermiculos, in *fecibus vini* situ obsitis prognatos, illud fundere, ac ita ad salium volatilium animalium censum referendum esse, videri facilè posset.

Ipse quoque Zvelferus *Sal tartari volatile* conficiendi possibilitatem *pag. 247. Pharmacop. Reg.* magno verborum fastu proponit.

Tartarus autem non ad aliud rerum naturalium regnum commodiùs, quàm Vegetabile referri potest. Unde etiam à Zvelfero *Sal vini* adpellatur.

Ut nihil dicam de oleorum è vegetabilibus destillatorum in sal volatile possibili transmutatione, ab *Helmontio cap. 15. §. 7. de febb.* memoratâ, aliisve modis. Consul. *Clar. Joh. Georg. Wedelij Discursus de sale volatili plantarum* nuper editus, in quo illud ex herbis elicere docet, pleniori illius artificij delineatione in aliud tempus reservatâ.

Quamvis utplurimum ex animalibus salia volatilia hactenus desumta fuisse, cùm reliquorum notitia non æquè exstiterit, haud contradici queat.

Cavere autem sibi, vult Zvelferus, illum, qui è verè venenatis animalibus, vivis præsertim destillationi commissis, salia volatilia conficere satagit, ne sibi aliisque mortem inopinatè & inscius adsciscat, solo odore eorum percepto, cùm summè penetrabilia sint. Quo ipso *sal viperarum volatile* summè penetrans, vel odoretenus saltem nocere, & interimere posse, suspicari liceret; cùm ex verè venenato animali, i. e. *viperâ*, eliciatur. Imò *spiritus viperæ vivificus*, subtilissimum, penetrantissimum sal volatile continere venditatus, è recenter mactatis & vivis adhuc viperis destillatus, hac ratione non ampliùs possidere insignes illas virtutes, tam curiosè conservatas, videri posset.

Salis volatilis urinæ destillationem, quam etiam producit Zvelferus, suo n precio relinquo; quod ex *urinâ* separare, jam dudum Chimici sciverunt.

De sale volatili urinoso, è *sale ammoniaco* per *tartari salem* separando, ea, quæ de spiritu ejus urinoso *pag. 469.* dicta fuerunt, huc quoque trahantur.

Sequuntur 2. salia volatilia acido-salsa Zvelferi, sive neutra, aut ex acido & alcali volatili mista; è quorum numero pauca esse, scribit, excepto *sale ammoniaco*, nisi arte talia efficiantur, quod à salium volatilium urinosorum cum *spiritibus acidis, vitrioli &c.* usque ad punctum saturationis conjunctione fieri, notum est,

Sed

Sed non leve hîc oboritur dubium, an salia ista, *ammoniacum sal* præsentantia, inter merè volatilia reponi possint? E volatili urinoso quidem consistunt, adjunctum tamen acidum, v. g. *spiritus vitrioli &c.* majori ex parte fixum esse creditur; unde etiam inferiùs *Tartarum vitriolatum* fixis Zvelferus adnumerat, cùm tamen & ipse *spiritum vitrioli* pro sui compositione requirat.

Zvelferus quoque *salis viperini volatilis fixationem pag. 277. animadvers.* tradens, eandem cum spiritu tali acido, videlicet *salis communis*, à fugâ coërcet.

Prout etiam revera illa *salia ammoniaca*, aëri exposita, non facilè, uti aliàs salia volatilia urinosa, nondum ab acido ligata, solent, in auras abeunt.

Licet verò calori violentiori tradita in sublime ferantur, volatilia tamen idcirco propriè non sunt; cùm acidum illud fixitatem, qualem prius habuit, retineat, atque per fortem flammam non nisi violenter ab urinoso sale in altum elevetur.

Aliàs etiam ipsum *Martis* corpus, & *sal commune*, inter salia fixa à Zvelfero relatum, volatilia essent corpora, cùm & eadem, uti in Floribus videre est, ab *ammoniaco sale* in sublime ferantur. Licet *Mars* iterum ab eo separatus fixitatem suam denuo exhibeat.

Impropriè autem salia hæc volatilia adpellare, per me integrum esto; quamvis hoc in loco cuncta propriè sumenda esse, materiæ tractatio requirere videatur.

Quòd salia hæc anomala *indeperditis viribus* totum corpus penetrent, & ad extremas corporis humani partes pertingant, non simpliciter admitti potest. Si enim per *indeperditas vires* intelligat eas, quæ ab urinosi volatilis & acidi conjunctione proveniunt, tunc dubium occurrit, annon vinculum illud in corpore dissolvi queat, antequam ad ultimas seu extremas corporis partes pertingant salia dicta.

Sin istas vires innuat, quas utrumque separatim, alcali scilicet volatile, & acidum possident, iterum non admittitur decisio, cùm nativas suas vires per factam conjunctionem deposuisse ea, ex ipso Zvelfero, imprimis *pag. 38. Append. animadvers.* probari queat.

Tandem noto, Zvelferum ex *sale ammoniaco* sal aliquod naturale effingere, è salium volatilium acido-salsorum numero *pauca* esse, tradens, *naturâ suâ, excepto sale Armeniaco, nisi arte talia efficiantur.* Quod tamen eorum salium classem, quæ ab arte producuntur, subire quoque cogitur.

3. Salia fixa purè salsa, sive lixivialia, & alcalia propriè sic dicta, fixa, se sistunt; quorum verum parandi modum in animadversionibus edocuisse

ſe, notat, admotâ cautione, ne cineres *ſulphure*, præſertim in magnâ quantitate admixto, calcinentur, aut cum *aquâ forti* cryſtalliſentur, quûm eo modo à naturâ alcali deſtruantur &c. Quod equidem, ſi alcalia pura expetantur, ita ſe habere, non repugno.

Sed paucum etiam adjecti *ſulphuris*, quod ſcilicet acidum quoque ſpiritum alcalibus impertitur, à Zvelfero fuiſſe pro alcalium confectione admiſſum, inferiùs dicetur; quo ipſo non pura ampliùs ſunt alcalia, ſed mixta, &, Zvelferi terminum ut adplicem, acido - ſalſa ſalia proſurgunt.

4. Denique ſalia acido - ſalſa fixa adducit, quæ in naturalia, & artificialia ſubdividit; illis *ſal commune*, *gemmæ*, *nitrum* etiam adnumerans.

De *nitro* ſolùm, quod medium inter volatile, & fixum eſſe, *parte 2. Mantiſſ. ſpagyr. cap. 11. pag. 403.* ſtatuit, moneo, quòd idcirco minùs convenienter ſalibus fixis adnumeretur.

Unde etiam præſtaſſet, ſalia non ſimpliciter in fixa, & volatilia diſtinxiſſe, ſed tertiam inſuper claſſem, nempe eorum, medio quæ ſe habent modo, addidiſſe. Qua ratione quoque *ſal ammoniacum* non ſalibus volatilibus, ſed medio huic ordini adſcribi poſtularet.

Artificialia vocat *Tartarum vitriolatum*, & quæ ex aliis alcalibus eâdem ratione fieri poſſunt ſalia; de quo *Tartaro vitriolato* prægreſſum ejusdem Examen conſulatur.

Hiſce adnumerat ſalia fixa propriis ſpiritibus acidis eſſentificanda, ex quolibet vegetabili paratu poſſibilia. Quem itaque in cenſum in præcedd. jam notatum *ſal eſſentiale vini*, ſive *Terra foliata tartari* venire pari jure debet.

Quanquam, uti loquitur *Rolfincius Chim. in art. form. redact. lib. 5. ſect. 1. art. 1. cap. 14.* non planè fixa ſit Terra hæc, nec planè volatilis.

Sed hæc fixa eſſentificata ſalia neutiquam ſalibus puris & legitimis adnumerari poſſunt, quia *ſal* præfatum *vini eſſentiale* per retortam vitream, in arenâ poſitam, valido igne oleum & liquorem ſubamarum, (quem *Arcanum tartari* vocitare, conſueverunt) inſtar *tartari*, monitore *Tackenio*, emittit. *Tartarus* autem, qui oleum, ſpiritum empyreumaticum &c. deſtillando præbet, ſuperiùs à Zvelfero inter ſalia illegitima primâ fronte relatus fuit.

Cæterùm in ſalium horum enumeratorum ordine nullum planè acidorum collocatur; quæ licet in liquidâ utplurimum formâ proſtent, difficulter in ſiccam vel cryſtallinam formam redigenda, ſalibus tamen adſcribi haud renuunt, cùm iſti ſpiritus, vel liquores acidi aliud non ſint, quàm ſalia in phlegmate ſoluta, ideoque *ſalium fluores* aptè ſatis *Williſio* audiunt; econtra ſalia ſpiritus ſicci dici queant. Quale exemplum Zvelferus in

Mantiſſ.

Mantiss. spagyr. pag. 322. subministrat, ubi *spiritus sicci urinæ* mentionem facit; quo non nisi *sal urinæ volatile* intelligere videtur. *Sal* etiam *volatile tartari* vocat liquorem, vel exiguum, vel planè nullum sal volatile continentem.

Quare pro diversâ intentione, aliæ, & meliores salium divisiones tradi possent; quorum omnium optima esse videtur, quæ fit in acida, alcalica & anomala; quæ iterum in volatilia, fixa, & mediæ consistentiæ dispescuntur.

Sed missis hisce, ad speciales Salium Augustanorum descriptiones accedo.

SALIA VEGETABILIUM PER INCINERATIONEM PRODUCTA *pag. 451.* primo loco se offerunt, circa quorum præparationem nihil, quod propriè contra Augustanos militat, adducit; uti de vegetabilium combustione, cinerum cum æquali vel duplâ *sulphuris* proportione calcinatione, salium cum *aquâ forti* crystallisatione, & quæ hujusmodi alia sunt. Quæ tamen breviter nihilominus percurrere, lubet.

1. Non conceditur, herbas, radices &c. ideo in aprico comburendas esse, quòd in ollâ, vel alio vase non cineres, etiamsi diu crementur, sed carbones tantùm, pro sale extrahendo inutiles, suppeditent. Siquidem, in ollâ vel vase clauso si combustio illa tentetur, hoc evenire, licet non contradicam, in apertâ tamen ollâ, vel vase, ubi forti illud igni committitur, negotium longè aliter succedit; ubi nempe cineres etiam albi satis impetrantur.

2. Si cineres cum æquali, vel duplâ *sulphuris* portione, ad hujus conflagrationem usque, calcinare, nullo modo probari potest, cùm acidus sulphuris spiritus, sali, in cineribus existenti, mistus, illud vitriolatum reddat, inque aliud esse peregrinum, mutatâ nativâ proprietate & indole, transmutet; nullâ ratione concessam à Zvelfero cinerum, minori licet cum *sulphuris* quantitate, calcinationem probare possum; quia ex parte vitriolatum, ut termino hoc Zvelferi utar, sal istud ita redditur, atque à nativâ suâ proprietate & indole aliquantum immutatur.

Scilicet *eo pacto*, veluti *Billichius* loquitur, *tantùm ferè decedit sinceritati, quantum concretioni accedit.*

Interea illam cinerum cum *sulphure* calcinationem, ubi simpliciter sal alcali simplex expetitur, neutiquam adprobo; nec, ubi non usque adeo ad hoc respicitur, penitus rejicio.

Quòd autem *spiritus sulphuris* tale cinerum alcali vitriolatum reddat, impropria satis est locutio.

Licet instar *Salis tartari vitriolati* taliter paratum sal concrescere, ejusque naturam imitari queat, vitriolatum tamen indè minimè redditur; cùm neque

neque *vitrioli spiritus*, (licet is cum *spiritu sulphuris* multùm conveniat) nec aliud quid vitriolatum ipsi accedat.

3. Si verò pauxillum *sulphuris* additum salia ista tantopere immutare nequit, quò minùs nativam suam indolem exserere queant, *aqua fortis* etiam additio non planè rejicienda esse videtur, dummodo modica ejusdem instillatio fiat.

4. *Aquam fortem* ideo conjungi, scribit, quò minùs in frigore liquescant salia &c. Sed alcalia non tam in aëre frigido, quàm potius humido liquescunt, vel solvuntur. Ille enim, ubi non simul esset humidus, salia tam facilè haud permitteret liquescere; cùm econtra, calido etiam, sed pluvioso existente aëre, promtè solvantur.

5. Salia ista elixiviata & exsiccata igni fusorio in crucibulo, quò puriora evadant, si impura sint, committi posse, non contradico. Quamvis, ubi cineres ritè calcinati, & debitam ad albedinem perducti fuerint, sal indè satis purum, unâ vel alterâ vice illud solvendo, tandemque crystallisando, eliciatur.

Cæterùm observandas in his præparationibus utiles ἐγχειρήσεις plures similibus intentus laboribus artifex sibimet notare facilè potest.

De SALE CORALIORUM *pag. eâdem* hoc tantùm notat, quòd illud se habeat ad modum solutionis eorum, cum aliquo corrosivo spiritu factæ. Hoc ita se habere certum est; nec aliud Augustani per illam *coraliorum* cum *sulphure* calcinationem hîc quærunt, quàm eorundem à *sulphuris* spiritu acido corrosionem, quò postmodum sal indè prognatum extrahi queat.

Quæ de violentis *coraliorum* calcinationibus superaddit, neque Augustanos tangunt, neque examinanda in me suscipio.

SAL PRUNELLÆ *pag. cit.* quod *Nitrum clarificatum* vocat, diversimode parari posse, animadvertit, vel per injectionem *sulphuris*, dum *nitrum* in crucibilo ignito fluit, vel per reiteratas solutiones, filtrationes, & crystallisationes. Quo nihil notatu dignum aliud adfert, quàm quod ab ipsis Augustanis jam traditum fuit.

Ipse verò, ut quid addidisse videatur, ultimam solutionem, pro diversitate adfectuum, quibus adaptari debet, in succis depuratis herbarum, vel decoctis earundem clarificatis, non incommodè fieri posse, monet. Verùm non nisi paucum est, quod taliter crystallisato *nitro* à succis vel decoctis accedit. Cui tamen modum hunc observare libet, illi per me integrum hoc esto; quamvis Medicus, *lapidem prunellæ* adhibiturus, facilè pro diversitate

adfe-

adfectuum, in quibus exhiberi debet, omni tempore varia ipsi in competente quantitate conjungere possit.

De SACCHARO SATURNI *pag. 452.* hoc saltem notat, quòd non solùm ex *plumbo communiter calcinato*, sed etiam ex eodem *laminato* saltem, & *granulato*, ac *minerâ* ejusdem, nec non *cerussâ*, *lithargyro*, ac *minio*, purius tamen ex uno, quàm ex alio, beneficio *aceti destillati*, vel alterius liquoris acidi, elici queat. Præ omnibus tamen ad negotium hocce eligendum esse ipsum *plumbum*, censet.

Non quidem præparationem *Sacchari Saturni* ex *plumbo crudo* rejicere, animus est, sed eandem omnibus reliquis præferre, nequeo; cùm commendata *plumbi calx*, per se, solâ calcinatione, facta, *plumbo crudo* puritate vix cedat, atque ita æquè purum *Saccharum* largiatur, in hoc fortè præstantior, quòd superinfusum *acetum destillatum* promtiùs illud corrodere, sicque eo imbui queat, particulis scilicet acidis cum *plumbi* minutis atomis se permiscentibus, & ita plures earum unâ vice corrodentibus; quod cum *plumbo laminato* non æquè succedit.

Si autem *Saccharum Saturni* è *crudo plumbo* paratum aliis ejus speciebus præferendum est, mirari dignus est Zvelferus, quòd ipse in *Pharmacopœiâ Regiâ Saccharum* hoc, è *minio* productum, in aliquibus compositionibus studiosè præscribat; prout *Unguentum hæmorrhoidale pag. 280*, & *Unguentum nihili ad oculos pag. 283.* illud testantur.

Mineram Saturni, quam hîc adducit, in *Mantiss. spagyr. part. 1. cap. 6. pag. 347.* pro extrahendo *Saccharo* planè rejicit. Quod etiam ipsi concedo.

Nos maneamus in terminis, & præscriptam *more figulorum* paratam *plumbi calcem*, facilè impetrandam, *Saccharumq;* elegantissimum præbentem, retineamus. Quid alij expetant, Augustanos non angit.

Hanc *Sacchari Saturni* præparationem ulterius reformaturus, *pag. 69. Append. animadvers.* triplicem de eo instituit quæstionem.

1. Utrùm *plumbum* (brevitatis enim gratiâ de reliquis metallis, aliisque huc non spectantibus discursum transilio) verè calcinari, & in cineres veros redigi possit, è quibus sal extrahendum? Concluditque, leni illâ præscriptâ calcinatione, figulorum more peractâ, *in pulverem & quasi cineres converti*, qui tamen pulvis violentiori igni traditus, in suam pristinam formam metallicam, scilicet *plumbum*, redeat. Ex quibus patere, scribit, pulverem hunc *plumbi* non esse veros cineres, sed metallum sive *plumbum* radicalis suæ humiditatis particulâ privatum. Quæ tamen contra Augustanos non decertant, qui *cinerem plumbi* pro conficiendo dicto *Saccharo* dum præscribunt, haud ignorarunt, non esse verum cinerem, sed, uti Zvelferus loquitur,

quitur, *quasi cinerem*; quatenus nimirum ignis ope calcinatur & quasi concrematur *plumbum*, pulvere exin grysei vel cinerei coloris emergente.

In Chimiâ tales adplicare terminos, nihil novi est; prout hujus exemplum *croci* vox sistit. Unde etiam apud Zvelferum *Crocus Solis, Martis &c.* legitur, non quòd metalla illa in illos *croci flores vegetabiles* abiisse, credantur, sed denominatione utplurimum ab externo illo accidente, colore rubicundo, croceo desumtâ.

Neque Augustani istam *plumbi* cinefactionem tradiderunt, ut indè sal aliquod elixiviari possit, sed potius ut in minutas particulas redactum *plumbum* ab *aceto* adfuso solvi, inque salis æmulantem formam redigi faciliùs queat.

2. Utrùm *Sacchari Saturni* sit vera extractio, an verò solutio? Ubi latè si sumatur vox illa, extractionem dici posse, verum tamen solutum metallum, & *plumbum* esse, determinat, quod levi operâ in pristinum metallum reduci queat. Qua in significatione, videlicet latâ, Augustanos quoque vocem: *extrahe*, sumere, regero; & ita animadversione Ipsi non indigent. Imprimis cùm adseclam habeant ipsum Zvelferum, qui extractionis vocem, metallorum etiam solutionibus adaptare, non fuit veritus.

Sic *pag. 343. Mantiss. spagyr.* de *Spiritu Veneris* agens, eundem quoque posse ex *crudo ære viridi* destillari, monet, ne quis *de laboribus & pretio, in extractione & crystallisatione æris viridis* conqueri possit; cùm tamen *æs viride* propriè non extrahatur ab *aceto destillato*, sed dissolvatur. Quare etiam *pag. 52. Append. animadvers.* dum Spiritus illius præparationem describit, non nisi solutionis terminum *viridi æris* adplicat.

Pag. 345. Mantiss. spagyr. talia profert: *Ex Stanno calcinato &c. extrahatur, ope aceti vini destillati acerrimi, dulcedo, saccharum, sal, sive vitriolum Stanni, uti appellare lubet.* Et mox subnectit: *Solutio filtretur.*

Pag. 347. loc. cit. de *Saccharo Saturni* sermonem instituens, *Quamvis verò*, ait, *etiam ex minera Saturni haud difficulter saccharum dictum extrahatur.*

3. Utrùm hoc *Saccharum*, vel *Vitriolum plumbi* edulcorari possit, repetitis solutionibus aquâ simplici, filtrationibus & coagulationibus, prout in Augustanorum processu præcipitur? Quod fieri posse, negat. Tam necessariam equidem esse edulcorationem hanc, si pro spiritus acidi separatione ea fiat, non contendo. Ast si fortè ejus aliquid, *plumbo* nondum saturatum, remaneat, haud plane inepta foret dicenda. Qua de materiâ, sic monente Zvelfero, ea, quæ de *solutionis coraliorum* edulcoratione prolata fuerunt, consulantur.

Sufficiat

Sufficiat hîc, si per reiteratas cum aquâ pluviali solutiones, filtrationes, & exsiccationes *Saccharum* hocce purius reddatur, ac ita labor non inutilis præcipiatur.

SALIS TARTARI, & SALIS VITRIOLI VOMITORII *pag. eàdem* præparationes artificiosi nihil continere, animadvertit. Licet magnum non contineant artificium; illi tamen, qui eas instituere antea nescivit, satis artificij offerunt. Quo modo plurimæ operationes pharmaceuticæ, & chimicæ, artificium aliquod continere creditæ, se habent.

Neque illud *Sal vitrioli vomitorium Salæ*, si ritè parari debeat, omni caret artificio, quod in justâ *vitrioli* ad colorem brunnum calcinatione consistit, quæ si deficiat, vel excedat, Sal incarnati coloris, qui expetitur, non exhibet.

Unde *Rolfincius Chim. in art. form. redact. lib. 5. sect. 1. art. 4. cap. 3.* calcinationis terminum curiosè observare, jubet; *Si deficias*, inquiens, *& vitriolum calcinatum colorem prædictum non adsequatur, nihil aliud extrahetur, quàm vitriolum ejusdem, vel parùm labascentis coloris & saporis. Sin excedas, ut omnibus spolietur spiritibus, neque sic optatus sequetur eventus.*

Ex quo vel solo etiam patet, quòd sal hoc non sit idem cum *vitriolo albo*, quod albi coloris existit.

Sal tartari potius è *tartaro*, per solutionem & crystallisationem depurato, quàm crudo esse parandum, nulla adhuc sontica causa à Zvelfero producta fuit. Quod enim de eo in *animadvers. Tartari vitriolati* protulit, nihil inferre, earum Examen demonstrat.

SPIRITUM VITRIOLI COAGULATUM, de quo *pag. cit.* agitur, diversis modis cum variis salibus parari posse, non est dubium. Aliqui etiam *spiritus vitrioli* coagulationem per se quærunt; quæ tamen voto rarò respondet. Spontaneæ concretionis *Billichius*, & *Tenzelius* meminêre.

Mihi istum saltem modum, cujus descriptionem Augustani cum *sale absinthij* tradunt, considerare, placet; quem Zvelferus improbat, quia *sal* illud *absinthij* spiritui huic acido contrarium, atque idcirco necesse sit, ut multum spiritus inutiliter perdatur, tantum scilicet, quantum fuerit salis coagulantis; tantum enim circiter in se recipere salia, scribit, antequam aciditas spirituum acidorum indestructa, vel immutata sese manifestare possit. Verùm istam spiritus partem, alcali saturantem, inutiliter deperdi, falsum est. Licet sapor ejus acidus ita occultetur, inutile tamen haud reddit coagulum, multò minùs in eodem destruitur, ceu ex superiùs vindicatâ *Tartari vitriolati* destillatione patescit.

De SALIBUS THERIACALIBUS, *Quercetani* imprimis, *pag.*

eàdem in *animadverſ. ſuper Append. Claſsis decimæ quartæ* ſe egiſſe, notat; quò itaque Lectorem amicum relegat. Aſt *Confectiones* illas *viperinas Quercetani* (licet in nonnullis reformari eas poſſe, haud diffitear) adeo inconcinnas, uti Zvelferus putat, non invenio.



FLORES.

DE FLORIBUS ANTIMONII *pag. 455.* notat, exactam ipſorum præparationem *Glauberum tract. 1. Furn. philoſoph.* tradere, ad cujus imitationem, licet furnum illum in promtu non habeamus, ſublimatio eorum diverſimode inſtitui poſſit. Quæ omnia intacta relinquo, quia hæc ab Auguſtanis traditam normam erroris non inſimulant.

FLORUM SALIS AMMONIACI *pag. eàdem* tot reiteratas ſublimationes rejicit, cùm majoris efficaciæ ſint poſt primam à *Marte* ſublimationem, quàm ſi quinquies vel ſexies, additione recentis *ſalis ſimplicis*, ſublimati eſſent. Non quidem negabo, reiteratam toties cum *ſale communi* ſublimationem reſtringi poſſe, ſed omnem planè rejicere nequeo.

Si majori *Martis* virtute Flores hos imprægnare libeat, *ferrum* alio aliquo modo præparatum, loco *ſquamarum ejus*, adhiberi huic ſublimationi poſſe, concedo; prout id uniuſcujusque intentio requirit.

Zvelferus *ſal ammoniacum*, cum *chalybe*, aquis corroſivis, *aceto*, aut ſimilibus nonnihil prius corroſo, vel cum *croco Martis aperiente* non nimiùm calcinato ſublimatum, dum *Salem* præbere, ſtatuit, *ad denominatos affectus efficacisſimum*, titubat; ſiquidem quibus in adfectibus ij uſurpandi ſint, neque Auguſtani, neque Zvelferus denominarunt.

FLORUM BENZOES *pag. cit.* ſublimatio præſcripta ritè ſe habet; alio tamen modo, etiam è *butyro benzoës*, per retortam deſtillato, confici eos poſſe, non eſt dubium.

FLORUM SULPHURIS *pag. eàdem* ſublimationem, ſine additione corporis cujusdam, quod liquefactionem *ſulphuris* impediat, haud commodè perfici, ſed non admodum prudenter eos procedere, animadvertit, qui idcirco *caput mortuum vitrioli* addunt; quia hoc modo difficulter, & pauci Flores adſcendant, eò quòd *ſulphur* aciditate ſuâ rodendo *terram vitrioli*, quam in priſtinum *vitriolum*, vel eſſe ferme reſtituat, ſe deſtruat. Unde

denuo

denuo ansam de *spiritus salis, nitri &c.* destillatione agendi arripit, studioseque observandum esse, monet, ne res illi commisceantur, in quas hi spiritus acidi agere, & necessariò se mutuò destruere debent; quam unicam esse causam, putat, in hunc usque diem necdum perpensam, quòd haud feliciter hæ, *salis* utplurimum, destillationes cedant. Sed quod incommodam *Florum sulphuris*, ob liquefactionem hujus mineralis, sublimationem attinet, eam ita se habere, concedo, imprimis ubi ignis justò nimis intenditur, qua ratione *sulphur* facilè liquescit, Florumque elevationem impedit.

Attamen corpus aliquod propterea ipsi addere, tam necessarium haud est; siquidem solum etiam *sulphur* in frusta conquassatum, sive grossè contusum, cucurbitæ, moderato arenæ calori &c. commissæ, per vices injectum (quod eò faciliùs observare licet, cùm alembici alternatim impositi sæpius, pro eximendis, qui jam adscenderunt, Floribus, removeantur) impedimentum istud præcavet.

Illorum procedendi modum, qui *caput mortuum vitrioli* in sublimatione *sulphuri* addunt, eatenus hîc non curo, cùm Augustani eundem non tradiderint.

De *spiritus salis, nitri*, cum argillâ &c. destillatione in superioribus jam tractavi, è quibus repetitæ hoc in loco à Zvelfero admonitionis vanitas unicuique satis patefiet.

Sulphuri, ceu suadet Zvelferus, *sal commune* in duplo pondere adjicere, proficuum usque adeo esse nequit; hac enim ratione non simplices *sulphuris Flores* impetrantur, quibus nimirum aliena à *sale* aciditas inhæret, in nonullis pectoris adfectibus, ubi Flores hi aliàs comendantur, non semper proficua.

Hoc verò notatu dignum, à paucissimis tamen animadversum, quod flores sulphuris salis usti seu fusi commistione, reddantur noxij & corrosivi quasi; uti *Zachar. Brendelius Chim. in art. form. redact. sect. 2. cap. 4.* scribit.

Adhærere autem aliquid, ipse Zvelferus *Mantiss. spagyr. part. 2. cap. 10. pag. 398.* fatetur, dum *sulphur* cum *sale decrepitato* sublimatum, hujus spiritibus in viribus suis magis intendi, adserit.

Ulteriùs frequenter reiteratas *Florum sulphuris* sublimationes non usque commendat. Mihi quidem easdem magnopere commendare, animus haud est; qui tamen puriores tenuioresque Flores desiderat, is debitè sublimationem eorum repetendo, faciliùs scopum suum adsequitur.

Tandem concludit: *Si mihi daretur optio, ego crudum Sulphur, imò vivum, si purum & candidum esset (prout etiam reperitur) præ Floribus aliquoties etiam sublimatis amplecterer, & tutò traherem in usum; utpote quod suo adhuc gaudeat Sale centrali nativo.*

Et *Mantiss. spagyr. l. c. Floribus sulphuris* ipsum *sulphur crudum & purum, &, si in promptu sit, & haberi possit, nativum, transparens, & purissimum* præfert, postquam in sublimatione, quanta quanta illa sit, *sulphur* sale suo, veluti nativo, maximâ ex parte privari, prodidit. Mihi verò, *crudum sulphur*, purum licet videatur, Floribus esse præferendum, simpliciter concludere, inconveniens videtur.

Illud quidem sale suo centrali nativo adhuc gaudere, objicit; quid tamen per illud intellectum velit, non explicat. Sal autem acidum, quod, accedente humido in spiritum resolvitur, dum *sulphur* deflagrat, si intelligat, utpote quod propriè sal ejus nativum est, longè fallitur; cùm hoc æquè in Floribus adhuc persistat, ex iisdem, uti è *sulphure crudo*, eliciendum.

Interea tamen *crudi sulphuris puri & transparentis* (*candidum* nunquam, sed ad albedinem nonnihil inclinans, vidi) usum medicum minimè impugno, quem Augustanis etiam notum esse, Eorum Dispensatorium monstrat.

Reperiri autem *sulphur* transparens, Officinæ non ignorant. Prout quoque *Dioscorides* inter *sulphuris vivi optimi* notas hanc recenset, quòd colore translucens esse debeat.

Talis *sulphuris* maximè transparentis in *Musæi Francisci Calceolarij descriptione* mentio fit *sect. 2*, quod è Peruanæ Provinciæ fodinis aureis erutum in dictum Musæum fuit transportatum, colore fulvo aurum purissimum æquans, ac vitri instar pellucidum.

Mittit nobis, scribit *Nicolaus Monardus simplic. medicam. histor. cap. 56. Quito provincia Peruana Sulphur vivum præstantissimum, ut vitrum translucidum, colore auri purissimi, cujus fragmentum pusillum lucernæ admotum, odorem maximum sulphuris ejaculatur, fumo viridi permistum; sed antequam incendatur, nullum Sulphuris odorem præbet. Eruitur istic è venis proximis aurifodinis.*

Simile etiam aurei coloris, transparens, elegantissimum *sulphur* Helvetia nobis subministrat.

De FLORIBUS SULPHURIS COMPOSITIS *pag. eâdem* aliud nil profert, quàm quòd Lectorem ad *Schröderum* remittat. Quod per me quoque licet.


Augustanorum tamen eos parandi modus, ipso Zvelfero arbitro, præ aliis nonnullis commendationem meretur; dum aliud non sunt, quàm *florum sulphuris unciæ tres*, cùm *aloës*, & *myrrhæ an. unciâ unâ & croci scrupulo uno* permistæ, atque sic pollinis subtilissimi formâ ad usum servatæ.

Nonnulli enim species has ipsi sublimationi committere non dubitarunt; contra quos Zvelferus *l. c. pag. 399.* decertat; dum à similibus non nisi fœtorem & coloris inelegantiam, nequicquam verò virtutis *sulphuri*, ejusque

ejusque *Floribus* accedere posse, statuit; cùm *crocus, aloë &c.* in sublimatione veluti comburantur, ac in sua principia, oleum fœtidum, atque spiritum talem aquosum resolvantur. Quare consultius esse, & magis probabile, autumat, ut talia simpliciter saltem *Floribus sulphuris* commisceantur.

Quod ipsum quoque, unà cum aliis, *Schröderus* in *Pharmacop. medic-chim. lib. 3. cap. 28.* circa *Flores sulphuris gummatos seu myrrhatos* monuit, feliciùs procedere eos, judicans, qui *Floribus sulphuris* jam factis species solummodo admiscent; cùm vix quidquam citra combustionem ex gummatibus unà cum *sulphure* adscendat.

Ubi quidem in confesso est, à fœtido empyreumatis odore dictos *Flores myrrhatos*, & qui alij cum largâ similium rerum additione sublimantur, tueri se vix posse. Idem tamen simpliciter de omnibus dici haud posse, *Rolfincius* autor est. Unde *l. c. lib. 5. sect. 4. cap. 6.* formulam præscribit, ita constitutam, ut empyreuma præcaveatur; quam *cap. 12. Dissertat. chim. 2. de Sulph.* repetit, atque hanc sublimationem ritè se habere, contra ejusdem Censores defendit.



CROCI, VITRUM, SUBLIMATI, PRÆCIPITATI, ALIIQUE PULVERES CHIMICE PRÆPARATI.

CROCI MARTIS tot tantosque in Tyrociniis chimicis exstare processus, laboriosissimos nonnunquam, animadvertit, ut tædium adferant Lectori. Sit ita; duo tamen, *pag. 456. & 457.* ab Augustanis producti illum parandi modi, adnumerari iis nequeunt.

Variè consimiles Crocos elaborari posse, non est dubium, adsignati tamen Augustanorum modi ab iis non tolluntur.

De *priori*, qui per solam *Martis* igne valido calcinationem conficitur, notat Zvelferus, quòd eum adfusâ aquâ edulcorare, vel abluere, ingentis sit stupiditatis, quia nullâ acrimoniâ, aut impuritate is scateat; sed ablutione illâ nihil efficiatur ampliùs, quàm quòd datâ operâ omnis vis adstrictoria eluatur. Crocum hunc adfusâ aquâ edulcorare, necessarium esse, equidem haud reputo. Attamen eandem ingentis accusare stupiditatis, minimè decuit. Mitiori, non tam, impotentis animi indice, calamo maligno, similia excuti-

excutienda ſunt; præcipuè cùm ablutio illa medicamentum hoc effœtum minimè reddat.

Quòd omnis vis adſtrictoria eluatur, falſum eſt. Cùm enim nihil ſit, quod à Croco hoc per aquam infuſam tollitur, neque acrimonia aliqua, neque aliud quid, & *Crocus Martis* ejusdem qualitatis, cujus antea erat, remaneat, quomodo vis ejus adſtringens eluitur? Namque hæc ſi ipſi terreſtri illi metallico corpori, in tenuiſſimum pollinem redacto, ineſt, hoc autem poſt ablutionem integrum adhuc invenitur, qua ratione omnis adſtrictoria vis ab eo ablata dici poteſt?

Sed de hoc dubio quædam in *Examine animadverſ. Emplaſtri magnetici Ang: Salæ*, & *Opoteldoch Mindereri* prolata fuerunt, hîc quoque adplicanda.

Idem de *Croco Martis altero* format judicium, quem *aperientem* vocat; quippe, ſi is edulcoretur, totam ipſius vim & efficaciam in ſale vitriolato dulci conſiſtentem, penitus auferri arbitratur. Quam objectionem, cùm Auguſtanis ea non debeatur, utpote qui prædictum Crocum edulcorare non præcipiunt, illis, ad quos ea ſpectat, perpendendam relinquo.

CROCUM METALLORUM *pag. 457.* commodè poſſe ſecundùm præſcriptum proceſſum parari, notat, ſibique uſitatum præparandi modum illum, à *Schrödero Pharmacop. lib. 3. cap. 17. num. 4.* deſcriptum, fuiſſe, ſubnectit; ita tamen ut in crucibulo aperto, non clauſo calcinationem paulatim ac per vices perfecerit. Verùm in crucibulo non ſimpliciter clauſo, ſed *relicto foramine* calcinationem hanc inſtituere aliquos, *d. l. Schröderus* memorat. Ubi æquè Crocus ille impetratur, ac ſi in latè aperto crucibulo operatio iſta peracta fuiſſet. Nihil aliàs refert, ſive unâ vice materia immiſſa fuerit, ſive per vices eadem imponatur; quanquam citiùs in uno, quàm in altero modo laborem ad finem perduci, certum ſit.

Aliàs Zvelferi hæc commendata detonatio, ſi in *Aluminis uſtionem* ſcriptæ animadverſioni *pag. 404.* aures præbeamus, non omnino probari poteſt; ibi enim, dictam uſtionem poſſe in alembico terreo vitreato fieri, notat, ut ſpiritus ejus, qui præſcripto modo perit, adſervetur, & ſic illos, qui *aluminis uſtionem* ſimpliciter in vaſe aperto perficiunt, Auguſtanosque reformat. In hac autem *antimonij*, *nitri*, & *tartari* detonatione, ut de *floribus antimonij* unà adſcendentibus nihil dicam, utiliſſimus ſpiritus in auras migrat, quem per retortam tubulatam capere potuiſſet, prout conſimiles deſtillationes, imprimis ſub Clyſſorum nomine, proſtant, & à *Schrödero* quoque *Aqua ſtimmi ſulphurea*, nec non *tartarea lib. & cap. cit.* habetur.

Id quod monitum tantùm volo, ut videatur, quàm benè Zvelferus alios reformans, ſe ipſum à conſimilibus imputatis erroribus vindicare (ſcilicet) queat.

Inſuper

Insuper usualis hic Zvelfero metallorum Crocus, ob rationem de Magisteriis præcipitatis contra Augustanos sæpius prolatam, à quibus nimirum ratione præparationis parùm differt, inutilis calx dici deberet; in detonatione enim *nitrum*, & *tartarus*, per combustionem, in alcali fixum reducuntur, cui *antimonij* pars soluta vel extracta inest, quæ postea aquæ interventu diluta, *aceto* inspersо, in fundum præcipitatur, *Sulphuris aurati antimonij* nomine communiter insignita; quæ præcipitatio non nisi à liquoris alcalici, & acidi contrarietate proficiscitur, à qua quid sperandum sit, superiores animadversiones *pag. 448. 450.* consulantur.

De VITRO ANTIMONII HYACINTHINO *pag. eàdem* animadvertit, exactam ejus præparationem *Schröderum* in *Pharmacopœiâ suâ* tradere, secundùm quem modum etiam se non semel *Vitrum rubini instar* elaborâsse; nonnulla tamen, circa præparationem à se observata, superaddit. De *Vitro antimonij*, ab Augustanis descripto, & à *Basilio*, qui illud in *Curru triumphali antimonij* delineat, mutuato, dici meritò potest, quòd præparatio ejusdem legitima sit, Vitrumque transparens coloris elegantissimi largiatur. Cui tamen varias non contemnendas ἐγχειρήσεις & observationes, quas longa cumprimis experientia, & attenta elaboratio suppeditant, adjungi posse, prout in aliis etiam operationibus chimicis, haud negatur.

ANTIMONII DIAPHORETICI *pag. cit.* præparationes insigniter discrepare, notat, quarum unum alterumque exemplum recenset. Verùm prout potior medicamentorum pars diversimode parari potest, eodem recidente effectu: sic etiam hujus *Antimonij diaphoretici* elaboratio se habet. Interea traditus ab Augustanis modus neutiquam ab aliis nonnihil discrepantibus tollitur.

Sed commendatum à Zvelfero modum parumper intueamur.

1. Mixturam ex *antimonio*, *nitro*, & *tartaro paulatim & per vices prunis ardentibus crucibulo injectis inspergendo*, detonare permittit. Ubi 1. per hanc detonationem, *spiritum nitri, & tartari* utilissimum, retortæ tabulatæ mixtura si imponatur, in vase recipiente adglutinato aliàs capiendum, in auras abire permittit; cùm tamen *spiritum aluminis*, ceu monui, in hujus *ustione* conservari posse, studiosè monuerit.

2. Prunis ardentibus crucibulo injectis mixturam illam inspergere, docet; quod sanè inconcinnum satis est; cùm potius crucibulo, prunis ardentibus imposito inspergenda, ac ita detonanda sit.

3. Materiam à calcinatione residuam edulcorare, jubet, & residuum exsiccatum pulverem iterum calcinatum usui reservat. Verùm edulcorationem hanc improbare quidem nolo, sed unà cum ablutis illis salibus non exigua

exigua *antimonij diaphoretici* utilis pars aufertur; quam, dum cuinam usui inservire debeat, non exprimit, vel planè abjicit, vel saltem suo *Antimonio diaphoretico* non conjungit.

3. Detonatum, & edulcoratum pulverem denuo igni committit, ut *majorem fixitatem & vim adstrictivam ipsi conciliet.* Verùm, ut jam non controvertam, an nova hæc *antimonij* jam *diaphoretici* redditi, & quidem per duas vel tres horas, igni commissio tanti momenti sit? quòd major ipsi vis adstrictiva hoc modo concilietur, non adeo benè dicitur. Siquidem in diaphoretico hoc medicamento vis adstrictiva non desideratur, sed contraria potius eidem, & resolutiva. Unde ad sudorem pellendum in diversis adfectibus adhibetur. Ad obstructiones, licet inveteratas, hepatis, lienis, mesenterij, aliarumque partium internarum &c. *Schröderus* commendat; atque in variis morbis illud reserare obstructiones, *Rolfincius* testatur.

4. Additionem *tartari* non inutilem censet, propterea quòd ejusdem sal non parum faciat ad exactiorem *antimonij* resolutionem, licet tantillum de cineribus *tartari* ipsi cohæreat. Cum *tartaro* quidem addito detonationem fieri posse, non diffiteor, neque, medicamentum inefficax indè prosurgere, statuo; sed eâdem carere facilè possumus; quia etiam cum solo *nitro* paratum non minùs efficax existit. Et hoc eò magis, cùm, uti ipse fateri cogitur Zvelferus, à *tartaro* cineres aliqui ipsi commisceantur. Sive enim eorum tantillum, sive plus fuerit, præstat, medicamentum habere purum, quàm inutili hujusmodi parti permistum. Interea larga satis quantitas ipsi ab *unciis novem*, vel etiam, si quatuor detonationes institutæ fuerint, *librâ unâ tartari*, & quidem *crudi*, i. e. non prius per solutionem & crystallisationem depurati (in processus enim delineatione simpliciter *tartarus albus* ponitur) accedere potest.

5. Partes crassiores in edulcoratione fundum citò petentes, relinquendas & abjiciendas esse, observat, solo reservato pulvisculo, aquæ leviter commotæ innatante. Crassiorem quidem partem separare, subtilioremque tantùm pro usu adservare, non prohibeo. Sed illam idcirco planè abjicere, haud esse consultum, arbitror; cùm ille pulvis non effœtus sit, sed subsecuturæ alteri alicui *Antimonij diaphoretici* præparationi reservari &c, & tunc cum novo crudo *antimonio* calcinari iterum &c. queat.

Quod de omni *Antimonio diaphoretico*, sive cum solo *nitro*, sive addito etiam *tartaro*, parato admonet, (id quod etiam *pag. 96. Pharmacop. Reg. & pag. 366. Mantiss. spag.* repetit) tractu scilicet temporis aëri id expositum, pravam & quasi malignam induere naturam, hincque varia prava symptomata procurare adsumtum, ad quod evitandum, singulis duobus, vel tribus mensibus

mensibus recenter illud conficere, aut vetustum cum, vel sine *nitri* particulâ denuo calcinare, consultum ducit, non usquequaque probatur. Illud enim tam citò pravam induere naturam, si debitè paratum fuerit, falsum est; imò ultra integrum annum persistere salvum, ejusdem usu erudimur.

Quanquam non immeritò dubitari queat, num *Antimonium diaphoreticum* malignam illam qualitatem, in eo nonnunquam observatam, tractu temporis ab aëre induerit. Quod dubium à *laudato aliquoties Dan. Ludovico Pharmaciæ modern. secul. adplic. pag. 324. & 325.* movet; ubi ritè paratum hunc *antimonij* pulverem nunquam non insontem, tutissimumque, etiam post quadriennium, se habuisse, testatur, aliasque causas, à quibus similia incommoda ab ejus usu suboriri queant, eruditè adsignat.

Filtrationem, in præscriptâ præparatione ab Augustanis præceptam, perperam institui, Zvelferus animadvertit; quia *verum Antimonium diaphoreticum* per chartam non transeat. Ast sinistrum hoc est judicium. Augustani probè norunt, quòd ipse pulvis *antimonij*, diaphoreticas quoque virtutes possidens, qui, post massæ calcinatæ non excessivâ aquæ quantitate perfusionem, separatur, per filtrum non transeat; cùm pulveres, à salibus, in quibus soluti fuerunt, iterum separati, tam subtiles haud sint, ut minimos chartæ bibulæ poros penetrare queant.

Interea nemo sibi persuadeat, dictum pulverem esse omnem *Antimonij diaphoretici* substantiam. Neutiquam. Etenim subtilior ejusdem pars in aquâ illâ decoctâ cum salibus unita remanet; unde etiam per filtrum facili operâ transmittitur, liquore pellucido, ac si nullum corpus solidum in ipso contineretur, adparente. Non secus, ac in paulò antea indicato *Croco metallorum*, ubi, dum materia calcinata in aquâ coquitur, pars ejus aliqua unà cum salibus ibidem solvitur, alia autem separatur ac fundum facilè petit. Illi verò, filtrato etiam, ubi *acetum* inspergitur, *antimonij* soluta substantia, sive *sulphur auratum* sic dictum, se manifestans, copiosè fundum petit.

Pariter in dictâ, ab *Antimonio diaphoretico* separatâ, & filtratâ, aquâ se res habet, quæ ideo reposita tractu temporis pulverem aliquem albicantem, & tenuem, in fundum præcipitatum exhibet, qui tantùm abest, ut *veri Antimonij diaphoretici* epitheto defraudari queat, ut potius melior ejus pars existat. Unde etiam aliquibus *Anima Antimonij diaphoretici* vocari solet, & in minori dosi easdem virtutes, quas crassior ejus pars, in filtratione primò remanens, majori mole spondet. Qualem consimilem etiam in *Specifici antihectici Poterij* præparatione provenientem, *Animam* ejus adpellare, consueverunt.

Quod ex erroneo hoc supposito secundum efformat dubium, pariter

non admodum probatur. Scribit enim: *Nam verum Antimonium Diaphoreticum per chartam non transit, unde neque illud, quod per chartam transmittitur, & uti alia Magisteria præcipitari potest, pro vero Diaphoretico, sed pro calce duntaxat vires Antimonij Diaphoretici non adæquante (quæ utplurimùm à contrarietate præcipitantis Salis aut liquoris ortum duxit) habendum esse censeo.* Quanquam ex hactenus dictis, cumprimis *Magisteriorum Examine*, sententiam hanc facilè quilibet ipse enervare queat; placet tamen, breviter monere, calcem illam, ab *aceto destillato* præcipitatam, non esse effœtam & inutilem; est enim ipsa *antimonij* in salibus prius soluti substantia. Quare postquam salia illa, tractu temporis, & largâ quantitate aquæ adfusâ, ab omni *antimonio* libera evaserunt, nulla *aceti destillati* immissio similem pulverem ampliùs præcipitare valet, liquore æquè limpido persistente; quod non fieret, si prænominata calx à contrarietate præcipitantis salis aut liquoris ortum duceret.

ANTIMONIUM PRÆPARATUM AD PULVEREM COMITIS WARWICHII *pag. eàdem* à præcedente *Antimonio diaphoretico* non discrepare, animadvertit; cui itaque eædem animadversiones competant. Quod equidem magnopere non impugno. Unde etiam à nonnullis *Antimonium diaphoreticum* dicto Pulveri adjungi, deprehendo.

Nitri quantitatem diminui posse, pariter concedo; licet illud totum cum *antimonio* ita præparato remanere haud teneatur, sed pars ejus aliqua post ultimò peractam calcinationem conjuncta manere debeat.

De MERCURIO COSMETICO, VEL PRÆCIPITATO ALBO *pag. 458.* notat, quòd is in perpoliendâ cute, more aliorum consimilium pulverum albicantium, qui fucatâ quadam albedine cutem imbuunt, præstare quid possit; sed veretur, si frequenter adhibeatur, ne poris se insinuet, ac tractu temporis dentibus, aliisve partibus non leve damnum inferat. Idcirco usum ejus inter cosmetica non probat; & longè præstantiora, quibus innocenter uti queamus, prostare cosmetica, concludit. Quæ omnia adcuratiùs excutere, tantò minùs animus est; cùm propriè contra Augustanorum præsentis medicamenti præparationem non decertent.

Observare saltem lubet, Augustanos suam *Mantissam Hermeticam* non tam ad simplicem externum ornatum, quàm potius maximum illud vitæ nostræ bonum, sanitatem, direxisse. Unde quoque *præcipitatum* hunc *Mercurium cosmeticum* dum adpellant, non tam Ipsi nomen hoc ei tribuunt, quàm ab aliis ita vocatum producunt; neque ut fuco inserviat, sed ad medendum corporis infirmitatibus prostet. Quamvis in eo observent id, quod in *Præmonitione Mantissæ hujus* notarunt, scribentes; *Usus paucissimos, cosq;*

non

non in omnibus compositionibus adnotavimus &c. quia imperitioribus ansam nocendi propinare nolumus. Trahi huc potest illa *Solis calx*, quam *Aurum fulminans, seu sclopeticum* Zvelferus vocat, quæ licet, calorem sentiens, ingentem instar sclopi explosi sonitum edat, & ita nonnullorum joco inserviat, à Zvelfero tamen quòd propter vim illam fulminantem paretur, haud est credibile.

Namque *Præcipitato huic* non tantùm cosmetica debetur facultas, sed etiam cathartica; quam ei virtutem, cum aliis, *Joh. Beguinus Tyrocin. chim. lib. 2. cap. 13.* è quo fortè Augustani descriptionem ejus desumsêre, maximè in morbis venereis, adsignat.

Et ipse Zvelferus *part. 1. Mantiss. spagyr. cap. 7. pag. 354.* eundem, pro usu medico adservandum, eo, quo ab Augustanis describitur, modo parare, edocet; solvendo nimirum *Mercurium* in *aquâ forti*, & cum aquâ salsâ eundem præcipitando.

Cosmeticum tamen esse *Mercurium* hunc, non inficior; quamvis utique tutiora longè & præstantiora eodem prostent. Num autem, cutem penetrando, insigne aliquod damnum corpori inferre valeat? è Zvelferi hypothesi dubitari posset; cùm & hic *Præcipitatus* ob convenientiam, quam cum superiùs examinatis Magisteriis habet, calx effœta & mortua videri queat, à contrarietate liquoris solventis & præcipitantis orta. Quod tamen aliàs non urgeo; & misso hoc, me confero ad

MERCURIUM SUBLIMATUM *pag. cit.* quem rectè quidem cum *sale*, & *vitriolo calcinato* sublimari, largitur, sed necessum esse, judicat; ut *vitriolum*, quod ipsi additur, ita calcinetur, ne suo corrosivo aut spiritu acido privetur. Quam admonitionem observari posse, concedo. Quamvis eadem, in hac Augustanorum descriptione, attento & versato Artifici tantopere scribi minimè postulet; utpote qui ipse non difficulter colligere potest, qualis hîc calcinatio requiratur. Ubi enim corporis non corrosivi, aut spiritus acidi expertis usum commendant Augustani, *Terram vitrioli lotam, Colcothar indulcatum* præscribere solent; & præparationem, ustionem, vel calcinationem *chalcitidis*, cui, in ejus defectu, *vitriolum martiale* substituere, consuevêre, in *Theriacæ* elaboratione, usque ad cinerij coloris adparentiam fieri debere, non obscurè colligitur. Unde etiam *vitrioli* præparationem, sive calcinationem eodem modo instituendam esse, prudentem Artificem haud latebit. Rudioribus tamen singula exactissimè & minutissimè indicare, utique necesse est.

Pag. 159. Apolog. contra Tacken. ideo *vitrioli* perfectè, ad totalem spirituum expulsionem *calcinati*, i. e. *colcotharis* additionem rejicit, quòd lique-

 factio-

factionem & coagulationem *salis* unà adjecti quidem impediat, citius tamen ipsos *salis* spiritus absorbeat, antequam *Mercurium* attingant, & sic pro majori parte *Mercurius* adscenderet *vivus* semper in sublimatione. Verùm pars illa spirituum *salis* à *colcothare* absorpta, non in eo ita figeretur, ut non cum *Mercurio*, & reliquis acidis *salis* particulis iterum elevari posset. Aliàs spiritus quoque acidi *vitrioli*, ad cinereum vel flavum colorem calcinati, in sublimatione non adscenderent, seseque *hydrargyro* unirent, ac ita *vitriolum* hocce inutiliter ferè pro hac operatione absumeretur. Ipse Zvelferus *Mantiss. spagyr. pag. 351.* pro alterâ *Sublimati corrosivi* confectione, *colcotharis* seu *capitis mortui vitrioli parum* (quod *parum* quantum propriè esse debeat, non determinat, in reliquorum pondere ponendo aliàs sollicitus) addere, permittit; quod parum spirituum acidorum quoque partem aliquam à *sale* absorbet.

Postea *vitrioli*, & *salis* præscriptam quantitatem non sufficere, putat, præsertim si corrosivus (uti ex sequente *dulci sublimato* colligit) reddi debeat *Mercurius*; necessum igitur ducit, ut non solùm pondus eorum dupletur, sed & sublimatio *Mercurij*, additis semper recentibus speciebus, bis terve reiteretur, donec in crystallinam compagem elevetur. Majorem equidem dictorum corporum, *salis* scilicet, & *vitrioli calcinati*, quantitatem commisceri posse, ut magis corrosivus evadat *Mercurius sublimatus*, non impugno; interea tamen cum præscriptâ dosi *Sublimatum* eundem non esse corrosivum, insipidè adstruitur. Quorsum enim abierunt salia ista corrosiva *salis communis*, & *vitrioli*, cùm in relicto capite mortuo non inveniantur? Certè cum *Mercurio*, salinam præ se ferente faciem, conjuncta sunt, unde non nisi corrosivam hic induisse naturam dici potest.

Accedit, quòd *Mercurium vivum* cum *sale*, & *vitriolo*, addito pauxillo *aquæ fortis*, (aut etiam *aceti*) subigere, Augustani jubeant; id quod pariter cum *Mercurio* dein sublimatur, eumque corrosivum magis reddit.

Neque tamen noxius hoc modo *Sublimatus* ille, ob *spiritus nitri* in *aquâ forti* præsentiam, redditur, prout Zvelferus *Tackenij Mercurium sublimatum*, cum *nitro* confectum, *pag. 157. Apolog.* maximè corrosivum vocat, ad medicamenta & usum medicum summè noxium; atque *pag. 158. spiritus vitrioli*, *salis*, & *nitri*, per se destillatos, salutares, mixtos verò efficere *aquam fortem*, causticam, insalubrem ac deleteriam, objicit. Præterquam enim quòd *Sublimatus* hîc rariùs, ab Augustanis nunquam, pro usu interno adhibeatur, nisi prius aliam subierit præparationem, prout in *dulcificato Mercurio* vis ejus corrosiva non ampliùs adparet; *Aqua fortis* etiam tam insalubris & deleteria non est, ut omnem usum medicum; internum etiam,

respuat:

respuat. Horridum quidem nomen gerit, dum *aqua stygia* audit; in se autem satis salutaris; malignam quippe & deleteriam vim in *spiritu vitrioli &c.* & *spiritu nitri* prius non conspicuam, ab eorum demum commistione pronasci, haud est credibile.

Neque nocivus est *Mercurius dulcis*, è *Sublimato vulgò prostante*, & cum *nitri* quoque accessu parato, (dummodo is rebus aliis inconvenientibus, *arsenico* imprimis, adulteratus non fuerit, ad quod tamen periculum evitandum, sinceritatem ipsius, guttulæ *salis tartari p. d. soluti* adspersione explorare, mos est; quod ejus examen *Christian. Langius Miscellan. curios. medic. cap. 25.* tradit) prout multiplex id experientia nos edocet.

Ipse Zvelferus similem aquam corrosivam usurpare non destitit. Veluti *Mantiss. spagyr. pag. 367. Oleum corrosivum, sive Butyrum antimonij* describens, illud *Mercurio sublimato corrosivo* addito conficit, quem vulgari illo modo, videlicet cum *nitro*, sublimatum hîc adhiberi, *pag. seq.* testatur, ubi talia proferuntur: *Corrigitur præterea, & malignis suis qualitatibus privatur, à sale Nitri &c.* Loquitur autem hîc de *Mercurio vitæ*, ex *Butyro antimonij* præcipitato. Quo ipso *nitrum* ad *Sublimati* dicti elaborationem fuisse adhibitum, necessariò sequitur. Et tamen separata denuo ab eo salia, quæ in phlegmate soluta communiter *Spiritus vitrioli philosophici* nomine donantur, neutiquam sunt noxiæ, insalubris, malignæ, & deleteriæ qualitatis, si ab *antimonij* adhærentibus particulis &c. probè liberata in corpus adsumantur, sed egregias in variis morbis, teste ipso Zvelfero, virtutes obtinent.

Et *pag. 352. Mant. cit.* ut dictus corrosivus, multùm noxius *Mercurius sublimatus vulgi* salutaris existere possit, necessum esse, determinat, corrosivos ac malignos ejus spiritus, in sublimatione adquisitos, prius contemperare, & vel penitus annihilare, ac in aliud ens veluti convertere, aut penitus ab eo segregare. Quod ut debitè fiat, juxta modum, paulò post pensitandum, *dulcem* esse reddendum, animadvertit.

Spectat quoque huc *Essentia Martis aperitiva*, quam *pag. 58. Append. animadvers.* è *limaturâ Martis*, cum *spiritu nitri optimo*, & *vitrioli rectificato* solutâ, ac *phlegmate vitrioli &c.* dilutâ, paratam, in obstructionibus hepatis, lienis, venarum mesaraicarum, menstruorum muliebrium efficacissimam adpellat; quæ dein ulterius *Essentiæ Martis coralinæ*, valde ab ipso laudatæ, quoque adaptatur.

Quòd si unica illa sublimatio *Mercurium* corrosivâ qualitate non imbueret, multò faciliùs, aucto adjunctorum pondere, trinæ vel quadrinæ sublimationis loco, unica nihilominus fieri posset; sic enim, semel acidis spiritibus imprægnato *Mercurio*, laborem reiterare opus non foret.

Sed

Sed nigredinem aliquam in binâ, vel trinâ priori ſublimatione deponere *hydrargyrum*, quæ neceſſariò ſit ſeparanda, ut tandem in puram & cryſtallinam vertatur compagem, Zvelferus objicit. Aſt nigredo illa tantopere non conſpicitur, ſi *Mercurius* probè purificatus (requirunt autem Auguſtani *Mercurium purificatum*) huic negotio adcommodetur; quæ purificatio modo conſueto, *aceto*, *ſale*, & expreſſione per corium abſolvitur. Atque tali ratione *purificatum Mercurium*, ac *per ſe præcipitatum*, prout ejus deſcriptio *Mantiſſ. ſpagyr. pag. 352.* & *353.* exſtat, præſtantiſſimum præbere medicamentum, Zvelferus teſtatur. Si itaque nigredo illa per vulgarem iſtam purificationem non tollitur, eandem demum in ſublimatione primâ, ſecundâ, vel tertiâ etiam auferre, tam neceſſarium haud eſt; ſi non auferatur, aut innocua erit, aut ſiniſtram & nocivam in *Præcipitato* iſto præparationem commendari, regero.

Non probari tamen poteſt Zvelferi ſententia, quam *pag. 160. Apolog. contra Tacken.* habet, *Mercurius*, inquiens, *ſublimatus Reformatoris ab acidis ſpiritibus, in primâ ſublimatione, non corroſivus redditur; ut neque in ſecunda. Quare? Quia Reformator hoc non deſiderat: verùm vult per has binas ſublimationes antecedentes Mercurium purificare, & à ſuâ nigredine & heterogeneitate liberare, ut tandem in tertia ſublimatione ad perfectam reducatur puritatem & ſolidam compagem cryſtallinam.* De purificatione modò egi. Reliquum inconcinnè ſatis profertur; ſcilicet *Mercurium*, cum ſalium corroſivorum non parcâ quantitate ſublimatum, neque in primâ, neque ſecundâ ſublimatione, reddi corroſivum. Ubinam ſalia quærenda ſunt? Non in relicto capite mortuo, quod calore ignis urgente, cum *Mercurio* avolare ea, permiſit; nec in auras evanuiſſe dici poſſunt. Non igitur niſi cum *Mercurio*, quem ideo in compactam, ſolidamque ſubſtantiam mutarunt, cohærentes eſſe poſſunt; in quo tamen naturam ſuam corroſivam hac ratione non deponunt, ſed utique conſervant.

Egregiè autem Zvelferus adſerti ſui rationem tradit; dum ideo corroſivum in binâ ſublimatione eum non reddi, venditat, quia ipſe hoc non deſiderat; quaſi natura illorum corporum tam ſimplici operantis voluntati auſcultaret, nec prius corroſiva evaderet, antequam inſipida imperantis vox, ut corroſiva fiat, ipſi imponeret.

Cæterùm *Mercurij* ſublimationem commodè igne aperto peragi, ſi largiamur, in arenâ tamen commodè & facilè ſatis eundem etiam ſublimari, certum eſt.

Alia, veluti quòd *Mercurius* ad latera ſaltem cucurbitæ elevetur, ipſa praxis ſuppeditat,

Qui

Qui citius & minori labore *Sublimatum corrosivum* conficere intendit, huic suadet *argentum vivum* in *aquâ forti*, vel *spiritu vitrioli, & salis* solvere, humiditatem abstrahere, & residuam massam fortiori igne, unâ, vel si non satis crystallinus fuerit, binâ vice sublimare. Quo equidem modo elegantem adquiri *Mercurium sublimatum*, conceditur; in quo tamen adquirendo, si bis instituatur sublimatio, tam notabile laboris compendium haud observatur, neque enim *aqua fortis*, vel *vitrioli*, & *salis spiritus* absque laboriosâ destillatione impetrantur.

Majus autem laboris compendium fieri potest, si à *Mercurio* saltem, in *aquâ forti*, *spiritu nitri &c.* soluto, humiditas non totaliter abstrahatur, sed post aliqualem tantùm ejus separationem, reliquum crystallisari permittatur; ubi elegantissimus *Mercurius corrosivus crystallinus* concrescit, sublimatione ampliùs tantopere non indigens.

Mercurij verò sublimationem ideo solùm repetere, ut magis crystallinus evadat, est, tempus inutiliter terere, laboremque vanum subire; neque enim, ubi in usum medicum venit, ita crystallinus, sed vel solutus, vel pulverisatus, aliove modo in crystallinâ formâ immutatus adhibetur.

MERCURIUS SUBLIMATUS DULCIS *pag. eâdem* ex præcedente *corrosivo*, addito *Mercurio vivo*, conficitur; in cujus elaboratione exactam *hydrargyri* quantitatem determinari non posse, animadvertit Zvelferus; quia quò magis corrosivus est *Mercurius sublimatus*, eò plus requirat de *argento vivo* pro suâ edulcoratione, & vice versâ. Mihi quidem omnium *Mercurij sublimati* specierum curam agere, hîc non arridet; quod tamen Augustanorum modum spectat, in illo *Mercurij vivi* additio non adeo culpari meretur. Sufficiens siquidem *hydrargyri* pondus ipsi adsignatum fuit, pro corrosivâ ejus facultate obtundendâ; cùm ille Augustanorum *Sublimatus* non admodum corrosivus existat. Si verò nimium esset *argenti vivi*, ita ut cum corrosivo uniri non posset, in sublimatione sponte superfluum separaretur.

Idem etiam in arenâ saltem posito vase, spatio quatuor, quinque, vel sex horarum crystallinus elevatur.

MERCURIUM PRÆCIPITATUM RUBEUM, TURBETHUM MINERALE FLAVUM, & RUBRUM MYNSICHTI *pag. cit.* juxta modos præscriptos parari posse, concedit.

Plures consimiles processus, uti & aliorum medicamentorum, à Tyrociniis chimicis peti, atque ab exercitato & perito Artifice excogitari possunt.

In GUMMI GAMANDRÆ VITRIOLATUM MINDERERI *pag. eâd.* insurgit, optimumque Autorem, pro more suo, pessimè in-

mè invadit, dum illam præparationem potius in dedecus, quàm honorem Autoris huic Mantissæ pro corollario insertam esse, cavillatur; utpote qua Autor dictus summam suam inscitiam in cognitione rerum naturalium & artis destillatoriæ prodat. Sed præceps hoc judicium summum in Augustanos livorem Zvelferi saltem prodit, in proprium ipsius dedecus cessurum.

Falsissimum quippe est, *Mindererum* hîc *spiritus vitrioli* à *gummi gamandræ* abstractionem præcipere. Sic enim animadvertit Zvelferus: *Quis Spiritum Vitrioli à Gummi Gamandræ abstraxerit, Gummi dicto non combusto, ejusq; colore nativo luteo non abolito? Quippe Spiritus Vitrioli violentiorem ignem desiderat pro sui abstractione (non quidem in Alembico, sed quod plus, in retorta vitrea humili perficiendâ;) quàm Gummi Gamandræ pro totali sua combustione & destructione.*

Ipsa verò, quæ in *Mantissâ Hermeticâ* adducuntur, verba ita se habent: ℞. *Gummi Gamandræ quantum volueris. Dissolve cum sufficiente quantitate Spiritus Vitrioli in vase vitreato, postea per Alembicum humiditas omnis evocetur, & Gummi residens in vase exsiccetur, cavendo ne nigrescat, sed colorem suum nativum reservet luteum.*

In his verbis non *spiritus vitrioli*, sed *humiditatis* superfluæ à dicto gum̃i abstractio præcipitur, quæ utique, si lentè & debitè peragatur, gummi minimè combustum, aut colore nativo luteo orbatum exhibet. Diversa enim sunt: *spiritus vitrioli*, & *humiditatis* abstractionem præscribere.

Prout Zvelferus *Mantiss. spagyr. pag. 324.* in *Essentiâ auri* vult, ut ab *auro* in *spiritu salis* soluto, & *urinæ spiritu* præcipitato, *in alembico vitreo, destillando abstrahatur tota humiditas, quæ insipida erit*; residuum autem salinam vocat substantiam. *Pag. 351.* pro conficiendo *Mercurio sublimato corrosivo primo, argentum vivum* in *aquâ forti* solvit, atque ut, factâ solutione, *in alembico tota humiditas abstrahatur*, ad siccitatem *Mercurij*, jubet. *Pag. 392. spiritum vitrioli* coagulare docens, post *salis vitrioli* cum *spiritus vitrioli part. æqual.* mistionem, *totam humiditatem destillando ex cineribus*, ad siccitatem salis *abstrahere*, præcipit. Referri quoque huc potest, quod *pag. 73. Apolog. contra Tacken.* de *salis essentialis è vino* præparatione notat, scribens: *Abstrahatur acetum destillatum à sale tartari (ex cremore, vel purissimo Tartaro calcinato, facto) toties semper recenti aceto destillato affuso, quousque acetum eâ aciditate transeat, prout affusum est.* Si itaque in illâ *Mindereri gummi gamandræ vitriolati* descriptione, *humiditatem evocare*, idem esset, ac *spiritum vitrioli evocare*; pariter in citatis Zvelferi medicamentis, *humiditatem abstrahere*, idem foret, *ac spiritum salis & urinæ, aquam fortem, spiritum vitrioli*,

vitrioli, acetum destillatum abstrahere; atque ita in *Mercurio sublimato aqua fortis* gratis adderetur; *spiritus vitrioli coagulatus* esset *sal vitrioli*, nihil à *spiritu vitrioli* prius infuso in se continens; *sal tartari aceto destillato* non esset saturatum, nec ita *sal vini essentiale* prosurgeret.

Alterum quod de edulcoratione profert, examini subjicere, omitto; cùm illam, sive abluendo, sive abstrahendo fieri debeat, ridiculam simpliciter tantùm adpellet, causâ silentio involutâ.

Tandem explosâ hac præparatione, *Gummi de peru rosato Mynsichti*, juxta animadversiones suas parato, ut contenti simus, suadet. Verùm hujus, *Mynsichti* nimirum, Extracti usus alterum illud *Mindereri* medicamentum non tollit. Utrumque in Officinis publicis admitti potest.

Modum parandi CREMOREM ET CRYSTALLOS TARTARI *pag. 462.* planè insufficienter traditum esse, quod patere ex præparatione, quam subnectit, dexterioremque adpellat, animadvertit. Verùm ubi istum Augustanorum modum cum Zvelferiano confero, non nisi exiguam inter eos differentiam deprehendere possum, ita ut debitâ collatione factâ, ille Augustanorum neutiquam insufficiens existat, sed optimè admitti queat.

1. Augustani *tartarum album* esse sumendum, scribunt. Zvelferus *tartarum album integrum, vel si in majora frusta fuerit concretus, grosso modo confractum, neutiquam tamen contusum vel pulverisatum*, eligit. In quo contra Augustanos nihil adfert. Ipsos enim pariter *tartarum* non contusum vel pulverisatum præscribere, ex sequentibus colligere licet, dum post ejus ab impuritatibus ablutionem, *tartarum* in pulverem subtilem contundendum esse, innuunt, sic scribentes: ℞. *Tartari albi aquâ calidâ aliquoties ab impuritatibus abluti, & in pulverem subtilem contusi libras duas.*

Majora autem *tartari* frusta grosso modo confringere, tam strictè opus non est; cùm & hæc æquè nitidè ablui queant.

2. *Tartarum aquâ calidâ* aliquoties *ab impuritatibus* abluere, Augustani jubent. Zvelferus autem, sæpius *aquâ frigidâ, non calidâ, quousque nulla spurcities ampliùs ab ipso elui queat, & aqua adfusa clara perstet*, abluendum eum esse, censet. Ab impuritatibus *tartarum*, uti Augustani volunt, abluere; & ablutionem cum Zvelfero tam diu continuare, quousque nulla ampliùs spurcities aquæ à *tartaro* communicetur, coincidunt.

Aquam verò calidam rejicere non simpliciter possum. Nam licet illa *tartarum* quodammodo dissolvat, tam potens tamen haud est, ut notabilem aliquam solutionem peragere queat, quia strictior crystallina *tartari* compages tam promtè aquam non admittit. Ea autem impuritates faciliùs

 tollit.

tollit. Quòd si tanti momenti foret, eadem aqua, purificata iterum, pro *tartari* coctione adhiberi postmodum posset, & sic exigua illa acidi *tartari* particula conservaretur.

3. Augustani *tartarum in pulverem subtilem contusum* coctioni submittunt. Zvelferus *hunc lotum tartarum*, i. e. *integrum*, *vel grosso modo*, *si majora fuerint frusta*, *confractum*, eidem destinat. Pulverisatus faciliùs & citius, uti alia salia, aquâ in coctione solvitur; integer verò, aut grosso modo confractus non item. Unde hac ratione Augustanorum modus quodammodo præ Zvelferiano prærogativam possidet.

4. *Ebulliendo* dissolvi debere *tartarum*, Augustani scribunt. Zvelferus *fortem coctionem* nominat. Sed idem est, fortiter rem coquere, & ebulliendo coctionem peragere.

5. Augustani coctionem *in aquæ fontanæ sufficiente quantitate*, *ad tartari dissolutionem usque*, *unicâ vice* peragunt. Zvelferus pariter adfusâ *aquæ simplicis sufficiente quantitate tartarum fortiter per horam unam coqui*, &, hac depletâ aquâ, si *tartarus* totaliter non solutus fuerit (quod rarò fieri, scribit, præsertim si multum fuerit *tartari*) readfusâ aquæ recentis s. q. laborem hunc tam diu *reiterari* debere, notat, quousque *tartarus* in universum solutus sit, nil nisi arenosis ac lapidosis fecibus relictis. Verùm unica Augustanorum coctio utique sufficiens est, si aquæ quantitas sufficiens adfundatur, præcipuè cùm *tartarus* pulverisatus, nec in magnâ nimis quantitate, scilicet *librarum duarum* saltem, sumatur. Sufficiens autem aquæ quantitas, vasis quoque debitam esse debere capacitatem, includit.

6. Cocturam *in vase figulino* instituunt Augustani. Zvelferus illud pariter admittit, ut tamen quid addat, *vesicam cupream stanno obductam* quoque adaptari huic negotio posse, indicat. Quod nullius insufficientiæ Augustanorum modum incusat. Sufficit, vas figulinum negotio huic inservire.

7. Augustani *simpliciter vas figulinum* nominant. Zvelferus *superiùs debere aliqualiter id clausum esse*, curiosè addit; quia in operto vase intensior, quàm in aperto calor sit, unde in illo *tartarus* citius dissolvatur. Quod ego non impugno; neque tamen magnopere hoc solutionem tartari accelerat. Nec dubito, si Augustani in vase aperto (posito, tale eos requirere) *tartari pulverisati libras duas* in sufficiente quantitate aquæ coquerent, non breviori tempore has dissolutum iri, quàm si tantundem *integri*, *vel in majora frusta confracti tartari* in vase aliqualiter clauso coqueretur.

8. *Tartarum* cocturâ solutum, *absque prægressâ aliâ purificatione*, *per manicam Hippocratis* Augustani colant. Zvelferus sub finem coctionis aliquot

aliquot *albumina ovorum*, cum aquâ ſimplici conquaſſata, adjicit, ut illa impuritatem ſegregent & in ſe recipiant, atque tum demum *per pannum lineum* colat. Sed hac cum albuminibus ovorum clarificatione *tartari*, aliis etiam ante Zvelferum notâ, (unde *Sennertus Inſtitut. medic. lib. 5. part. 3. ſect. 3. cap. 15.* de *tartari Cryſtallorum* præparatione agens, ſcribit: *Ut autem magis albeſcat, albumine ovi coctura prima à quibusdam clarificari ſolet*) carere facilè poſſumus. Namque licet pars aliqua heterogenearum rerum hac ratione tollatur, eas tamen ſeparare, nec tam neceſſarium eſt, cùm ſtipites, ligna, arenulas, lapillos ſegregâſſe, ſufficiat; nec magnam adferre poteſt utilitatem. Cùm etiam *tartarus crudus* ſolâ loturâ ab adhærentibus ſordibus mundatus egregiarum ſit virtutum; imò eundem Cremori, Cryſtallisque ejus *lib. 1. obſervat. medic. 1. Henricus ab Heer* præfert; cùm vis ejus alviduca in terreâ & ſalinâ parte maximè conſiſtat.

Accedit, quòd impuritates illæ vix damnum corpori inferre valeant. Aliàs enim, ſi noxam inferrent, utique *tartari Cryſtallos* ab iis integrè per reiteratas ſolutiones, & coctiones ſeparare deceret; quam frequentem tamen cocturam Zvelferus rejicit.

Quinimo iſta ovorum albumina monſtrato modo ſufficienter purificare *tartarum* haud valent; unde *tartarum* poſt cryſtalliſationem multis recrementis & fecibus eſſe permixtum, Zvelferus ipſe fatetur.

Si elegantiores hac ratione futuros Cryſtallos, quis regerat, ille non tantopere ad pulchritudinem medicamenti reſpiciendum eſſe, recordetur. Et poſito, quòd notabilem aliquam puritatem iſta purificatio tartaro conciliaret; ubi tamen Auguſtanorum Cryſtalli in pulverem ultimò conteruntur, albiſſimum non minùs colorem præ ſe ferunt, ac ſi albumina ovorum pro clarificatione unà fuiſſent adhibita. Cui tamen illa ἐγχείρησις tam inſigniter placet, illi eandem imitari non prohibeo.

9. *Fervens adhuc decoctum in aliud vas firmum eſſe colandum*, Auguſtani monent. Zvelferus verò poſt adjecta albumina colaturam per pannum linteum inſtituere, obiter ſaltem jubet. Quo intuitu duplicem utilem admonitionem Auguſtani adferunt, à Zvelfero neglectam, 1. nempe decoctum colari debere, dum adhuc fervet. Secus enim ſi fiat, pars aliqua ſoluti *tartari* facilè rurſus coagulatur; ceu hoc incommodum *Schröderus lib. 4. Pharmacop. med. chim. claſſ. 2. cap. 408.* notat. 2. in vas firmum eſſe colandum, ne ſcilicet, uti aliqui notant, vas à fervido decocto diffringatur.

10. Auguſtani colaturam per *manicam Hippocratis*; Zvelferus per *pannum lineum*, inſtituunt; ubi parva, vel nulla differentia occurrit.

11. Colatum decoctum Augustani *crystallisationi absque ulteriori coctura* committunt. Zvelferus autem *adhuc semel prius coquit.* Si aquæ sufficiens quantitas ad solutionem adhibita, ac coctio ritè celebrata fuerit, ulteriori cocturâ opus haud est; cùm & ibi largè satis Crystalli concrescant. Si tamen excessiva aquæ quantitas huc venerit, tunc laborem coctionis reiterari posse, non diffiteor.

12. *Decoctum in calore sensim refrigerari, & crystallisari debere, vase superiùs cooperto,* Zvelferus habet. Augustani *frigido loco,* pro crystallorum concretione, decoctum exponunt. Causa contrariæ sententiæ ex *pag. 453. animadvers.* elucescit, ubi adserit, *quòd Salium quorumcunque, Crystallorum Tartari, & quarundam aliarum rerum crystallisatio longè exactius in calore perficiatur, quàm in frigore: causa est, quod frigus impetu veluti liquorem cogat, ut inhærentem sibi Salem præcipitanter deponat, quæ præceps crystallisatio tam exactè fieri nequit, ac si lentè, successivè & cum mora aliqua in leni saltem calore aut tepore fiat; hinc etiam in tectis aut coopertis vasis majores pellucidioresq; crystalli crescunt, quàm in apertis.* Verùm hæc neutiquam demonstrant, insufficientem *Crystallos tartari* parandi modum ab Augustanis traditum fuisse. Concedamus, *Crystallos tartari* elegantiores hac ratione adquiri; tales tamen obtinere, neque Augustanis, neque Zvelfero quid confert, qui cuncti Crystallos concretos, ablutos, & exsiccatos in pulverem redigere, præcipiunt, ubi illa crystallina forma annihilatur, sicque, etiamsi maximi essent, elegantiorem pulverem haud suppeditarent, ac *tartarus* à frigore impetu veluti quodam coactus, & præcipitanter in minora granula depositus.

13. Crystallos in *frigido loco coagulatos, esse abluendos,* Augustani simpliciter indicant. Zvelferus eosdem *lateribus vasis undique adhærere,* partim quoque *in fundo jacere,* simul notat. Si in hoc exprobratam illam insufficientiam consistere, Zvelferus arbitratus fuit, longè se ipsum decipit. Etenim decantatâ post crystallisationem aquâ, Pharmacopœus ipse Crystallos reperiet; cui locum adhæsionis indicare, vana est curiositas.

14. Crystallos prædictos *aquâ fontanâ* aliquoties abluere, Augustani præcipiunt. Zvelferus huic operi *frigidam aquam* destinat. Verùm hîc inter se non differunt. Illi quamvis aquam frigidam clarè haud nominent, eandem tamen intelligere videntur; quia in principio præparationis hujus, pro meliori sordium externarum ablatione, aquam calidam loturæ destinant; unde quoque eandem ultimæ huic ablutioni si adhibere vellent, similiter calidæ epitheton adjuncturos eos fuisse, nullus dubito. Posito autem, Ipsos calidam hîc etiam deposcere aquam; nonnihil quidem sic à Crystallis solvi, largior;

largior; exiguum tamen id eſt, præcipuè ubi, quod fieri debere, ipſi Pharmacopœi antea norunt, ablutio celeri motu, & breviori tempore abſolvitur.

Sed dato, inſufficienter Auguſtanos modum hunc tradidiſſe; ab eâdem animadverſione nec Zvelferus, ſi tam ſtrictè notari cuncta poſtulent, immunis erit, qui aquam frigidam loturæ huic eſſe adhibendam, obiter notat, an ea fontana, pluvialis, deſtillata, vel quæcunque alia, eſſe debeat, haud determinans.

Atque hæc eſt illa differentia inter utrumque, Auguſtanorum ſcilicet inſufficientem injuſtè proclamatum, & Zvelferi, dexteriorem propriâ vanâ commendatione venditatum, *Cryſtallos tartari* præparandi modum; de quo nunc judicare, cuilibet faciilimum erit.

His conſideratis, *tartarum* frequenti ſolutione & coctione in viribus & virtutibus diminui, adeoque unicam ejus ſufficere, licet indè non evadat adeo candidus & cryſtallinus, &c. Zvelferum animadvertere, reperio. Quod ita eſſe, jam non controvertam; cùm Auguſtani ſimiliter unicam duntaxat ſolutionem & coctionem, utpote ſcopo ſuo ſatisfacientem, commendent. Quare iis, quos hæc petit animadverſio, eandem examinandam potius relinquo.

Tandem, ſi libuerit, *tartarum* hunc cryſtalliſatum peregrinis poſſe virtutibus imbui, docet, ſcilicet in decoctis rerum catharticarum, vel aperientium *tartarum* diſſolvendo, coquendo, denuoque cryſtalliſando. Accedere quidem ipſi hac ratione aliquid de dictarum rerum virtutibus, non eſt dubium, ſed tantum id ſemper non eſt, ut ſingulares indè vires *tartarus* contrahat; cùm major virtus iſtorum decoctorum, v.g. *gialappæ*, *hellebori nigri*, *radicum cichorij*, in aquâ, poſt cryſtalliſationem decantatâ, reſideat.

Et poſito, notabilem aliquam partem cum *tartaro* concreſcere, parvum tamen hinc quandoque emergeret commodum; v. g. *gialappæ*, exempli loco adductæ, potior vis in reſinâ conſiſtit, quæ cocturâ in aquâ non diſſolvitur; & ſic Cryſtallis illis quoque non accedit. Præterea quia hi pulveriſari iterum debent, commodiùs, pro variâ intentione Medici, varia ipſis, atque imprimis quovis, dum in uſum vocantur, tempore, adjungi, ac e. g *reſina gialappæ* exſiccata, & ſemine aliquo oleoſo ſubacta &c. admiſceri poteſt.

Ubi elegans ſubminiſtrat *Angelus Sala* exemplum, qui *ſect. 1. Tartarolog. cap. 8.* horum *Cryſtallorum uncias quatuor* cum *drachmis duabus Magiſterij chalybis vitriolati*, ſive *vitrioli chalybis per ſpiritum vitrioli parati*, in *duabus aquæ fumariæ unciis* ſolutis, incorporat, iterumque in pulverem redigit, addito pro aromatiſatione *cinnamomi oleo*. Quem modum, *Mantiſſa ſpag. pag. 412*, ſub titulo: *Tartarum chalybeatum*, inſertum, ab *Angelo Salâ*, paucis

nonnullis

nonnullis immutatis, mutuatum fuisse Zvelferum, ex factâ utriusque collatione credere quis posset.

De CORNU CERVI PHILOSOPHICE, SIVE ABSQUE USTIONE CALCINATO *pag. 463.* notat, quòd, licet cornua, & ossa qualiacunque calcinatione, quam philosophicam adpellant, quæque per vaporem aquæ ferventis cujuscunque peragitur, tantopere non destruantur, suisque nativis viribus perinde spolientur, atque aliàs in violentâ illâ calcinatione, quæ per totalem combustionem perficitur, nihilominus non parum ipsis & hoc modo de nativâ suâ humiditate, sale volatili, & oleo detrahatur. Ut propterea & hanc calcinationem philosophicam, licet totali exustione aliquanto meliorem, adprobare se non posse, concludat; econtra ipsum *crudum cervi cornu* subtiliter & minutim raspatum, diversimode parandum & in virtutibus exaltandum, pluris æstimat. Licet *cornu cervinum* sic dicto *philosophico modo calcinatum*, aliquam salis volatilis oleique jacturam subeat, dum nonnullæ ejus gelatinosæ partes ab aquâ extrahuntur, quæ aliàs in destillatione salis volatilis proventum largirentur; idcirco tamen eandem planè rejicere, minimè decet. Efficax enim satis hac ratione evadere medicamentum, quotidiana nos edocet experientia.

Magna omninò Virtus inest C. C. Philosophicè præparato plurimos ad Usus, adeò, ut omni ætati hodiè, ipsis etiam recens natis tutum ac jucundum prorsus in gravissimis morbis existat Medicamentum. Oceanus scribendorum se offerret, si omnes ejus Usus inpræsentiarum describere vellem. Sic *Exc. Jo. Andr. Graba sect. 3. cap. 8. Elagographiæ* illud commendat.

Non verò alium in finem excogitata fuisse videtur hæc præparatio, quàm ut cornu hocce durissimum, & ita pulverisationi maximè obnitens, tali ratione mollesceret, quò in tenuissimum pollinem postea leviori operâ redigi, sicque adsumtum faciliùs in corpore actiones suas exserere posset. Cùm econtra durum illud crudum cornu raspatum non ita promtè in corpore resolvi queat; quo de superiùs *pag. 429.* mentionem jam feci.

Licet, ut illius paginæ verba repetam, ubi subtiliter raspatum, vel limatum, optimeque lævigatum fuerit, qua ratione virtutes suas in corpore faciliùs emittit, rejicere illud, minimè sit animus; quin potius commendari id meretur.

Partes autem gelatinosæ, quæ in humidâ illâ calcinatione extrahuntur, ne perdantur, aliis usibus adcommodari queunt.

Cæterùm de *Pulvere cervino è typhis* concinnato, à Zvelfero tantopere commendato, paulò post quædam adducere, occasio dabitur.

Nunc, quod corollarij loco proponit, excutiamus, videlicet: *quale cornu*

Cervinum

Cervinum ad usum medicum maximè eligi & adhiberi debeat? Ubi notum esse, statuit, quòd *cervis* ordinariâ naturæ lege annuatim, & quidem utplurimum mense Februario *cornua* decidant, cùm ob nimiam eorum duritiem sanguis circa bregma subsistens putredinem veluti concipiat, è quo generati vermiculi radices cornuum rodendo, & quodammodo à bregmate separando pruritum excitent, unde *cervi* molestati, *cornua* arboribus adfricando, tandem decidere ea faciant. Qui tempore verno *recentes corneas excrescentias*, sive *typhas* adquirant; & hasce usui medico destinandas esse, censet, dum earum præparationem, usumque edocet. Materiam hanc de *cornuum cervinorum* depositione tractantem consulere licet *Exc. Phil. Jac. Sachsij Gammarologiam lib. 1. cap. 8. & 20.* Ubi tamen observatione dignum est, quod *Nobil. Schenckius Epist. 2. Gammarologiæ adnexâ* habet, scribens: *Sententiam Medici istius de vermiculis gluten depascentibus, unde cornua decidant cervo, non satis probatam deprehendo: nulli spectantur ad ista loca; hoc certò credas.*

Typhæ, sive *primò protuberantia cornua* licet ab usu medico, mitiori destillationi adaptari cornua talia ubi debent, rejici haud possunt, pro pulvere tamen conficiendo, quo de hîc agitur, tam commoda, uti cornua adulta, haud existunt. Etenim & ingratum quodammodo colorem, dum admodum tenella adhuc & sanguine turgida sunt, possident, & levioris ponderis intuitu dosin auctiorem reddunt. Quod in reliquis non ita accidit, quæ copiosissimè concretas gelatinosas partes, spiritum, sal volatile, & oleum fundentes, continent, atque ponderosa indè redduntur, colorem etiam gratiorem albicantem, ablato cumprimis exteriore cortice, præ se ferunt. Quare in minori mole majores virtutes continent.

Aliàs, si hoc non attendi meretur, quin *cornu cervi philosophicè calcinatum* æquè laudabile sit, non est dubium. Siquidem, præterquam quòd candore suo oculis blandiatur, multas adhuc partes gelatinosas complectitur. Unde si in majori pondere tale exhibeatur, easdem obtinebit virtutes, quas à *C. C crudo*, optimè lævigato, in minori dosi exhibito, sperare licet.

Ipsa Pulveris hujus, è *corneis cervorum recentibus crescentis excrescentiis*, præparatio, quam Zvelferus, quia ab ipso profertur, *veram* adpellat, animadversionem deposcit, quam *pag. 290.* ipsi jam dicatam Lector B. offendet.

Alia similibus Pulveribus admiscere, haud est difficile, quod Medicus quolibet tempore, diversitatem adfectuum, individuorum, aliarumque circumstantiarum unà considerans, præstare, ac è tali simplici compositum reddere medicamentum valet.

Sed coronidis loco, paucula quædam de Compositionibus bezoardicis &c. à Zvelfero productis, notare placet.

In

In *Bezoardico cervino alexipharmaco I. salis viperini vel theriacalis, juxta modum secundum, vel tertium in fine animadvers. super Append. de Salibus theriacalibus edoctum, libram dimidiam* ponit. Non hîc disquiram, quàm exiguum *viperinæ carnis* hac ratione singulam dosin Bezoardici hujus ingrediatur, & num singulares indè virtutes id mutuetur? sed tantùm noto, quòd *Sal juxta tertium modum paratum*, hanc præ se ferat inscriptionem: *Sal theriacale simplex, seu Sal commune virtutibus viperarum alexipharmacis & confortantibus imprægnatum, ad usum familiarem, pro cibis.* Si itaque hoc sal condiendis cibis, unde etiam cum largâ quantitate *salis marini, vel gemmei* paratur, inservire debet, non ita concinnè Pulveri huic bezoardico adjungitur, qui pro medicamento, non pro cibo, inservit.

Bezoardicum cervinum alexipharmacum II. ostendit *viperas recenter mactatas*, unà cum *hepatibus & cordibus earum, dum vitâ integrâ & motu adhuc gaudent, decocto scordij & rutæ immersas*, additoque *sale scordij, & rutæ*, donec mollescant, & quasi in gelatinam convertantur, coctas, atque hoc decoctum post colaturam cum forti expressione, adjuncto *pulvere* prædicto *è typhis cervinis*, in cucurbitâ vitreâ destillando ad omnimodam siccitatem abstractum. Ubi 1. superflua est curiositas, *viperas* unà cum *hepatibus & cordibus, dum vitâ integrâ*, (quanquam de hoc pariter dubium moveri posset) *& motu adhuc gaudent*, coctioni submittere; cùm creditus ille nobilis spiritus vivificus citissimè in violentâ cocturâ auras petat; sicque etiam *viperæ* vitâ & motu privatæ idem decoctum præberent. 2. *Scordij, & rutæ* vires subtiles alexipharmacæ in similibus coctionibus in aërem pelluntur, crassiore saltem parte relictâ. 3. Decocti colati & expressi cum *Pulvere cervino* destillatio displicet; quia vix aliud, quàm elementaris saltem humiditas indè abstrahitur. A *viperis* quippe nihil sperandum, cùm spiritus vivificus in auras jam migraverit; gelatinosæ autem earum residuæ partes destillationi huic non obediunt, sed integris virtutibus in residuo manent. A *rutâ, & scordio* pariter vix quidquam elevatur; quia spirituosam eorum partem in duplici prægressâ cocturâ jam avolâsse, certum est. *Salis scordij, & rutæ* destillationi idem, quod de *sale tartari pag. 246. Pharmacop. Reg* contra *Mynsichtum* urget Zvelferus, exactè competit. Denique à *Pulvere è typhis cervinis* quid hac destillatione elici queat? non video; cùm *tenellæ* istæ *succulentæ excrescentiæ* aquam duntaxat, sive humiditatem elementalem, exili virtute præditam exudent, uti *pag. 292. animadvers. in Aquam cordialem temperatam* Augustanis objicit; & omnia animalia, eorumque partes, vi destillationis hujus simplicis, aliud non reddant, quàm aquam quandam elementarem ac inefficacem, ceu *pag. 242, Pharmacop, Reg.* edocet, Imò si

Quid à *typhis* illis sperari debet, illud in prægressâ aliquoties repetitâ aquæ dictæ à corpore hoc abstractione jam dudum separatum, vel etiam in subsequente exsiccatione ablatum fuit. Hanc itaque reformationem sibimetipsi acceptam referre posset Zvelferus.

Quòd si destillatio fieri debuit, rectiùs eadem in *decocti scordij, & rutæ* præparatione, *viperarumq;* coctione observanda fuisset.

In *Alexipharmaco seu Bezoardico cervino III.* si nihil aliud, saltem *herbæ recentis scordij,* & *rutæ,* nec non *radicis angelicæ, scorzoneræ,* & *zedoriæ* cum largâ aquæ quantitate decoctio, atque decocti inspissatio, ob subtilium, fragrantium, penetrantissimarum atomorum exhalationem, animadversione indigeret. Ubi *totalem virtutum specierum extractionem* fieri, non contradicam, talis tamen illa est, ut non exigua earundem pars unà deperdatur.

De *Antepileptico cervino I.* simile, ut de *Bezoardico II,* judicium ferri potest.

Antepilepticum cervinum II. simplex est mistura, in qua miror, quòd *sal volatile cornu cervi, spiritus salis* ingeniosâ instillatione, à fugâ præservare, ejusdemq; odoris vehementiam infringere, prius non docuerit; cùm nihilominus indeperditis viribus ad extremas usque corporis partes penetrare debeat.

Bezoardicum cervinum aureum, simplici trium ingredientium permixtione paratum, præ illo, quod accedente *spiritus urinæ* & *vini an. libræ dimidiæ* à *Croco Solis,* & *Pulvere cervino* abstractione conficitur, eligendum esse, arbitror; cùm repetita illa cohobatio tempus, laborem, sumtusque consumat, minorem effectum eodem medicamento, per solam diligentem ingredientium permistionem parato, vix obtinente.

Hisce adnectit *Croci Solis* præparationem, cùm nil quidquam ab Augustanis in *hac Mantissâ* de *auro* traditum fuerit, cui judicium suum ad quid simile adnectare potuisset. Sed de *auro* tractare, & in *Pharmacopœiâ Augustanâ,* & *Ejusdem Mantissâ Hermeticâ* occasionem habuit, quam etiam strenuè arripere, non oblitus fuit. Prout in *Spiritu diapente auri* additionem *pag. 430.* reformavit, addens: *aurum tam crassè* (in *spiritu salis*) *resolutum pro usu interno nimis crudum & ineptum esse.* Certè si hac ratione nimis crudum & ineptum est *aurum,* quid cum præsenti *Solis croco* eventurum sit, hæreo; qui videlicet nihil nisi ipsa *auri* substantia est, in minutum pulverem reducta, ad modum Magisteriorum præcipitata, atque sic ob contrarietatem liquoris solventis, & præcipitantis suspecta, terræ insuper *aluminis* parte aliquâ adaucta. Quibus consideratis, quilibet ipse ferat judicium, quænam præparatio magis crassa, & ad usum inepta dici debeat?

De Pulvere subsequente, quem *Bezoardici cervini corroborantis* nomine

tradit, ſimile dari poſſet judicium, quale ipſe *pag. 165. Animadv.* contra *Theriaca*, & *Mithridatij* in Pulveres receptionem; ubi, ſcommata interſperſa ut taceam, *mel*, ex quo duæ illæ compoſitiones potiori parte conſtant, ſuccum eſſe tenacem, ſtatuit, qui neque per ſe, neque cum aliis ſpeciebus mixtus verè in pulverem redigi queat, niſi illud totaliter comburere, & deſtruere velimus. Pariter enim neque *ſuccus è corticibus citri extimus expreſſus*, neque *cinnamomi*, & *macis olea*, quæ aliquam Pulveris hujus partem conſtituunt, per ſe, aut cum aliis ſpeciebus mixta, verè in pulverem redigi poſſunt, niſi oleoſæ, ac balſamicæ eorum partes deperdantur. Et licet cum magnâ pulveris alicujus ſicci quantitate oleoſæ fluidæ particulæ diſgregentur, ita ut in pulverem redactæ eſſe videantur, verè tamen pulveres dici nequeunt. Niſi etiam *melli* idem concedatur privilegium; quod ſimiliter diſcontinuatum pulveris formam ludere aptum eſt.

In *Eſſentiâ cervinâ antepilepticâ* dum *ſpiritus ceraſorum*, & *liliorum convallium* dimidiam ſaltem quantitatem, vel minùs etiam, cùm à *typhis cervinis* humiditatis elementaris particula aliqua ſe admiſceat, à dictis *typhis* abſtrahit, reſiduo poſtea reddendam &c. non usque adeo benè procedit. Ad quid enim laborem, tempusque deſtillationi huic impendere opus eſt, dum poſtea liquor deſtillatus readfunditur, digeritur, & filtratur? Si pro meliori *cornuum* extractione id faceret, tum (ubi magnopere neceſſe eſt, deſtillationem inſtituere) ſtrictè opus non foret, unicam ſaltem ſpiritus libram abſtrahere; quia per deſtillationem protractam major quoque extractio eſſet ſperanda.

Idem de *Eſſentiâ cervinâ alexipharmacâ* tenendum eſt.

Tandem in defectu *novellorum cornuum*, ex *cornu* etiam *cervino adultiori*, non tamen ſponte delapſo, ſed à mactato *cervo* circa feſtum Ægidij initio Septembris deſumto, ac ſubtiliter raſpato efficacia medicamenta ad imitationem præcedentium parari poſſe, animadvertit. Non conveniunt inter ſe Autores, num ſponte delapſum, an verò circo Ægidij feſtum à mactato *cervo* deſumtum *cornu* præſtantius ſit? Illi, tanquam maturius, & quod à naturâ perfectionem ſuam obtinuit, ſponte delapſum; hi alterum eligunt, cùm hoc tempore *cervum* quaſi vegetiorem eſſe, credant, nempe is tunc temporis libidinis æſtro ſtimulatus in Venerem, tanquam furioſus, ruit. Sed curioſa hæc electio, ſi *cornu* bonæ notæ quoad alia requiſita exiſtat, magni ponderis haud eſt. Utrumque trahi in uſum medicum eodem cum fructu poteſt; utrumque æquè ponderoſum exiſtit, gelatinâ abundat, atque ſal volatile deſtillando copioſè emittit.

Cæterùm variè id uſui adplicari poſſe, ſuperfluum planè foret, explicare; cùm hoc neminem fugiat. Eidem verò *philoſophicè calcinato* oleum

ejus

ejus destillatum, licet rectificatum, imprimere, minimè consultum duco, ob insignem, quem hoc emittit, fœtorem nauseabundum. Idem hîc valet, quod *pag.* 277. de *oleo viperarum destillato* notat, scribens : *Oleum crassum & fœtidum posset forsitan rectificatum super cineres, diversis usibus externis inservire, nervorum scilicet contracturis, tumoribus duris, cancrosis &c. prohibet autem fœtor ejus, quò minùs frequenti exhibitione virtutes ejus explorentur.*

Atque hæc sunt, CANDIDE LECTOR, quæ in veritatis vindicationem, & Pharmacopœiæ nostræ immeritò reformatæ restitutionem, ab iniquo, imò provocante insuper Adversariorum calamo incitatus, meditatus sum. Plura, si tempus & occasio feret, in posterum additurus.

Tu interim, hæc tantopere non elaborata, sed festinante calamo conscripta, à veri & æqui cupido animo tamen profecta, boni consule.

Alij meliora proferant; laudem, si quæ speranda, nemini invideo. Mihi non præstantiores hac vice præparationes edocere, sed tantùm, priores quid valeant, inquirere, primò statim decretum fuit.

In specie quidem *Appendix ad Animadversiones* examini quoque fuisset subjicienda, sed potior ejus pars, aliquod momentum continere visa, jamdum debitis suis locis discussa fuit.

Si alicubi minùs adpositè objectionibus respondi, veniam peto, qui meliora edoctus, priorem sententiam mutare, nunquam non paratum me sistam.

Interea monitum Te volo, ut quicunque has vindicias, livore, stipendio, aut etiam Zvelferi amore ductus, censuræ subjicere, præsumes, attentè hujus mentem evolvas, meamque simul de eâ latam sententiam debitè perpendas, ne mihi quædam absurda & inconvenientia imputes, quæ, si adcuratè consideraveris, à me saltem è Zvelfero adducta fuisse, facilè reperies, ut eum ex ipso reformarem.

Cæterùm modestè agere, ne oblivisscaris, moneo. Procul sit infernale calumniarum virus; procul scommata, & cætera erudito homine indigna spicula. Sic ubi jure me reformaveris, laudem mereberis; sin minùs ritè notaveris, modestum vicissim calamum meum experieris.

Nemo tamen sibi persuadeat, me unicuique, Pharmacopœiam hanc restitutam invasuro, debito responso mox esse obviam iturum; totam enim vitam continuis litibus transigere, nolo. Unâ fideliâ duos pluresve parietes dealbari poterunt Et si quæ novæ contra Dispensatorium nostrum cudentur objectiones, easdem necessariò oppugnare, neutiquam tenebor. Sed hæc omnia, quo modo procedendum sit, me tempus ipsum optimè edocebit.



INDEX.

A.

Aquarum

Cordia-

F.

Flore.

M.

N.

O.

P.

T.

Timoris

FINIS.

Communi quasi librorum fato præsens quoque subducere se haud valuit. Quare errata, quæ irrepsêre, corrigenda Lectoris humanitati cōmendo. Mihi potiora, quæ revidenti oculos incurrerunt, notare tantùm libet.

Itaque pag. 2. lin. 10. Dedic. del. in publicum. Pag. 2. lin. 5. Præfat. leg. elucesceret. In ipsius Operis pag. 2. lin. 18. leg. *quot* pag. 4. l. 16. *unciæ* p. 7. l. 27. Odoris p. 8. l. 6. decoctum p. 9. l 28. *caryophyllorum* p. 17. l. 35. *concretorum* p. 38. l. 25. *maturitatem* p. 47. l. 3. obsoleta p. 58. l. 18. *illustre* l. 38. *elæosacchara* p. 78. l. 20. *convall.* p. 79. l. 13. *PERSICA* p. 81. l. 38. Verum p. 83. l. 28. *species* p. 98. l. 29. disquiri p. 121. l. 31. elaborato p. 123. l. 12. virtutis in p. 134. l. 24. perfectionem p. 140. l. 36. *crassamentum* p. 161. l. 13. quàm p. 162. l. 38. minimè p. 163. l. 3. junctæ p. 183. l. 31. membranosum p. 186. l. 26. satisfactum p. 211. l. 38. observatis l. 39. *Galeno* p. 213. l. 5. *si non* l. 6. del. *si* p. 227. l. 12. leg. *pane* p. 232. l. 4. *cuperosam* l. 17. *pulpam* p. 238. l. 6. & 7. τῇ φύσει p. 257. l. 21. del., p. 263. l. 11. leg *MICLETA.* p. 282. l. 25. earum p. 297. l. 31. mitto. p. 312. l. 14. hoc. p. 334. l. 23. Verum l. 35. *aqua.* p. 335. l. 2. totalem. p. 349. l. 13. del. & viginti quatuor horas durante p. 359. l. 37. leg. existere præparationem, p. 379. l. 18. hic p. 384. l. 27. possit p. 389. l. 27. STYPTICO p. 390. l. 35. spongia p. 392. l. 28. condita p. 395. l. 19. *cap.* l. 22. frigidæ p. 397. l. 6. *styptico* l. 32. præparatio p. 399. l. 21. possint p. 400. l. 14. humiditas p. 402. l. 4. elegantissimus p. 403. l. 32. totæ p. 405. l. 26. præferendam p. 406. l. 5. reddat l. 37. del. à *Schrödero* quoque *Aqua Stimmi sulphurea*, & leg. à *Keslero Spiritus diaphoreticus* p. 409. l. 12. quarum p. 411. l. 37. cùm p. 415. l. 34. del. dum p. 422. l. 5. leg. antequam p. 432. l. 28. *cum* p. 435. l. 34. harum p. 454. l. 18. jubentur, necquicquam p. 473. l. 5. posset p. 482. l. 10. *sicca* p. 483. l. 4. compositione p. 485. l. 27. αὐλοψία p. 489. l. 20. *tyrocinnis* p. 508. l. 13. habitis profectam esse, quò p. 526. l. 31. in precio p. 555. l. 17. possint. p. 557. l. 9. *Zedoariæ* l. 28. adnectere p. 558. l. 29. circa p. 559. l. 34. duo.